





XV
PRLM
1655
1
7
302









JAC. PRIMEROSII
Doctoris Medici
DE
MULIERUM MORBIS
ET
SYMPTOMATIS
LIBRI QUINQUE.

In quibus plurimi tum Veterum, tum Recentiorum errores breviter indicantur & explicantur.

Cum duplici tam Capitum quàm Rerum & Verborum Indice.

XV PRIME





ROTERODAMI,
Ex Officinâ ARNOLDI LEERS.
Anno cIↄ Iↄ c LV.

LECTORI SALUTEM.

Uum ante annos jam viginti Medicinæ tam theoreticæ quàm practicæ ſyſtema in uſum primùm meum perfeciſſem, quòd ut & aliis etiam prodeſſe poſſet, publicum fieri quidam æquum eſſe cenſuerunt, quamvis omnibus me placere non poſſe certò ſciam, neque etiam id ſperem, tamen in illius editionem lubenter conſenſi. Addebat animos, atque etiam invitabat noſtri ſeculi familiaris conſuetudo. Quis enim eſt qui in hoc ſcribendi genere, ſive ut ſibi ipſi, ſive ut aliis aut placeat, aut proſit, non audeat, aliquid etiam in rebus ſatis levibus moliri. Inde tanta librorum de rebus iiſdem varietas blando omnium favore excepta, ſpem dederat, eandem me fortunam manere, nec pejori loco labores meos apud æquum Lectorem futuros. Cur autem tractatus hic qui totius operis poſtremus eſt, inter primos edatur, hanc cauſam accipe. Cùm inter cæteras Medicinæ partes, nulla aut difficilior ſit, aut jucundior, quàm hæc quæ mulierum morbos ſatis involutos explicat, hanc ego omnium ultimam, ſicut ante cæteras deſcripſeram, eodem pariter ordine publicandam exiſtimavi. Quamvis enim ſi mihi vita ſuperſit, etiam reliqua Lector tibi communicare conſtituerim, homini tamen naturâ ſuâ pigerrimo, improbus ille deſcribendi labor tantùm affert tædii, ut me ſæpiſſimè pigeat progreſſionis & laborum, nec niſi mihi ipſi inſignem vim faciam, adigi ad hunc laborem vix poſſum, quem etiam alteri committere, nec audeo, nec lubet. Diſſimilis autem aliquantulum à prioribus liber hic videbitur. Cùm enim vigente adhuc fervore illo ingenii quem mihi olim Academiæ inſtillaverant, priores illos junior ſcripſiſſem, quamvis me totum Medicinæ exercitio dederam, non potui tamen abſtinere à controverſiis illis Academicis, quas nunc, ob longam annorum viginti deſuetudinem, inanes admodum judico, & ad res meas prorſus inutiles à me procul abeſſe in poſterum cupio. In hoc

verò fermè semper ab illis abstinui, nec nisi parcè admodum & breviter illas explicavi. Sic rectè *Neoptolemus* apud *Ennium* philosophandum sibi esse dixit, sed paucis. Hanc ego *Spartam* Academiarum Professoribus ornandam relinquo, qui otio abundantes, sibi ipsis insigne circa hæc ludicra negotium facessere possunt, si lubet. Mihi autem venia dabitur, qui ab ætatis meæ anno decimo-nono à Scholis & fermè omni Doctorum consortio procul semotus fui, si ejusmodi tricas & controversias à me prorsus alienavero. Ita tamen omnia temperavi, ut etiam non deesse huic Operi, quæ necessaria sunt, Lector observare poterit. Scripserunt de hoc argumento ætate nostrâ fœlicius quidem quam præactis seculis pauci. Nam inter Veteres, *Hippocrates*, seriò & sedulò in hoc argumento versatus, solus censeri debet, qui materiam hanc perfectè exposuerit. *Galenus* autem pauca tantùm & obiter, nihil unquam ex professo tractavit. *Avicennas*, *Moschio*, *Cleopatra* paucissimos fœminarum affectus explicarunt. Sic & reliqui postmodum recentiores, quos omnes uno volumine comprehensos *Basileenses Typographi* nobis jampridem exhibuerunt. Primus omnium *Hieronymus Mercurialis*, Vir doctissimus, & de Medicinâ, (si quis unquam) optimè meritus, paulò fusius, aut perfectius, quàm antea factum fuerat, in hoc argumento versatus est. Sed omnium optimè *Ludovicus Mercatus*, sedulam in hoc navavit operam, ut solus censeri debeat, qui muliebres morbos integrè descripserit, atque ante illum habemus neminem qui id perfecerit. *Rodericus à Castro* quidem satis prolixo & docto volumine in hoc Opere etiam postea fœliciter insudavit: Sed *Mercati* premens vestigia, ab illo vix latum unguem ausus est evagari, ita ut qui unum habuerit, altero carere posse videatur, tam sunt inter sese similes. *Mercati* tamen labor & remediorum elegantiâ, & faciliori docendi ratione, & quia *Castrensi* lucem prætulit, admodum præferendus. Posthumum tandem illud Opus *Ioannis Varandæi* Præ-

ceptoris

ceptoris olim mei, agmen claudit Scriptorum, qui de Gynæcæis aliquid commentati sunt. Et quidem *Varandæi* libri, aut posthumi omnes, aut contra ipsius voluntatem editi, etsi absint adeo ab insigni illâ eruditione quàm tum docendo, tum disputando expromebat, ut à tanto viro non videantur profecti, sunt tamen laude dignissimi, & quia insigni brevitate ac facilitate multa complectuntur, maximè sunt commendabiles, quos etiam in hoc Commentario interdum sequutus sum. Neque eum ego *Mercato* ullo modo postponendum censeo; qui si vixisset diutius, atque librum hunc diligentiori curâ politiorem fecisset & ampliorem, solus sufficere potuisset. Postremus omnium *Daniel Sennertus* Vir doctus, diligens, judiciosus & laboriosus, (libro hoc jam à me perfecto) prodiit in lucem. Is autem prolixo opere & ob insertas quamplurimas ex *Scenckio*, *Rosseto* & aliis historias, lectu jucundissimo, aliquid etiam laude dignissimum, sicut & in omnibus Medicinæ partibus præstitit, etsi eum nunquam habuerim, præter institutiones, hunc autem *de morbis Mulierum* non nisi obiter in aliena Bibliothecâ legere mihi contigit. In hoc tamen Scriptore id observavi, ut etiamsi stylo admodum facili libros suos exaraverit, plurima tamen levius explicavit, ut si quamplurimis qui priores scripserunt comparetur, illis multo inferior reperiatur. Multis remediorum inutilibus formulis Lectorem oneravit, ita ut idem medicamentum in eodem Capite, mutato solùm ordine simplicium, quater repetitum observaverim. Ex illius tamen lectione insignem semper utilitatem quilibet Lector reportabit. Nos autem quamvis prædictorum laboribus doctissimis plurimũ adjuti fuerimus, plurima tamen aut clarius explicavimus, aut etiam immutavimus, plurima ab aliis omissa addidimus, eorum quæ necessaria videbantur, nihil omisimus. Atque ita ut nec brevitate nimiâ obscuri, nec tædiosâ prolixitate importuni esse voluerimus: non defuturos tamen scio qui laborem hunc nostrum aut inutilem esse censebunt, aut aliâ

quapiam de causa, æmulatione potius & livore, quàm ratione vituperabunt, qui ab ipsius lectione si lubet, sibi poterunt temperare, aut saltem fœliciori conatu edere meliora, sicque illis minor labor restabit, quò mihi major fuit. Eos autem, qui doctiores sunt, aut in simili scribendi labore exercitati, cæteris æquiores fore spero. VALE.

Pro captu Lectoris habent sua fata libelli.



I N-

INDEX CAPITUM

LIBRI PRIMI.

CAP. PAG:

PRæfatio. 1
I. De menstruis. 3
II. De suppreßione menstruorum. 5
III. De menstruis diminutis, & eorum stillicidio. 32
IV. De menstruis cum dolore & gravibus symptomatis profluentibus. 36
V. De menstruis quæ tempora sua non observant. 40
VI. De menstruis per locum non naturalem erumpentibus. 43
VII. De menstruis vitiosis. 45
VIII. De fluxu dicto muliebri. 47
IX. De nimio fluxu menstruorum. 63

LIB. II.

I. De clausurâ uteri. 76
II. De amplitudine & lævitate uteri & pudendi muliebris. 81
III. De clitoride & nymphis. 82
IV. De cervicis uteri tumoribus, inflammatione, scirrho, cancro, verrucis, condylomatis, hæmorrhoidibus. 85
V. De scabritie pudendi, ulceribus, rhagadibus, gangrænâ. 91
VI. De uteri intemperiebus. 95
VII. De uteri hydrope. 100
VIII. De emphysemate uteri. 108
IX. De inflammatione uteri. 113
X. De scirrho uteri. 122
XI. De cancro uteri. 125
XII. De ulceribus & fistulis uteri. 128
XIII. De lumbricis & calculis in utero repertis. 137
XIV. De ascensu uteri & convulsione ad latera. 138
XV. De procidentiâ uteri. 147

LIB. III.

I. De dolore uteri. 155
II. De uteri imbecillitate. 159
III. De pruritu uteri. 161
IV. De pallidis virginũ coloribus. 163
V. De affectibus hystericis in genere. 178
VI. De dolore capitis ex utero. 180
VII. De epilepsia ex utero. 183
VIII. De melancholiâ virginum. 186
IX. De furore uterino. 189
X. De cordis affectibus ex utero. 197
XI. De suffocatione hysterica. 198
XII. De lienis & hepatis affectibus ex utero. 225
XIII. De ventriculi affectibus ab utero. 226

LIB. IV.

I. De sterilitate. 227
II. De prægnantibus & earum symptomatis. 248
III. De falsâ conceptione. 268
IV. De monstris, gemellis, & superfœtatione. 270
V. De molâ. 275
VI. De aborsu. 287

VII.

INDEX CAPITUM.

CAP. PAG:

VII. *De difficili partu & fœtu mortuo.* 300

Historia de partu prodigioso. 316

VIII. *De regimine puerperarum.* 325

IX. *De retentione secundinæ.* 327

X. *De lochiis.* 330

XI. *De doloribus à partu.* 334

XII. *De morbis puerperarum.* 336

LIB. V.

I. *De mammarum incremento & gracilitate.* 345

II. *De prædictorum affectuum in gravidis consideratio.* 352

III. *De inflammatione mammarum.* 354

IV. *De scirrho & cancro mammarum.* 357

V. *De ulceribus & fissuris mammarum.* 363

VI. *De lactis naturâ.* 366

VII. *De lactis defectu.* 371

VIII. *De lactis redundantiâ.* 377

IX. *De lactis concretione.* 381

X. *De lactis fluiditate.* 387

XII. *De lactis vitiosi emendatione.* Ibid.



I A-

JACOBI PRIMEROSII DE MORBIS MULIERUM LIBER PRIMUS.

Præfatio.


Bsolutis partium quæ in Abdomine continentur affectibus, ad morbos mulieribus proprios & peculiares veniendum, etsi communibus etiam cum viris affectibus tententur, ratione tamen uteri suos habent morbos, & periculosissimos, & plurimos, unde miseranda mihi mulierum conditio videtur, quæ omnes virorum affectus sustinet, & infinitos præterea alios, quibus viri non sunt obnoxii. Tractatio hæc adeò difficilis est, ut vix ulla in totâ arte Medicâ difficilior reperiatur. Causa est, quia mulieres sæpe ignorant sese ægrotare, donec morbi altas egerint radices, tum quia nisi vis morborum cogat, præ pudore & verecundiâ eos Medicis non audent communicare, neque à Medicis curiosius interrogari se patiuntur, cùm tamen ad curationem morborum, sedulò incumbendum sit in eorum cognitionem. Utilis autem & jucunda est ejusmodi cognitio.

Qui morbos muliebres descripserunt, quæ ad hominis generationem spectant, ita immiscuerunt, ut prolixi valde illorũ tractatus evaserint. Nos verò quia in Physiologiæ libro sexto rem istam satis abundè explicavimus, ideo brevior futura est ista tractatio, ita tamen acurata, ut pauca eorum quæ muliebres morbos spectant, omissa reperiantur.

Cùm sublunaria omnia interitui mortique sint obnoxia, hominem si fieri potuisset, Natura optasset immortalem; at cùm id Natura non ferat, individuorum propagatione id consequitur, ut intereuntibus singulis similes alii in perpetuum succedant, quorum redintegratione species conservetur; ideo singulis partes quasdam dedit ad speciem propagandam: hinc nata est sexus distinctio, maris scilicet & fœminæ, quorum hæc est natura, ut per se nihil possint efficere, sed mutuas ferant

rant operas in prolis generationem. Ideo libidinem utrique & voluptatem quandam inservit, qua igne quasi quodam flagrantes, in mutuos ruant amplexus. Viro penem dedit ad semen ejiciendum, mulieri uterum ad illud excipiendum, retinendum & fovendum. Servari quidem viri semen in ipsius prostatis diutissimè potest, irritum tamen illic est, & in solo muliebri utero vim suam exerit & profert. Hinc malè Philosophi quidam mulieres animalia imperfecta, mutila, præter naturæ institutum facta, & veluti quædam monstra esse statuerunt, cùm tamen perfecta animantia sine utroque sexu nunquam generent. Differt autem mas à fœminâ, facultate & partibus. Facultate, quia mas generat in alio, fœmina in seipsâ. Partibus, quia vir penem, testiculos prominentes, fœmina verò uterum habet cum testiculis intrò reconditum. Esse autem differentiam inter penem, & cervicem uteri, inde patet, quod hæc sit canalis oblongus & amplus excipiendo peni dicatus, cujusmodi capacitatem scroto virili non inesse facilè patet, suntque alia discrimina ex Anatome repetenda. Carent mulieres epididymide, vesiculis seminariis, prostatis glandosis. Vasa spermatica minora & breviora sunt quàm viris, sed magis anfractuosa. Sic testiculi viris majores, solidiores, calidiores, rotundiores, pluribusq; tunicis tecti; in mulieribus autem minores, molliores, frigidiores, unicâ solùm tunicâ tecti.

A viris igitur mulieres distinguntur conceptu, partu, & educatione fœtus, ad quæ munera obeunda partes quasdam obtinuerunt operationibus & facultatibus distinctas. Peculiaris autem actio peculiarem partis constitutionem sequitur, quæ si vitietur, inde morbi fiunt, vocarique solent muliebres, quia fœminis contingunt ratione earum partium quibus à maribus distinguntur, quæ ad conceptum, partum, & educationem destinatæ sunt. Contingunt tamen etiam illis morbi virorum communes, ut dolores, epilepsiæ, syncopæ, aliique, qui tamen in mulieribus ob uteri sympathiam, & excrementorum in illo retentorum perniciem, peculiarem observationem, curandique modum postulant. Nos igitur brevem istorum affectuum synopsin instituentes, hunc ordinem servabimus, ut primum communes mulieribus omnibus morbos, & symptomata explicemus, tum eos qui contingunt ratione conceptus, partus, & educationis. Rectè scripsit *Aret.* 2. *Chron.* uterum etsi conceptui & partui destinetur, esse tamen asylum omnium morborum, nam ab eo firmè omnes mulierum morbi promanant, aut saltem labem quandam illis admiscet.

CAP.

Cap. I.

De Menstruis.



Quod masculis semen est, id fœminis esse menstrua, inde probare vult *Aristoteles 1. de gener. anim.* quòd eâdem ætate, & mulieribus menstrua, & viris semen incipiat erumpere, utrisque vox eâ ætate immutatur, & pariter ætate inclinante desinunt. Esse quoque excrementa, inde probat, quòd mulier cui bene illa respondent, nec habet ἰξίαν, nec hæmorrhoidas, nec hæmorrhagiam, nec aliud symptoma magnum, tanta est in illorum fluxu utilitas. Sola autem mulier menstrualis est, quia viro frigidior alimenta nec probè concoquit, nec digerit, inde excrementorum proventus, quæ transmittuntur ad uterum, non sine naturâ duce in humani scilicet generis commodum. Ratione ipsius mulieris cur per uterum potiùs quàm per alias partes vacuabitur sanguis, qui in quamlibet effusus capacitatem grumescere solet? Est autem grumus sanguis pestifer. Eò tamen inclinavit Natura cursum sanguinis, quia ibi fœtum concipi & nutriri oportebat.

Debent autem mulieri ut sana sit menstrua, respondere in qualitate, copiâ, tempore, & excernendi modo. Solent naturaliter constituta colore & consistentiâ referre sanguinem victimæ jugulatæ, ut annotavit *Hippoc.* cujus sanguis floridus est, purpureus, citò concrescens. Talem sanguinem quis credat esse adeò venenatum, ut ejus contactu terra sterilescat, marcescant herbæ, inficiantur specula, &c. ut *Plinius* prodidit. Ejusmodi menstrua non sunt naturaliter constituta, sed vel longiori suppressione, vel cacochymiæ, & vitiosorum humorum permistione inquinata. Neque est probabile hominem veneno primùm concipi, eodem ali, & sustentari, nisi jam totum infantis corpus venenum esse constituamus. Et quidem eo ali fœtum patet, quia per easdem vias natura alimentum fœtui & sanguinem menstruum transmittit, tum si conceptu menstruum destinavit, quidni etiam nutritioni, lac demum quo extra uterum fœtus nutritur ex menstruo fieri sanguine inde patet, quòd nutricibus menstrua supprimantur; ut dicemus inferius.

Copiam quod spectat, ut varia est mulierum natura in habitu corporis, temperamento, ætate, victus ratione & vitæ instituto, ita varia est illorum copia, vel parcius, vel liberalius fluunt, ut docet *Aëtius.* Nec

gravidas, nec lactantes æquum est esse menstruales, aliàs alimento suo infans defraudatur, & tum in utero, tum extra uterum ægrotat, nec potest esse sanus. Pariter expectari fluxus menstruorum non debet, in iis quæ nuper gravi morbo vel acuto, vel chronico defunctæ sunt, in quibus tum morbi, tum caloris præternaturalis vi menstruorum materia absumpta fuit. Sed menstruales illæ esse debent, quæ puberes sunt decimoquinto, aut decimosexto ætatis anno, sicut Adolescentibus cum τραγίζειν incipiunt, & vocem edere asperiorem, sanguinis è naribus profusiones, ita virginibus ex utero contingunt. Quod si pueris id accidat, non possunt esse diuturnioris vitæ, sicut nec mulieres quæ ante annum duodecimum sunt menstruales, quia partium alimentum ante tempus absumitur. Instare autem virginibus menstruorum purgationem, præsagiunt mammarum pruritus, lumborum & capitis dolor, bilis aut pituitæ vomitus. Hæc ubi circa 14 annum contigerint, purgatio maturanda per leviores decoctiones ex *Aëtio*. Pariter instare ipsorum naturalem defectum in senioribus, indicant dolores & gravitates lumborum, crurum, femorum, rubores quidam in facie subitò maximè post pastum contingentes, qui deinde facilè in sudores evanescunt, capitis dolores, vertigines, tinnitus aurium, semicraniæ, appetitus, diminutiones, sic sensim minuitur fluxus ille, interdum per aliquot menses intermittit, deinde redit, postmodum omnino cessat.

Certam quantitatem definivit *Hippocrates* cotylas duas, id est, ℥ *xvj*. Sed magna est complexionum diversitas. Viragines enim præcipuè si diætâ utantur austerâ, & in labore ætatem conficiant, non solent pati menstrua, aut saltem paucissima emittunt ad unum aut alterum diem. Quæ sunt molliores ad septimum, mediocres ad quintum. *Moses* periodum illam septem dierum esse statuit; *Hippocrates* non agnovit supra quartum diem, statuitque longius aut brevius tempus morbosum esse & sterile.

Fluxus autem iste menstrualis, plurima affert commoda, mulierem enim reddit opportunam ad semen virile excipiendum, concipiendum, fovendum, nutriendum, gestandum, & excludendum. Contra, si in vitio sint qualitate, copiâ, tempore, & excernendi modo, varii ab utero, & in utero morbi contingunt. Non debent enim esse aut crassa, aut tenuia, aut viscida, sed mediocria, quanquam junioribus subtiliora, sicut & biliosis. Adultis autem & senioribus, crassiora, sicut & melancholicis. Odor nullus esse debet, aliàs ostendit sanguinem alteratum

teratum fuisse & corruptum. Color vividus esse debet, & florens qualis à victimâ, quamvis biliosis flaviora, pituitosis albicantia magis, melancholicis subnigra sint. Exeundi modus ille naturalis est, qui est absque ullo symptomate, nam quibusdam mulieribus graves dorsi, lumborum, capitis, aliarumque partium contingunt dolores, & varia symptomata. Ita ut menstrua illa naturalia constitui debeant, quæ in moderatâ copia, calore optimo, sine gravi symptomate, cum mulieris εὐφορίᾳ, id est, nec parcius, nec largius, singulis mensibus effluunt. Quicquid secus acciderit, est præter naturam.

Cap. II.

De Suppressione Menstruorum.

Itaque menses vel supprimuntur, vel imminuuntur, vel depravantur, sicut cæteræ actiones omnes. Nos à suppressione incipiemus. Est autem suppressio symptoma in excretis & retentis, cùm sanguis ille, qui naturæ lege singulis mensibus fluere debebat, retinetur, & multorum in corpore malorum causa evadit. Propriè supprimi non dicitur, nisi retineatur quando naturæ lege fluere debet, sicut canis cæcus non est ante nonum diem; omnis enim privatio intelligi debet de subjecto apto, & tempore à naturâ præstituto. Nec enim puellis ante annos pubertatis, nec vetulis post annum quinquagesimum propriè suppressos menses dixeris, nec de illis provocandis tunc cogitandum. Prioribus vasa sunt angustiora, & totus sanguis abit in corporis incrementum; Posterioribus calor imbecillior excrementa hæc, aut parcius generat, aut expellere non potest. Aliis autem supprimi & retineri dicuntur. Id autem contingit, vel quia absumuntur, vel quia retinentur. Absumuntur vel secundum, vel præter naturam. Secundum naturam, in calidâ & siccâ corporis constitutione, ut viraginibus, quarum calor naturalis robustus, probè concoquit alimenta, nec excrementa congeri sinit, sed ea digerit & dissipat, ut viris sanis & robustis contingere solet. Tales sunt viriles coloris fusci, corporis probè compacti, nervis robustis, venosæ, lumbos & nates ampliores habentes: pectore & humeris latioribus, mammis solidis, voce gravi, fortes, hirsutæ: Tales aut non omnino, aut modicè tantùm purgantur, ut docet *Aëtius*. Quædam enim sunt quibus menses nunquam fluxere absque ullo sanitatis

detrimento, quæ interdum quanquam rarius concepere. Quod tamen valdè difficile videtur: Nam si menstrua ad fœtus usum diriguntur à naturâ, quî potest illis deficientibus ulla fieri conceptio? Deficit enim tum generationis materia, tum fœtus alimentum. Respondet *Arist. 7. de hist. animal.* steriles illas esse ut plurimum, concipere tamen posse, si tantum sanguinis illis colligatur, quantum aliis superesse solet post purgationem, quanquam non ea sit illius copia, ut foras effluere possit, commodius enim à profluvio menstruorum conceptio contingit. Requirit enim natura, non tantùm sanguinis copiam, sed & ora vasorum uteri patentia, ut libera via sit ad sanguinis delationem; sic brutorum fœminæ quæ non patiuntur menstrua, fœtus tamen generant & alunt, quia illis non adest vasorum obstructio; sic viraginibus quibus fluor ille deficit, si aliàs sanguis sit satis copiosus, uterique vasa libera sint, & minimè obstructa, generatio fieri poterit, sed id rarius est. Pingues quoque paucum habent sanguinem, exiguas venas, illisque sanguis transit in pinguedinem, unde non concipiunt, aut fœtus edunt languidos ob menstrui inopiam, ex eodem *Aëtio*: quòd tamen non est semper verum.

Desunt quoque naturaliter prægnantibus post 40 diem, nam ad hunc usque diem sine fœtus offensione possunt esse menstruales. At si postea menses illis fundantur, impossibile est fœtum esse sanum, quia suo defraudatur genio, ut suo loco dicemus. Gravidis enim absumuntur menstrua in fœtus procreationem, incrementum & alimoniam.

Lactantibus pariter absumuntur, illorum enim & lactis eadem est materia, quæ sapienti Naturæ instituto, ab utero refluit in mammas, ad fœtus editi nutritionem. Et de his menstruorum suppressionibus hoc loco non loquimur, Affectus enim præter naturam tractamus; at in prædictis casibus, menstruorum suppressio est naturalis, vacuatio verò omnino præter naturam.

Absumuntur menses præter naturam, ab omnibus causis inanientibus, ineditâ & parco victu, ut in religiosis, quæ ex voto jejuniis sese macerant, & in pauperibus quæ non habent quantum nutriendo corpori sit satis, hinc paucus sanguis generatur, quem ad individui conservationem retinere, potiùs quàm ad speciei propagationem profundere natura studet. Sic labore, nimio corporis motu, vigiliis, sanguis absumitur, unde *Rufus* apud *Aëtium* scribit, rusticas, saltatrices, & cantatrices, quæque pane atro & furfuraceo utuntur non purgari, quod tamen non est semper

ſemper verum, niſi aliæ ſimul cauſæ inanientes accedant, corporisque conſtitutio eò inclinet. Sic vacuationibus immodicis per nares, hæmorrhoidas, ſudores, alvi profluvia, non dubium menſium materiam abſumi, ſicut & iis quæ morbo acuto vel diuturno laborarunt, ut febre ardente quartanâ, ſi ejuſmodi mulieri multoties inciſa vena fuerit, deinde per tres quatuorve menſes purgatio reſtiterit, temerè ad illius revocationem remedia præſcribentur, quia vix ſufficit ſanguis reparationi ſubſtantiæ illius quæ vi morbi deperiit. Ex vigiliis quoque mœroribus, curis, profundis cogitationibus, aliisque animi pathematis, certum eſt ſanguinem imminui, non minùs quàm parco victu. Sicut videmus religioſiſſimas mulieres, viduas, & alias, quæ mœroribus, curisve ſeſe conficiunt, ſuppreſſione menſium laborare. Quæ cauſæ omnes corpus deſiccant, imminuunt, & menſium materiam abſumunt, & diſſipant, ex *Aëtio*.

Retinentur autem menſtrua, vel ſanguinis, vel inſtrumentorum, vel facultatis vitio, *3. de cauſ. ſympt. cap. 4.* Sanguinis vitium eſt, primò, ſi paucus ſit, tunc enim non urget, ut jam ſupra diximus. II. Si copioſus nimium fuerit, ut volunt quidam, tunc enim venas adeò implet, ut adytum ſibi impediat, ſicut in veſicâ humore nimio repletâ excerni urina nequit, ſic hominum turba ſi ſimul in oſtium quantumvis patens impetum faciant, ſibi ipſis viam præcludunt. Sed hæc ſuppreſſionis cauſa mihi non placet, quoniam copioſus ſanguis maximè ſi tenuis fuerit, venarum ora ſponte aperit, ſibique viam facit, unde plethoricæ mulieres ſæpius quàm in menſe interdum purgantur, ob ſolam ſanguinis copiam. Nec valet exemplum de veſicâ: illius enim & uteri par non eſt ratio; 1. quia cùm urinæ excretio ſit voluntaria, etiamſi urgeat, eam tamen cohibere aliquamdiu poſſumus, & adeò, ut interea nimio humore repleatur. At ſanguinis excretio naturalis eſt, & quando naturæ incipit eſſe gravis, ſine morâ illum profundit, nec ulteriorem illius collectionem expectat. 2. Urinæ excretio ſit aperto ſphinctere, & contrahentibus ſeſe veſicæ fibris, unde fit, ut præter modum diſtenta veſica contrahere ſeſe non poſſit ad expulſionem humoris contenti: At ſanguinis menſtrui excretio, nullis perficitur muſculis, aut fibris, ſed ſponte reſeratis venarum oſculis profluit; unde rectè negat *Mercurialis* copiam efficere retentionem, niſi ſimul ſanguis craſſus fuerit, tunc autem retentio non copiæ, ſed craſſitiei adſcribenda eſt.

Propriè ergo peccat ſanguis qualitate, ſi craſſus, lentus, viſcidusque fuerit,

fuerit, talis enim ad fluxionem redditur ineptus, viis hæret, easdemque obstruit, sive ex proprio sui vitio talis evaserit, ut quando nimium refrigeratur & exsiccatur, sive permistione crassorum humorum, ut pituitosorum & melancholicorum, qui sanguinem aliàs satis tenuem, crassiorem reddunt, & viarum obstructiones pariunt. Hoc vitium fovent causæ externæ, crassorum viscidorumque alimentorum usus, frigidæ potio, otium diuturnum, aliæque frigidorum morborum causæ.

Instrumentorum vitio sanguis retinetur, vel gravâ partium nobilium, vel uteri ipsius affectione. In principibus partibus ut ventriculo, jecore, liene, pulmonibus, si frigidior intemperies, aut vehemens obstructio, aut scirrhosa durities infestarit, velut in ictero, in cachexiâ, hydrope, in asthmate, aliisque affectibus, venarum sanguis labefactatur, aut crassior redditur, aut ad uterum fluere non potest, hinc fieri nequit, ut menses recto ordine, atque ex naturæ præscripto fluant; quod si fluant, male colerati, aliisque vitiis inquinati apparent.

Uteri verò & vasorum malâ affectione sanguis cohibetur. *Primò*, si morbis in intemperie laboret, cum materiâ & sine materiâ, sed præcipuè intemperie frigidâ cum humore pituitoso, unde sanguis crassior redditur, & uterus densior, sic frigore externo subeunte densatur uterus, præsertim in puerperis, quæ aëre frigidiori ingrediente, lochiorum & menstruorum molestissimam patiuntur suppressionem. Idem sæpe contingit mulieribus illis quæ in aquis lintea lavando totos dies morantur, frigoris enim proprium est condensare & adstringere, hinc occluduntur vasa uteri, & si humores crassi fuerint, obstruuntur. Calidam & siccam addit *Avicennas*, quòd tamen mirum videtur. Inde enim immodica potius proflavia, quàm suppressiones contingunt, cùm calidi sit aperire & rarefacere. Ratio ab eodem triplex assignatur; 1. quia partis quælibet intemperies actiones ipsius labefactat, verum id quidem est, sed calida depravare actiones solet, non tollere, propterea hæc ratio sufficiens non est. 2. quia uterum densiorem & duriorem reddit, humores subtiliores dissipat, relictis crassioribus: 3. sanguinem absumit & imminuit, & sic purgatio menstrua subsistit. Debent autem prædictæ intemperies non tantùm ad uterum, sed etiam ad totum corpus, unde sanguis ad uterum derivatur, referri.

Secundò, laborare potest uterus morbis in conformatione, qui sunt varii & multiplices, & ideò sanguinem supprimunt, quia vasorum angustiam inducunt, quæ angustia interdum est à primâ conformatione,

2. de

2. de sympt. caus. cap. 4. ut in illis mulieribus quæ pectus amplum habent, sed ilia stricta & angusta. In illis ex *Aëtio* & *Avicennâ*, uteri vasa sunt angustiora vitia uteri, quæ ejus modi compressionem & angustiam faciunt, sunt, 1. substantia uteri durior & densior, quàm naturæ illius conveniat, quòd vitium fieri potest à naturâ & ortu, aut deinceps & tractu temporis; si sit naturalis, adjunctam habet vasorum angustiam; si sit præter naturam, tunc etiam docente *Avicennâ*, simul fit collum uteri brevius. 2. Compressio uteri à tumore præter naturam partium circumjacentium, ut recti intestini, vel vesicæ tumores & grandiores calculi, musculorum rectorum inflammationes, sed præcipuè omenti pinguedo, ut in obesis mulieribus, in quibus descendit omentum usque ad os uteri, unde *aphor. 62. lib. 5.* mulieres densos uteros habentes, non concipere scripsit. Et *46. Quæcunque præter naturam crassæ non concipiunt, iis uteri os ab omento comprimitur.* Negat tamen *Vesalius* omentum ad os uteri posse descendere, quâ de re capite de sterilitate dicemus. Utcunque si non omenti, saltem reliqui abdominis pinguedo uteri vasa coarctat, ut sanguis nequeat exire. 3. Uteri ipsius tumor præter naturam inflammatio, scirrhus, callus aliquis, pinguedo, vel caro adnata supprimere menstrua possunt donec curentur, quamvis nisi valde magni fuerint, prædicti affectus omnes venas obstruere nequeant, tum præterea potest sanguis effluere per venas ad uteri collum pertinentes, quòd sæpius contingit; unde si prædicti affectus fiant in utero ipso, non necessariò sanguis supprimetur. 4. Si uterus non fuerit pervius, aut apertus, ut in iis quæ imperforatæ sunt, aut membrana hymen dicta per excellentiam, adest, sanguinis fiunt suppressiones, quâ de re suo loco agemus. 5. Malus uteri situs, ut si prolabatur, vel ascendat, vel in latera distorqueatur, vel pervertatur, similive in conformatione vitio laboret, menses supprimuntur; *5. aphor. 28.* 6. Vasa uteri obstructionem patiuntur à multis crassis & viscidis humoribus, quæ frequentissima est suppressæ istius vacuationis causa, in frigido & cacochymo mulierum corpore, quam causam à sanguine crasso distinctam facit *Galenus*, quia si liberi sunt & patentes meatus, sanguis crassus effluet, & excernetur, contra obstructis meatibus tenuis sanguis subsistet; fit enim obstructio interdum sine crasso sanguine, quamvis ab ipso frequentissimè sanguinis suppressio contingat; unde *Gal. 5. aphor. 36.* ad excitandas menstruas purgationes duos scopos describit, apertionem vasorum uteri, & sanguinis extenuationem. 7. Addit *Fernel.* conformationis

vitium quoddam naturale, unde visæ mulieres quibus ſanguis nunquam fluxit ab utero, quæ nihilominus benè habitæ, prorſusque incolumes diu vixerunt, & in his non movenda videntur menſtrua, quia horum ſuppreſſione nihil offenduntur; quia tamen ſine menſtruo generare non poſſunt, oportet naturam aſſuefacere, ut ſanguinem in uterum derivet, nam in multis conceptum juvat bis aut ter detractus ſanguis in anno, ſed maximè iis, quibus præ copiâ ſanguinis conceptus impeditur. Verùm cur ad conformationis vitium caſum hunc retulerit *Fernelius*, non video. Si ſanguinem ſuperfluum Natura generat, quem vacuare ob vitium uteri quodpiam non poſſit, neceſſe eſt, ut eo retento corpus malè habeat: Si igitur benè valet mulier, nec ulla patitur menſtrua, potius ut diximus, naturæ proprietas accuſanda eſt, quæ ſanguinem ejuſmodi non generat, aut ſaltem abſumit, ut non ſuperfluat, quàm uteri mala conformatio, quæ non illius generationem, ſed tantùm vacuationem inhibet, quòd ſine periculo ſanitatis fieri non poteſt.

Demum ſupprimuntur menſes laborante utero morbis in ſolutâ unitate, ut ſunt ulcera, abſceſſus, fiſtulæ, & ulceribus ſuccedentes cicatrices, quibus ſi uterus laboret, occludunt ora vaſorum, & ſic menſtrua retinent. Quâ de causâ aborſum vel partum laborioſum ſequitur menſtruorum retentio, ex *Paulo lib. 3. cap. 59.* quia reſeratæ per vim uteri venæ, ita poſtea coaleſcunt & obducunt cicatricem, ut aperiri amplius nequeant; quòd tamen non eſt perpetuum: quin potius rarum eſt, ut plurimum enim poſt abortus, iterum mulieres imprægnantur. Credere autem incolumi fœminâ talia in utero fieri poſſe ulcera, quæ ipſum totum occupent, & iis ſuccedentes cicatrices omnia vaſorum ora obſtruant, mihi videtur difficile, cùm ulcus uteri morbus ſit curatu difficillimus. Levius autem ulcus & minimum, ſi cicatrice obducatur, plurimas intactas relinquit venas, per quas profluere ſanguis poteſt, unde prædicta cauſa mihi non videtur ſatis probabilis.

Tertia retentionis cauſa, eſt facultatis vitium & imbecillitas, Expultrix enim nonnunquam ita eſt debilis, ob partium nobilium languorem, ut ſanguinem redundantem nequeant excernere; quamvis quibuſdam valde imbecillis & morti proximis ſponte ſoluta vidi menſtrua, ſine fructu; Nubilis quædam Virgo unâ aut alterâ ante obitum horâ, menſtruorum vacuationem paſſa eſt; facultatis imbecillitas non minùs cauſa eſt humorum quos continere amplius non poteſt, profluvii, quàm eorundem ſuppreſſionis, ita ut hæc quoque cauſa mihi neceſſaria non videa-

videatur. Ut plurimùm autem suppressio obstructis à crasso viscidoque sanguine vasis contingit.

Externæ causæ quæ internas commovent, sunt frigus externum poros ductusque corporis, & humores condensans, sive aëris sit, sive aquarum, ut nimia mora in flumine, maximè si tunc menstrua procedant, quòd familiare est in quibusdam regionibus lintea in fluminibus lavare. Interdum tamen sed raro, aër fervidus ut in æstuariis, sudores provocando tenuiorem absumit sanguinem, crassiorem relinquit minimè fluxilem; Alimenta crassa viscida, cruda, sanguinem pituitosum gignunt, obstructiones pariunt. Calida quoque nimium & sicca, ut sal, piper, zinziber, aromata, tum partes, tum sanguinem exsiccando, menstrua sistunt. Idem præstant acerba, austera, & adstringentia, quæ ductus coarctant, & condensant humores. Otium, somnusque nimius, humores crassos coacervant, vehementes corporis & animi motus, sanguinem (ut supra diximus) consumunt, sic & vacuationes omnes tum sanguinis, tum aliorum humorum.

Hinc symptomata contingunt gravia & multa, morbique fiunt vel in utero, vel ab utero, præsertim iis quæ nunquam peperere; nam quæ venerem, aut partum expertæ sunt, commodius profundunt menstrua, ob virtutem naturæ, majoremque meatuum libertatem. Huc accedit, quòd vasa uteri illis repleri consueverunt, quòd utilissimum est mulieri ad arcenda symptomata, quæ contingere solent ex suppressione. In utero morbi fiunt, inflammatio, eresypelas, cancer, scirrhus, & in coxis interdum φύματα insanabilia. Ab utero verò in reliquis partibus, *aph. 57. lib. 5.* Propinquæ utero partes primùm maximèque affici solent, ut os pubis, inguina, lumbi, quæ utero compatiuntur ob vasorum communionem, operis societatem, & vicinitatem. Gravius autem eo tempore laborant, quo menstrua fundi solebant, quia tunc humores agitantur quidem, sed non excluduntur, ideoque oppressionem faciunt. Hoc autem tertio mense potissimum accidit, nam per duos à suppressione menses levius adhuc ægrotant, tertio autem quartove mense gravissimam percipiunt offensionem, & damnis augentur. Nam in lumbis sensio gravitatis percipitur, femora difficulter moventur, ob musculorum contumaciam, stupor adest à nervorum compressione, quia spiritus animalis aditu prohibetur. A lumbis per dorsum inhorrescit mulier horrore non critico, sed symptomatico & toto genere præter naturam. *Signa.*

Quin etiam à ſuppreſſione menſtruorum fit in hypogaſtrio tumor; in inteſtinis, ϛρόφος; in ventriculo, apoſitia, pica, malacia, nauſea, vomitus; in corde, palpitatio, lypothymia ſyncopes prænuntia; in pulmonibus, ſpirandi difficultas, phtiſis; in hepate, hydrops. Ut enim nimium ſanguinis profluvium ſpirituum & caloris diſſipatione facit hydropem; ſic ejuſdem ſuppreſſio per caloris nativi oppreſſionem eundem parere poteſt. Deinde ab eâdem ſuppreſſione in thorace & coſtis pleuritis, in cerebro delirium, phrenitis, inſania, melancholia, & ab hac epilepſia melancholica. Sed & inde fit ſuffocatio hyſterica oppreſſis diaphragmate, & reſpirandi inſtrumentis. Præter hæc accedit laſſitudo tenſiva totius corporis, ejusque macies & extenuatio, ſcilicet ex eventu, propter ſanguinis impuritatem quem partes reſpuunt. Scribit *Galenus*, mulierem quandam ſuppreſſis menſtruis extenuatam, in priſtinum habitum reſtitutam fuiſſe ſanguinis detractione. Febres quoque hinc naſcuntur, ſputum ſanguineum, hypochyſis. Sic mulier podagrâ non laborat, niſi ipſam menſtrua defecerint, *aph. 29. lib. 6.* Poſtremò ad hæc accedit, quòd ex diuturnâ ſuppreſſione expultrix officii ſui obliviſcitur, materia ad alias partes curſum inflectit, unde ſecundum *Hippoc.* mulieres quibus per ſex menſes ſuppreſſa ſunt menſtrua, non facilè ad priſtinam muliebrem naturam redeunt, ut Phaëtuſæ præ dolore mariti, in exilium pulſi contigit. Promiſit enim barbam, vox virum ſonabat, non fœminam, nunquam potuit γυναικωθῆναι, ut refert *Hippoc. in Epidemiis.*

Morbus autem facilè ægrotantis relatione cognoſcitur, ſymptomata ſequuntur gravia, præcordiorum, capitis, & totius corporis gravitas, horror inæqualis, corporis jactatio, fœditas coloris, exanthemata, vertigo, ſopor, mœſtitia, dyſouria, urinæ craſſæ, nigricantes, turbidæ, dentium in ſomno ſtridor, ut colligere licet ex *Hipp. 1. de morb. mulier.* Si quæ autem mulier, inquit *Aëtius*, nullâ ex ſuppreſſis menſtruis moleſtiâ, vel totius corporis, vel uteri, vel aliarum partium afficiatur, huic menſtrua purgatione carere naturale eſt. Hic addendi ſunt duo *Hippoc. aphoriſmi, primus 39. ſect. 5.* Si mulier quæ neque gravida eſt, nec peperit, lac habet, huic menſtrua defecerunt, quòd eſt valde rarum, & fermè nunquam obſervatum, potius ſola *Hippocratis* authoritate creditum; nam ſine virili congreſſu lac generari, quòd Natura fœtus nutritioni deſtinavit, non eſt ordinarium. Plurimis deficiunt menſtrua, quibus nullum unquam lac apparuit. Et ſanè cùm lac in ſanis mulieribus genere-

neretur, quomodo retentis per morbificas causas menstruis fiet? Intelligendum id est de serosâ & albicante quâdam humiditate, quâ non solum Virginum quibus menstrua subsistunt morbidas mammas, sed etiam quorundam virorum & puerorum abundare interdum cernere est. Lac ejusmodi non est perfectum, sed serosum & vitiosum, perfectè siquidem concoqui non potest. Secundum *Aristot.* fieri potest frequenti suctu & frictione, ut sanguis in Virginibus ad mammas advocetur. Refert idem in lemno tantam è Capro lactis copiam emulgeri solitam, ut inde fierent colostra. Imo in puellis longè ante mensium eruptionem, lac repertum est. Alter *aphorismus* est *61 ejusdem libri. Si mulieri cessent purgationes, neque febri, neque rigore superveniente, & fastidia cibi accedant, judica ipsam in utero habere.* Horrores fiunt ob refluxum humoris vitiosi, aut frigidioris in partes sensiles, febris ob conceptam putredinem ex humorum suppressione, scribit *Aëtius*, febres continuò comitari suppressos menses; sed hæc, tum *Hippocratis*, tum *Aëtii* sententia, falsa est; multæ enim retentione mensium laborant, quæ nec febricitant, nec gravidæ sunt, vnde libro γυναιμ., horrores & lumborum gravitatem tertio mense sequi scribit, & quandoque febrem, nam reverâ necessariò non adest. Non est igitur ista sententia perpetuæ veritatis. Prædicta autem signa omnibus non adsunt, urinæ enim sæpissimè pallidæ sunt, non nigricantes & rubræ, aliaque signa desunt pro causarum, & temperamenti muliebris varietate.

Causæ autem præcedentes multæ dignosci possunt, ex probâ & improbâ partium corporis constitutione, ex morbis & symptomatibus præcedentibus, signis aliarum partium affectarum, ex vitæ instituto, & aliis id genus, ut si vel totum corpus, aut pars quæpiam nobilis sanguini, vel utero noxam aliquam inferat, ex signis propriis partium affectarum dignosci poterit, ita ut supervacaneum sit de illis copiosius agere.

Si ob uteri vitium contingat, ut si os ejus distortum, perversumve fuerit, si clausum, imperforatum, membranâ obductum, aliove morbo laboret, perpetua adest suppressio, & planè steriles redduntur, & tactu obstetricis videntur posse deprehendi, eruntque prædictorum affectuum signa, ex propriis capitibus repetenda.

Si mulier crassior sit, ab omento os uteri comprimi verisimile est, pinguiorque illa constitutio facilè oculis cerni potest.

Si uterus laborat intemperie, ex suo loco signa desumentur.

Si uterus laboret aliquo tumore præter naturam, aut morbo in solutâ unitate, ulceribus, abscessu, ex propriis cujusque morbi signis dignosci debent.

Obstructio ex prædictis intemperiei frigidæ signis patebit, ac etiam sensu gravitatis circa uterum, ex retentorum humorum copiâ. Dolores erunt in lumbis, & partibus utero vicinis, præsertim instante purgatione menstruâ.

Sanguinis vitium crassities, lentor, visciditas; cognoscentur ex temperamento, ætate, habitu corporis, præcedente victus ratione, excrementis, & aliis crassioris sanguinis indiciis, faciei, palpebrarum, & oculorum color adest obscurior, urina crassa, rubea, interdum subnigra, quòd etiam non est necessarium, potest enim esse albâ tenuis, aut alba crassa, venæ interdum in partibus præcipuè inferioribus distentæ apparent & nigricantes.

Quoniam gravidis suppressio menstruorum familiaris est, solentque ad menses ciendos remedia postulare meretriculæ, ut abortum concilient, ab ingravidatione dignoscetur suppressio. 1. Quia in non gravidis sanguis per venas vagatur, obstructiones, febres, colorisque mutationem parit, corporis adest gravitas sine lacte in mammis, cibi fastidium, lumborum, colli, syncipitis dolor, febres lentæ, urinæ difficultates, nauseæ, vomitus, pica. Prægnantibus autem quamvis quædam istorum adsint, color tamen corporis vividus est, ut in sanitate, aut saltem parum immutatus. Deinde aucto fœtu, paulatim mitescunt symptomata, donec omnino cessarint. Contra, in suppressis mensibus magis in dies augentur perseverante affectu. Post tertium deinde mensem, gravidis motus infantis sese prodit. Fieri tamen potest, ut Medicus etiam hic decipiatur, quòd sibi accidisse in propriâ uxore, narrat *Avenzoar*, quam validis medicamentis cùm purgasset, non excussit tamen fœtum, ut Cap. *de graviditate* dicemus.

Prognostica. SUppressio menstruorum plurima, ut diximus, affert incommoda, sed graviora puerperis, quia lochia non quantitate solùm, sed etiam qualitate peccant. Nec facile est interdum restitantem purgationem menstruam revocare. Scripsit *Hippoc. 1. de morb. mul.* menstrua post sex menses non posse redire, & malum fieri incurabile, obductis jam & induratis meatibus. Attamen legitur *4. Epidem.* historia Ancillæ, cui redierunt menses, qui per septennium fuerant suppressi: & *5. Epid. Gorgia*

giæ uxori in Lariſſa, menſes pariter per quatuor annos ſuppreſſi, revocati fuerunt. *Gal. 6. Epidem. ſect. 3. 29.* mulierem cui per octo menſes menſtrua defecerant, valde extenuatam, detracto ſanguine curavit. Quotidiana demonſtrat experientia prædictam *Hippocratis* ſententiam, non eſſe perpetuæ veritatis. Nullum hàc in re certum judicium dari poteſt, cùm pro variâ ratione ætatis, habitus, temperiei, cauſarum, cæterarumque circumſtantiarum, quædam mulieres facile, aliæ nullâ ratione poſſint ſanari. Imo quibuſdam ſuppreſſio hæc fit naturalis, (ut de *Phaëtusâ* ex *Hippoc.* recitavimus,) quæ muniis ad vitam neceſſariis, & integrâ ſanitate fruuntur, viris ſimiles voce, inceſſu, & aliis actionibus redduntur. His venam bis in anno ſecare non eſſet inutile, ſicut mulieri menſtruis deficientibus ſanguis ex naribus profluens, bonus eſt, vacuato ſanguine redundante, *aph. 33. lib. 5.* Nec *Galen. in com.* reprobat ſanguinis vacuationem, quàm natura in ſuppreſſis menſibus moliri poteſt per vomitum, aut ſedem, his enim non adverſatur, inquit *aphoriſmus Hippoc.* quamvis tutior ſemper ſit, quæ per nares ſit vacuatio. Ejusmodi fluxus bonus eſt, ut ſignum, quia facultatis expellentis robur indicat, & ut cauſa, quia ſanguinem noxium evacuando, plurima mala curat & avertit; quare non inutile eſt venam imitatione naturæ ſecare. Minus autem curatu difficilis eſt ea ſuppreſſio, quæ ſequitur pinguedinem, hæmorrhagiam, aliasve vacuationes, quoniam cauſæ ejuſmodi facilè curantur. Quæ autem contingit ex cicatrice, ſcirrho, contumaci obſtructione, & aliis morbis curæ difficilis, pro morborum ratione facilius vel difficilius curari poteſt, aut incurabilis remanet.

AD curationem conſiderandum primò, non debere menſes provocari iis, quæ à morbo aliquo convaleſcunt, nec iis, quæ à ſuppreſſione nihil incommodi ſentiunt, nec poſt 45, nec ante 14 annum, nec gravidis, nec lactantibus, nec iis, quæ diuturnis morbis extenuatæ ſunt, nec iis, quæ magnam ſanguinis jacturam fecerunt per nares, aliamve partem, iis enim potius victu euchymo & polytropho conſulendum, ut denuo ſanguis bonus generetur. Quod ſi peculiari aliquo vitio uterus afficiatur, removeri prius debet, ne ſanguine ad partem affectam attracto malum augeatur. Pariter ſi aliorum viſcerum prava conſtitutio morbo huic occaſionem dedit, ante corrigenda eſt, quàm menſes moveantur. Sicut ſi adfuerint uteri perverſio, ſcirrhus inflammatio, fruſtra & temere calidis medicamentis, ſanguinem attenuabimus & præ- *Curatio.*

præparabimus. In perverſione ſuffitus aromatum non ducit muliebria, ſed uteri in locum ſuum reſtitutio, ex *Hippocrat. 1. de morb. mulier.*

Si in ſedem aut aliam partem inflectatur, cucurbitulis, frictionibus, unguentis cataplaſmatis dirigatur, & rectus contineatur. Si omentum aut pinguedo comprimens, ſi denſitas uteri accuſetur, ſingulis cauſis propria remedia opponantur: Ut ſi denſus & durus uterus fuerit, fotu, inſeſſu, ſuffitu emolliendus erit, antequam incidentia & aperientia præſcribantur. Si autem abſque inſigni noxâ menſes ſubſiſtunt, ut in pinguibus, in quibus vertuntur in corporis ſubſtantiam, optimum erit venam ſemel bisve in anno ſecare ad deponendam plethoram. Plurimæ quoque dantur ſuppreſſorum menſtruorum cauſæ, quæ non niſi manu chirurgicâ curari poſſunt.

Quibuſdam à bile & calidiori temperie menſes abſumuntur, quòd valetudini quidem non nocet; præſtat enim mulierem ita eſſe corpore exſiccato, ut purgatione non egeat, feruntur quidem ejuſmodi mulieres acriter in coïtum, ſed concipere nequeunt. Propterea gratiâ conceptionis curare eas oportet, cibo & potu humidiore ac copioſiore eas humectare: Ad id præſcribit *Aëtius* carnes juniorum animalium, agni, hœdi, porcelli, avicularum, piſces ſaxatiles, lac, cucurbitam, lactucam, uvas recentes, ficus, pepones, cucumeres, ptiſanæ & halicæ ſorbitionem, vinum tenue & dilutum, non vetus. Vitatis omnibus quæ calefacere & exſiccare poſſunt, ut aëre fervido, motu, tam corporis quàm animi, vigiliis, & aliis ejuſmodi; Sanguinis miſſio convenienter facta, frequens cucurbitularum ſupra emunctoria appoſitio, blanda catharſis, frequens balneorum uſus prodeſſe poſſunt. In tantâ cauſarum varietate frequentiſſima cauſa eſt obſtructio à craſſo lentoque ſanguine, vel pituitâ cum frigidâ uteri intemperie, de quibus ſimul agemus, quia eandem curationem poſtulant. Ergo cùm ſanguis craſſior ſit, glutinoſior, & ad fluxionem ineptus, attenuantia, incidentia, detergentia poſtulat, inter quæ diacalaminthem commendat *Gal. aph. 35. lib. 5.* Demum humoris frigidi purgationem, ad quæ tamen non licet devenire, niſi prius habeatur ratio univerſi corporis, & viſcerum principalium, jecoris, lienis, ſi obſtructione laborent, fere enim viſceribus & venis quæ in uterum pertinent obſtructione liberatis, natura per conſuetam viam ſeſe expurgat. Cùm verò viſcerum & præcordiorum nullâ habitâ ratione, in ipſo curationis initio attenuantia & menſes purgantia præſcribuntur,

impu-

impuritas in primis venis ſtagnans, in altiores venas deducitur, unde curatu difficilior morbus redditur.

Ante omnia victus ratio ſit attenuans & incidens, ut ſunt *radices ſiſari, apii, paſtinacæ*, acres herbæ juſculis additæ, *thymus, hyſſ: majorana, petroſ: puleg: ſerpill: nepeta, aſparagus, raph: cinara, cicera, crocus, aromata*, quæ ex *Hippoc.* menſes provocant; *allia* quoque & *porrum* in aſſuetis, *caricæ, piſtacia, paſſulæ*, panis optimus cumino & aniſo conditus, omne genus volatilium, carnes delicatæ, piſces ſaxatiles, vinum album tenue, cum aromatibus, non omiſſis exercitiis. Multæ aquâ frigidâ, oleribus, fructibus crudis ſeſe ingurgitantes, ſolâ victus ratione in melius permutatâ, curatæ ſunt.

Victu inſtituto habenda eſt totius corporis ratio, cùm morbus non ſit acutus, ſed det inducias. Primum igitur materiam obſtructionis cauſam vacuare expedit purgatione & phlebotomiâ, nam *ſi menſes non eodem ſemper modo, nec tempore prodeant, purgationem indicant eſſe neceſſariam, aph. 36. lib. 5.* Hæc autem perficitur phlegmagogis primum levioribus, deinde poſt humorum præparationem vehementioribus. Spectandumque ſemper eſt excrementi genus pituitoſi, aut melancholici, quòd in ſanguine dominatur, & obſtructiones parit. Primum ergo imperentur clyſteres moderatè calefacientes & carminantes. Per os aſſumantur *catholicum, hiera, pil. de hierâ*, quas *Gal.* maximè commendat, quia prætérquam quòd humores totius corporis purgat, etiam uteri vias aperit propter aromatum permiſtionem. Idem præſtant *diaphœn. pilulæ alephang. de aromat. elect. lenit.* & ſimilia. Poſt levem corporis purgationem, præparandi ſunt humores craſſi attenuantibus, incidentibus, ut *melle roſato, oxymelite, ſyrupo de artemiſ. cum decocto vel aquis hyſſopi, meliſſæ, beton. ceterach*, & aliis ejuſmodi. Poſt præparationem utendum purgantibus vehementioribus, ut *turbith, agarico, diaphœn. hierâ diacoloc. benedictâ, Indo majore, diacarth. pilulis cochiis, de agar. fœtidis, de ſagap.* quibus *melanagoga* & *cholagoga* admiſcentur pro vario humorum dominatu. ℞. *cathol.* ʒ *vj. hieræ picræ* ʒ *j. diaphœn.* ʒ *ij. cum ſacch. f. bolus*: vel diſſolve in *aquis fœnic.* aut *hyſſopi*, addendo *ſyr. de artemiſ.* ℥ ß. ut ex formulis pituitam purgantium repeti poteſt. Vel ℞ *rad. enulæ, fœnic. aſpar. ana* ℥ *ß. polypod. querni, medullæ ſem. carth. ana* ℥ *j. chamæd. chamæpit. omnium capill. artem. hyſſopi, ana M. ß. ſem. fœnic. aniſi, card. citri, cortic. ejuſdem ana* ʒ *iij. flor. ſtœch. primulæ veris, anthos, ana P. j. trium cord. P. ß.* Coquantur ad ℔ j. ß. In colat. macera & coque *folior. ſennæ mundat.* ℥ *iij. aga-*

rici ʒ *vj. mechoacam, hermodact. ana* ℥ ß. *rhab. electi* ʒ *iij. caryoph. nucis moscatæ ana* ʒ ß. *cinnam.* ʒ *j.* Clarificationi adde *sacchari* q. s. *syr. de cichor. cum rheo* ℥ *j.* f. Apozema in sex doses, De quibus illud advertendum jubet *Massaria*, ne exhibeantur quo tempore natura menstruas appetit purgationes, ne aversione humorum ab utero ad alias partes naturæ afferant impedimentum. ℞ *pilul. de agar. & cochiar. ana* ʒ ß. *cum aquâ cinnam. f. pil. 7.* Pulvis mechoacam in jusculo cum herbis aperientibus, vel in decocto cicerum rubr. vel in vino albo, dissolutus, vel ad ʒ j, cum sacch. & cinnam. sumptus, plurimum conferre creditur, sicut & pulvis jalap, cum cremore tartari, vel cum tartaro ipso. ℞ *specier. bened. laxat.* ʒ *ij. jalap, hermod. turbith, diagrid. ana* ʒ *j. cristalli tartari* ʒ *j. cinnam. sem. anisi, macis, ana* ʒ ß *j. sacchari candi* ʒ *iij.* Dosis ad drach. j. Idem præstabit *pulvis sanctus*, vel *Hollandicus*, descriptus in Pharmac. Londinensi.

Repurgatis humoribus, sanguis venit detrahendus. Scribit *Aëtius*, illis solum convenire venæ sectionem, quæ non purgantur ob plenitudinem, unde quidam remedium hoc non probant quoties mulieres ex causis frigidis mensium suppressione laborant, ne per sanguinis missionem totum corpus magis refrigeretur. Plurimi tamen tum veteres, tum recentiores, in hoc affectu quacunque demum de causâ fiat, venæ sectionem maximè commendant. *Paulus* indifferenter omnibus sanguinem mittit, cui consentire videtur *Gal. lib. de curat. per sang. miss.* quæ sententia tutior est, & certior, judicio *Mercurialis*, etiam in causâ frigidâ, quia sanguinem fluxilem & mobilem facere hic intentio est, propterea quocunque in casu sanguis mittatur, id semper obtinetur, sic sanguis torpens fit fluxilis. Et quamvis à causâ frigidâ obstructio contingat, cohibitus tamen sanguis plethoram aliquam parit, quæ non nisi ipsius vacuatione tolli potest. Quo autem è loco sanguis iste mitti debeat, pariter inter Medicos dubium est. *Aëtius* primum è cubito detrahit ad minuendam plenitudinem, arcendam putredinem & febrem, deinde aperit saphenam, aut venam poplitis, siquidem si nondum imminutâ plenitudine inferiores venæ aperirentur, sanguis versus uterum magis traheretur, periculumque erit, ne inflammationem, abscessus, aliosve affectus concitet, aut obstructionem augeat; Contra vetat *Galenus*, ne ante saphenam aperiatur basilica, *Cap. xj. & 19. de sangu, mißione*; nam venarum in cubito sectione, sanguis ab utero retrahitur, menstruæ purgationes retinentur, contrarius sanguini motus inducitur ab eo, quem Natura molitur. Docet enim *Galenus* passim, sectionem vena-

venarum ſuperiorum menſtrua ſupprimere; & locis citatis docet, venas in cruribus apertas plenitudinem à retentis menſibus ortam, vacuare, & præterea menſes provocare: Unde timendum non eſt, ne majore impetu ſanguis fluat ad uterum, & obſtructionem augeat, vel pariat inflammationem, nam vacuatio ex pede, etiam plenitudinem venæ cavæ minuit. Ideo concludendum cum *Galeno*, quicquid *Rufus* apud *Aëtium*, aliique ſentiant, nunquam in hoc affectu venas cubiti, ſed perpetuò venas crurum eſſe ſecandas. Sectio enim ſuperiorum partium, retrahit impetum naturæ ad ſuperiora, ſola autem inferiorum ſectio trahit ad uterum, ſimulque plenitudinem minuit: Quæ celebris eſt, & diu agitata difficultas. Certum tamen eſt quibuſdam in caſibus præcedere debere apertionem venarum cubiti. Obſervavi interdum, ſolùm apertâ cubiti venâ, poſtea ſponte prodiiſſe menſes. Natura enim humorum onere liberata, actiones ſuas liberius exequitur. *Aëtius* qui in ſolâ plenitudine concedit venæ ſectionem, rectè illam in cubito primum præſcribit, quando ſcilicet plethora cauſa immediata eſt, ne ſanguis commodè ad uterum feratur. Sic enim ſublatâ prius iſtâ redundantiâ, optimum erit ex conſilio *Aëtii*, circa ſolitam menſtruorum purgationem, venas crurum aperire, ut ſanguis ad inferiora revocetur. *Primò* igitur in caſu hoc plethoræ, venæ cubiti ſecentur. *Secundò* poteſt menſtruorum ſuppreſſio contingere obſtructo non tantum utero, ſed etiam ſplene, hepate, aliave quapiam parte, & videmus ſolutis ejuſmodi partium obſtructionibus ſæpe redire menſtrua; tunc pariter optimum erit ſuperiores primum venas ſecare, quarum apertio obſtructionibus illis curandis convenit. *Tertiò*, nonnunquam ſuppreſſis menſibus corripiuntur morbo acuto mulieres, ut febre ardente, pleuritide, &c. tunc aperimus venam cubiti, quia ſic morbum juvamus, & vacuamus multitudinem ſanguinis collecti ob menſes retentos. In cauſâ autem frigidâ non cenſemus celebrandam phlebotomiam cubiti, quæ propriè plethoram vacuat, neque etiam crurum, niſi corpore prius probè repurgato, humoribus attenuatis, & vaſis apertis, ut commodè poſtea ſanguis per iſtas inferiorum venarum ſectiones poſſit effluere. Secari autem debent, quo tempore Natura vacuationem iſtam molitur, tunc enim commodè adminiſtrantur præſidia, quæ hunc Naturæ impetum juvare poſſunt, & ſic Naturam habemus inſtituti noſtri adjutricem, ut ſi novâ Lunâ purgatio fieri ſoleat, hoc tempore vena ſecetur; ſi plenâ, plenilunium expectemus. Nonnulli decreſcente Lunâ, ſanguinis miſ-

ſionem probant, quia fere hoc tempore ſoleant mulieres eſſe menſtruales, ut ſentit *Ariſtot. 2. de gen. anim.* quoniam hoc tempus frigidius eſt & humidius ob Lunæ defectum. At quia in mulieribus menſtrua nullo certo dierum circuitu definiuntur, ſed quolibet tempore contingunt, *Gal.* tempus idoneum mittendi ſanguinis ſtatuit eſſe triduum vel quatriduum ante conſuetum circuitum, quocunque demum tempore accidat, tunc enim facilius promovetur impetus naturæ. Contra ſcripſit *Paulus* die decimâ poſt præteritam purgationem ſanguinem eſſe mittendum, quòd eſt abſurdum; Ineptum ſiquidem illud tempus eſt deficiente naturæ conatu, quicquid *Mercurialis* reſpondere conetur.

Major autem vel minor ſanguinis copia tollatur pro ratione plenitudinis, ætatis, temperamenti, temporis anni, & ſimilium circumſtantiarum, ita ut nullo modo certa menſura poſſit definiri. Refert *Galen.* hiſtoriam mulieris, cui per octo menſes ex ſuppreſſione menſtruorum valdè extenuatæ, tribus vicibus ſupra tres ſanguinis libras extraxit, atque illam breviſſimo tempore in priſtinum habitum reſtituit. *Paulus* ita menſuram definit, ut neque ſupra duas libras, neque infra unam mittatur: quamvis reverâ ut diximus, ob ægrotantium & circumſtantiarum varietatem conſtitui menſura hæc non poſſit. *Galenus lib. de ſang. miſſ.* monet candidiores mulieres malleolorum ſcarificatione maximè juvari, quia paucum tenuemque habent & aquoſum ſanguinem, venas exiles, quæ vix in illis reperiri poſſunt, præcipuè ſi obeſæ fuerint, ideo probè illis ſanguis fluere nequit. Venâ autem in cubito apertâ, multi ſpiritus evacuantur, ideoque contentus eſt crurum ſcarificatu, frictionibus, vinculis dolorificis, cucurbitulis ſuper femora impoſitis, quæ ſufficiunt, attrahendo ſanguini in uteri vias, modo probè antea fuerit præparatus. Nigriores autem craſſiorem magis ſanguinem congregant, venas habent latiores, ideo ſectione venæ magis juvantur, quàm ſcarificatione crurum: Mulieribus tamen candidiſſimis, venam cum fructu ſecandam imperavi. Sanguinis autem miſſio, ex *Galeno* partienda eſt, nec unâ vice, ſed pluribus ſanguis mittatur, ſive vena incidatur, ſive malleoli ſcarificentur, ita ut uno die ex uno crure, poſtridie ex altero mittatur, ſic enim minus affertur viribus detrimenti, & ſanguis facilius, citiusque fluit & movetur.

Præterea multi hæmorrhoidum apertionem probant, quaſi hâc ratione ſanguis pariter ad uterum attrahatur. Verùm hoc modo ab utero fit derivatio, non autem ad ipſum attractio; docet enim *Gal. lib. de cucurb.*

curb. sanguinem ad hæmorrhoidas irrumpentem, commodè per uterum derivari. Adde quòd ex Anatome constat, inter venas uteri & hæmorrhoidas nullum adesse consensum.

Huc quoque pertinere videntur cauteria, quæ cruribus aut coxis inusta, multi volunt ad provocationem mensium esse valdè accommodata, ut per ista ulcuscula superflui ichores continuè vacuentur, & humorum cursus ad inferiora dirigantur. *Massaria* tamen non probat, siquidem hæc ulcera potius ab utero derivant quàm attrahunt ad uterum; & *Galenus* inter causas suppressionis, memorat ulcera, quæ sanguinem ab utero revellunt aut derivant.

Cucurbitulæ quoque tam scarificatæ quàm siccæ, coxis & cruribus admotæ, frictiones, vincula dolorifica, & fomenta partium inferiorum sanguinem deorsum trahunt ad uterum, propterea etiam commodè possunt usurpari.

Attractus sanguis, ut vacuetur aperientibus, utendum, quæ calore partiumque tenuitate crassa attenuant, viscida detergent, obstructa reserant, expultricem stimulant, quibus ante venæ sectionem & lenitam alvum nunquam est utendum, ut advertit *Mercurialis*, quia dum venæ adhuc obstructæ sunt, sanguisque minus mobilis, calida hæc humore agitant, & ad loca obstructa perducunt, sicque morbum augent. Hic notandum est ex *Galen.* quæ provocant lac, menses, & urinam inter se convenire, sunt enim calida, sed gradibus differunt. Lac provocantia, calida quidem sunt, sed non sicca. Quæ provocant menses, sunt calida, & parum siccant: Diuretica verò calida sunt & sicca. Omnia hæc provocant urinas; priora duo menses, sed postrema tantùm urinas, non menses, nec lac. Scribit *Gal. 5. simpl.* diuretica non movere menses; quæ sententia est absolutè falsa: nam *meum, azarum, fœnicul. petros.* & urinas & menses movent, ex ipso *Galeno*. Deinde menses non moventur ulla peculiari medicamentorum vi, ignotum enim est sanguinis catharticum, sed tantùm per accidens, quæ sanguinem attenuant, vasorum obstructiones referant, facultatem irritant, hinc fit, ut omnia talia utrumque præstent, & urinas & menses moveant, quia sanguinem colliquant, agitant, quam difficultatem *Massaria* & *Mercurialis* solvere conati sunt, sed malè; nam revera idem medicamentum utrumque præstare potest.

Menses igitur moventia talia sunt, quæ uteri obstructiones & vasorum oscula referant, sanguinem attenuant, suntque calida *2. vel 3. sicca*

primo, vel secundo gradu, substantiæ mediocris, in quorum numero multa diuretica recensentur: Tum addenda dulcia quibus gaudet uterus, & quæ proprietate uterum respiciunt. Sunt autem multiplicia partim simplicia, partim composita, partim interna, partim externa; Clementia primum initio curationis adhibenda, ut *rad. aperientes, adiant. ceterach, Mercur. flores hyper. hyss. oxymel Galeni, &c.* Mediocriter movent, *calendula, melissa, thymus, aromata, &c.* inferius describenda. Valentissima autem nec sine judicio, nec temere usurpanda; ut *bryon. cucumer. agrest. elat. elleborus uterque, sabina, grana dracontii, hermodactyli*, quæ ex sententiâ *Mesues*, non habent par remedium in movendis mensibus, & fœtu mortuo. *Castoreum* quoque à *Gal.* laudatur, à ℈ j. ad drach. ß. *trochisci de myrrhâ, pilulæ Rufi, theriaca, mithridat. triphera Persica sine opio*, quæ ad roborandum uterum frigidiorem & humidiorem, nec non movendos menses, postremum locum non obtinent. Sed cavendum, ne calidiorum usu sanguis crassior evadat, ut monet *Galen. 6. de san. tuendâ.* Post hæc non prætermittendus potus aquarum thermalium calidiorum, sulphurearum, nitrosarum, bituminosarum, quæ calefaciendi, abstergendi & aperiendi vim habent. Aluminosæ autem, ferreæ, & aliæ quæ refrigerant & adstringunt, nequaquam conveniunt. *Diacalaminthes* præ cæteris à *Galeno* commendatur.

MENSES MOVENTIA SIMPLICIA ET COMPOSITA.

RAdices; *Aristoloch. utriusque, rubiæ tinctorum, valer. cyperi, ireos, gentianæ, azari, costi, bryon. asparag. oxylapat. cucum. agrest. enulæ, mercur. Angel. eryng. sesel. raph. dictamni, smyrnii, lilior. pœon. acori, petros. apii, fœnic. centaur. majoris, hemerocallis, ligustici, calami aromat. pyrethri.*

Folia; *Arthemis. Mercurial. matric. braßicæ rubræ, nepet. sabinæ, calamint. ment. puleg. orig. rutæ, abrot. prasii albi, dictamni, cretici, fœnic. capilli Vener. parthen. hyss. Satur. serpilli, smyrnii, thymi, trifolii odorat. polii montani, scordii, meliss. betonicæ, lauri, sampsuc. ferulæ, crithmi, chamedryos, chamepytios.*

Semina; *Seseleos maßil. anisi, dauci, fœnic. rutæ, ligust. carui, apii, cicer. rubr. pœon. ocymi, rubiæ, junip. smyrnii, mei, baccæ lauri, amomi, viticis, lupini, nigellæ, cumini, sileris montani, erucæ, nasturt.*

Flores; *Matricar. chamem. sambuci, calend. hyperic. sampsuc. stœchad. anthos, lavend. salv.*

Ex Animalibus; *Castor. testes equor. uterus caprarum, moschus, sperma Ceti.*

Aromata; *Crocus, cinnam. zinzib. ambra, piper, malabat. calamus odoratus, cardam. costus, schœnant. nux moschata, macis, hermodact. galanga, zedoar. garyophylli.*

Gummi; *Myrrha, assa fœtida, opopanax, sagap. galban. styrax, bdellium, ammon. lacca, thus, benjoinum.*

Lapides; *Borax officinalis, bitumen, succinum.*

Aquæ; *Arthemis. puleg. calam. beton. fœnic. apii, hyssopi, calend. melis. menthast.* & reliquarum herbar. prius descriptarum. *Aqua cinnam. cœlest. oleum macis chymicum, anisi, sabinæ, de nuce moschatâ, caryoph. origani, succini, gagatis.*

Syrupus; de *prasio*, de *arthem. capilli vener.* de *hyss.* de *stœchade*, de *quinque radicib. oxymel simplex & compositum.*

Conservæ; *Anthos, capilli Vener. helenii, eryng. cortex citri conditus, Zinziber conditum.*

Electuaria; *Theriaca, mithrid. triphera persica sine opio, diamb. diaireos, diacalam. aromat. rosat. dianthos.*

Trochisci; de *myrrha, pilulæ de sagap. Rufi, Trochisci de Eupat. de cappa-rib. de laccâ.*

Externa; *Olea & unguenta emollientia*, suo loco à nobis describenda: & præterea, *Laurinum, de castor. de junip. chamamel.* Insuper, *laurus, parthen. iris, puleg. scord. melissa*, in insessu; *lilium* assum cum rosaceo tusum, vulvæ subditum, *sampsuchus* in pesso, succus *arthemis.* cum myrrhâ subactus & admotus, radix *rubiæ* majoris subdita, & quæ interius sumuntur, exterius juvant.

Quæ prædicta in varias aptari possunt medicamentorum formas. De quibus id rectè monent quidam, ut in majori sumantur copiâ, quoniam illorum virtus in viâ hebetior redditur. Deinde illo potissimum exhibeantur tempore, quo Natura movere appetit, maximè post usum balneorum, vel fomentationum, vel inunctionum, quia sic emollitis uteri vasis, assumpta sese altius insinuant remedia. Fiant ergo Julepi ex syr. *de artem.* ℥ *ij. syr. de 5 rad. bizant. ana* ℥ *j. aquar. apii, fœnic. matric. ana* ℥ *iiij.* fiat Julep in tres doses. Sed decocta præferenda aquis stillatitiis. ℞ *decocti puleg. calam.* ℔ *j, mellis* ℥ *iij.* Misce, fiat melicratum. In pituitosis optimum est per aliquot dies decoctum *guaiaci*, cui additum sit parum *dictamni cretici*, quòd usurpetur sine ullâ sudoris provocatione.

De-

Decoctum eryngii prodesse creditur. ℞ *rad. petros. fœnic. rubiæ*, *corticis capp. tamarisci*, *enulæ ana* ʒ vj, *dictamni albi*, *rad. pœon. bistortæ ana* ℥ ß, *dictamni cretici* M j, *pimpin.* M ß, *omnium capillar. ana* P j, *artemis. majoran. thymi, orig. melissæ, hyssopi, hyper. ana* M ß, *cicer. rubr. sem. anisi, fœnic. sileris mont. pœoniæ ana* ʒ j. Coq. & aromat. *cinnam.* ʒ iij. fiat Apozema, addendo *syrupum de hyssopo*, & de *artem.* ℞ *castor.* ʒ j. *diss. in vino hippocratico*, fiat haustus. Sequens commendatur à *Paracelso*. ℞ *liquoris puleg. artem. ana* ℥ iij, *vini correcti* ℥ vij, *de liquoribus splenis castrati bovis* ℥ j. M. Dosis sit ℥ ß manè & vesperi. Vel ℞ *alcohol vini* ℔ iij, *fol. anth. macis, lavend. ana* ℥ x, *cubebar. caryop. cinnam. ana* ℥ ij, *mastic.* ℥ ß, *styracis utriusque* ʒ ß, *doronici* ʒ iij. Reduc in septimũ alembicum. Post ℞ *fol. auri* N. xx. *margarit. granat. rub. ana drach.* j. ß. Digere per mensem. Hujus olei guttæ tres, quatuorve dentur cum vino malvatico, vel aquâ salviæ, aut majoranæ. Valet ad retentionem menstruorum, partium dolores, tollitque suffocationem. Sed credo, solam aquam distillatam absque auri & margaritarum additione sufficere, sicut & Elixir vitæ majus, & minus Quercet. Mulieres quædam utuntur conservâ *Brrrag.* dissolutâ in vino albo tenui, quæ lochia quoque ciet, quòd scio esse falsum. Optimum est imperare decoctionem *cicerum rubror. coctorum cum rad. petros. foliis puleg. borrag. thymi*, & cum modico butyro fiat Jusculum, cui pulverem *cinnam.* & tantillum *croci* possumus inspergere, ex *Hollerio*. Vinum quoque album Hippocraticum admodum utile est. ℞ *decocti sem. junip.* ℥ iij, *syr. de artem.* ℥ j ß, *trochisc. de prasio drach.* ß. Fiat dosis, quæ iteretur per aliquot dies. *Myrrha* ad nucis avellanæ quantitatem sumatur cum vino albo, vel *trochisc. de myrrhâ drach.* j, cum vino Hippocrat. vel hydrom. per tres continuos dies manè instante mensium periodo. *Semen pastinacæ sativæ*, cum vino potum, menstrua mirè provocat. Item decoctum *rosmarini* & *florum aridorum leucoji*, mirum in modum prodesse dicitur; Item *radices angel.* cum *flor. lavend.* in vino decoquantur. Sequens probatur ab *Aëtio*; *Cancrum fluviatilem in vinum conjectum suffocato, dein vinum id meracum calefacito, & totum bibendum dato*, *Cancer* ipse suffocatus comedatur, cui remedio non est fidendum. *Mercatus* probat fermentum magnitudine *avellanæ*, cum *croci* ℈ ß, & *sacchari* s. q. singulis diebus sumptum, quòd etiam est incertum & falsum. Pulveres omnium maximè probat *Galen.* ut faciliùs penetrent, ut pulverem ex *nepetâ puleg. dictamno* & *sabinâ*, qui dari potest cum *hydrom. Fernel.* dat pulveris *cass. fistulæ drach.* j, cum *vino albo*, diluto *aquâ hyssopi*.

Hipp.

Hipp ipſe *lib. de nat. mulieb.* cantharides avulſis capite, alis & pedibus pulveriſatas exhibet cum *mulsâ*, vel decocto *apii, cumini, aſparagi*, quòd tamen valdè periculoſum eſt ob ſummam illarum acrimoniam, & ulcerandi vim. Ideo tutius aliis utemur: ℞ *pulveris ſabinæ, ariſtoloc. dictamni, granorum junip. baccarum lauri ana drach.* ß, *cinnam. drach. ij*, *trochiſci de myrrhâ* ℈ *iiij*. F. pulvis, cujus doſis ſit drach. j, ex cochleari, vel cum ſyr. capilli vener. de artem. vel hydromelite. Addi poterit pulvis chalibis præparati, quo ſolvi contumaces viſcerum obſtructiones, capite proprio dicemus. ℞ *ſpicæ, croci, trochiſc. de myrrhâ, dictamni ana* ʒ *j*. fiat pulvis pro tribus doſibus ſumendus cum vino albo, & ſucci Ireos noſtratis ℥ j. ℞ *trochiſc. de abſynt. & de rhab. ana* ʒ *j*, *de myrrhâ* ℈ *iiij*, *artem. cinnam. ana* ʒ *j*, *limat. chalibis præparatæ* ℥ ß, *ſacchari* ad pondus omnium, fiat pulvis; vel addendo *theriacæ* aut *mithridat. ana* ʒ *j*, *conſervæ borrag. & anthos, ana* ℥ *j*; fiat electuarium, cujus doſis ſit ad quantitatem avellanæ, manè ſubſequente forti deambulatione. *Quercet.* laudat ſequens: ℞ *milii Solis, aniſi, viſci quercini, ana* ʒ *iij*, *dictamni* ʒ *j*, *croci* ℈ *j*. Contundantur omnia ſimul, fiat pulvis, qui maceretur horis 24 in vino albo generoſo, dein parum bulliat. Doſis ſit ad ℥ iiij. Prodeſt etiam ad excludendum fœtum mortuum, quòd ſcio eſſe falſum. ℞ *trochiſc. de myrrhâ* ʒ ß, *cinnam.* ℈ *j*, *caſtor.* ℈ ß: fiat pulvis, qui cum ſyr. de artemiſ. & vini generoſi albi, ana uncias duas, poterit exhiberi. Sunt tamen hi pulveres ingrati, ideo prioribus potius utendum. Si ſuppreſſis menſibus conceptus ſuſpectus eſt, quidam laudant ſequens. ℞ *caſtor. ſem. aniſi, apii, ana drach. j*; trita cum vino diluto dentur. Si gravida erit, fœtum calefaciet & roborabit, ſine noxâ; ſed ſi mulier non concepit, menſes movebit. Sed tamen credo, ex hoc pulvere in muliere gravidâ impendere periculum abortus. ℞ *conſervæ bugloſſi, rad. eryng. cond. ana* ℥ *j* ß, *triphera magna ſine opio, trochiſc. de myrrhâ, ana drach. ij*, *theriacæ, pulveris aromat. roſ. ana drach. j*, *diarhod. abbatis*, *drach. j* ß, *caſtor.* ʒ ß, *ſyr. de artem.* q. ſ. fiat opiata, ſumenda ad quantitatem avellanæ, ſingulis diebus manè. Simili ratione in varias formas aptari poſſunt medicamenta huic rei dicata. Quædam mulier cæteris irritis, nuces moſcatas combuſtas cum pane & butyro ſumpſit, & benè valuit. *Alexius* ſequens commendat: ℞ *ſucci ſabinæ* ℥ *ij*, *cinnam. pulveris* ʒ *ij*, *croci* g̃ *iiij*, *aquæ raphani* ℥ *ij*, *ſacchari parum*; fiat potio in duas doſes, quæ menſes mirè provocat, ideò cavendum ne detur prægnanti. *Faventinus* pariter laudat ſequentia. ℞ *aquæ pimpin.* ℥ *iiij*, *croci* g̃ *ij*, *ſacch.* ʒ *ij*; fiat potus pro unâ vice.

℞ *boracis mineralis drach.* ij, *caßiæ ligneæ* ℈ ij, *croci* ℥ iij: Pulverisentur & diluantur aquâ matricariæ, fœtum mortuum expellit, provocat abortum, juvat partum. Solus usus aloës lotæ, cum succo artemisiæ convenit, quia aperit venas.

Sed præterea in hoc affectu vomitoria validiora conferunt, ut *azarum*, *antimonium præparatum*, *helleborismus Heurnii*, *Mercurius vitæ*; ab iis tamen cavendum est in principio, nam ob pertinaces viscerum obstructiones, non facilè educuntur humores ab emetico. Sed post venæ sectionem, blandiorem catharsin, & usum quorundam aperientium, utilissimus erit illorum usus, pituitam enim bilemque crassam trahunt, ventriculum expurgant, qui sæpissimè istis obstructionibus dat originem, aut saltem eas fovet.

Extrinsecus autem plurima conveniunt, primum lotiones & balnea, tum naturalia ex aquis thermalibus calidioribus, vel artificiosa ex congruis medicamentis, quibus tum mulieris crura lavari, tum fotus, tum insessus fieri possunt. Fiant autem ex *rad. lilior. cyperi, cucum. agrest. ebuli, aristoloc. ireos, gentianæ, azari, ciclam. bryoniæ, valer. dictamni, rubiæ tinct. althеæ.* Ex *foliis malvæ, artemis. matricar. nepetæ, hyss. abrot. calam. puleg. prasii, major. salv. fœnic. valerian. rosmar. baccis lauri, junip. florib. hyper. chamæm. meliloti*, & aliis ejusmodi, in vino albo & aquâ decoctis. Ex quibus pluribus decoctis, balnea quoque parari possunt; herbæ autem & radices, sacculo magno includantur, super quem dum lavatur, sedeat. Hæc provocant menses, quia totum corpus calefaciunt, crassiores humores venas obstruentes colliquant, vasa ad uterum pertinentia dilatant & aperiunt, dum modò nullus aut exiguus ab illis sudor excitetur. Post fotum & balneum, statim in exitu, aut etiam in ipso, assumat decoctum *cicerum rubrorum*, aut aliquod ex supradictis, quia relaxatis calore vasis, facilius postea aperientia corpus pervadunt. Partes autem inferiores & utero adjacentes, liniantur *oleo lilior. irino, aneth. lauri, nard. junip. moscat.* additis *zibeto, opopan. myrrhâ, axung. anser. azaro, caryoph. succo matricar. puleg.* ex quibus cum *cerâ* sufficienti, fiat unguentum. Unctionis tempore, *vinum album*, aut *aqua vitæ* adjici potest. Laudantur olea de *ben.* de *castor.* Sunt qui genistæ floribus dimidium vas implent, oleum *chamæm.* superfundunt, obturatum vas fimo sepeliunt, aut in furno calido reponunt, sinuntque effervescere, quo oleo inguina inungunt, & pessulos madefaciunt. Conveniunt quoque unguent. de *artanitâ*, oleum de *piperib. Philosophor.* ℞ *olei lilior. de cappar. ana* ℥ j, *butyri recentis*, *medullæ*

medullæ cruris vituli ana ℥ ß, *ammon. myrrhæ ana* ʒ j, *castorei* ʒ j, *pulver. croci, spicæ. sabinæ ana* ʒ ß, *ceræ parum*, fiat unguentum. Potest quoque fieri inunctio ex theriacâ veteri, vel mithridatio succo Mercurialis dissolutis. Trotula probat sequens catapl. ℞ *tanacet. trifol. bituminosum, artemis.* frixa cum butyro, impone umbilico. *Aëtius* cataplasma facit ex *hordeacea farinâ*, cum *artemis. amaraco, iride*, aut alio simili; addito *melle, vino odoro*, vel *oleo* aliquo calefaciente, ut *amaracino, irino, anethino*; sicut & sequent. ℞ *farinæ hord. elat. myrrhæ, galbani, ana* ʒ iiij, *foliorum rutæ recent.* ʒ ij, *fellis taurini, q. s.* lumbis & imo ventri imponatur. Potentius erit, si *farina lupinorum* loco *hordeaceæ* addatur.

In uterum quoque fieri possunt injectiones per metrenchytem, ex prædictis decoctis, modò vitentur acriora, imò post illarum usum utile erit injicere decoctum aliquod leniens ex *hordeo, violis*, & parum *hydrom.* vel ex *sero lactis*, & similibus. Non est autem credendum, injectiones in ipsam uteri cavitatem penetrare, internum enim uteri collum perpetuò connivet, nec nisi rarò aperitur, propterea injectiones istæ non nisi qualitate suâ aperiente, propter viciniam calefaciendo operantur. Fieri possunt ex decocto, vel ex solo *succo mercur.* depurato, in quo parum *benedictæ laxat.* fuerit dissolutum. Vel ℞ *ficuum pinguium* ℥ ij, *origani, artemis. matric. sabinæ ana* M ij. Decoq. colat. ℔ ß; adde *succi ebuli*, ℥ j ß, *croci* ʒ ß, *theriacæ veter.* ʒ j ß, *castor.* ℈ j; fiat injectio. ℞ *rad. lilior.* ℥ j, *altheæ, hyss. puleg. calam. rutæ, artem. ana* M j, *caulium rubror.* M ij, *tria capita porri*; fiat decoctio: in cujus ℔ j, adde *myrrhæ sagap. ana* ʒ j, *castor.* ℈ j, *theriacæ diatessaron* ʒ ij, *oleor. lilior. irini ana* ℥ j. Misce, fiat injectio. Clysteres ipsi alvo injecti, quia utero incumbunt, illumque fovent, non sunt inutiles, modò ex prædictâ materiâ fiant.

Pessaria quoque in eundem usum finguntur, quæ sunt veluti suppositoria ex variis medicamentis lanâ, bombice, vel re simili exceptis, confecta, ut commodè in pudendum muliebre possint imponi. Solent autem panno serico involvi, ne immediatè tangant uterum, & acrimoniâ suâ ardorem, inflammationem, aut exulcerationem pariant, quæ si etiam contigerint, optimum erit lacte aut sero, aut decocto leniente cum butyro partem abluere, *aqua rosar. plantag. album ovi, oleum rosf. violatum*, panno excepta imponi possunt collo uteri: Unguentum quoque album camphoratum ad id proderit. Sunt autem pessi variæ figuræ; quidam instar glandis brevioris, vel potius noduli confecti, virginibus dicati, quæ dicuntur nascalia. Quidam verò oblongioris sunt figuræ,

& crassiores, ut ad internum uteri orificium penetrent, filoque annectuntur, ut immissi iterum extrahi possint. Antiquissimus usus est *folii, radicis*, & *succi mercur.* quæ vel sola, vel aliis admista, possunt administrari. Itaque licet solam radicem & folia trita supponere, vel succum extrahere, eumque vel solum, vel cum aliis medicamentis linteo excipere. Quidam *succum sabinæ*, aut *chelidon.* aut *mercur.* decoquunt cum *melle* vel *cerâ*, ad emplastri consistentiam, ex quo postea Pessos effingunt. Alii parant ex *rad. malvæ*, ac *fœnic.* inunctis *melle*, & respersis pulvere *sem. nigel.* & *aristoloch. rotundæ.* Quædam non sine ratione indunt *allium contritum*, & *oleo spicæ* inunctum linteo involutum, uterum enim calefacit, & ejus obstructiones aperit. Validiores fient, si addantur *theriaca*, *mithridat. theriaca diatessar. hiera simplex*, *compos. trochisci de myrrhâ, iris., aristol. ciclam. castor. semen rutæ*, *nigellæ*, &c. Ex quibus fit pulvis, qui exceptus *terebint.* vel *melle cocto*, cum *ladano*, *styrace*, *calamitâ*, sindone vel linteo rarissimo involutus, immittitur in pudendum. Cavendum tamen ne à validioribus ulceretur, quòd ex doloris sensu in transitu urinæ & congressu viri persentitur. ℞ *olei moscatelini, vel alterius ad id idonei* ℥ j ß, *pulveris gentianæ drach. ij.* cum bombace moschato in iis madefacto, fiat Pessus. ℞ *tripheræ sine opio* ℥ ß *mithridat. theriacæ diatessaron ana drach. iij. castor. drach. j.* cum succo rutæ, & bombace moschato, fiat pessar. ℞ pessarium commune, intingatur *succo mercurialis*, vel *arthemis.* deinde aspergatur pulveris *ellebori & trochisc. albandal ana* ℈ ß, *pulveris gentianæ, dictam. trochisc. de myrrhâ ana* ℈ j. contineatur in pudendo per horam unam, etiam secundinam & fœtum mortuum educit. Valentius erit, si fel addatur, sive tauri, sive alterius animalis. ℞ *pulveris castor.* ʒ j ß, *moschi gr. iij*, *pulveris nigellæ*, *gentianæ*, *myrrhæ ana* ʒ j, *olei sambucini & terebint. ana q. s.* Misce, & cum lanâ fiat pessarium longum. Quæ autem fiunt ex *ammon. opopan. galbano*, *sagap. coloc. euphorb. nitro*, prædictis valentiores sunt ad menses evocandos, maximè addendo *ciclam.* cujus radix adeò potenter menses ciere dicitur, ut etiam si super eam fœmina transeat, eos evocet, si credere fas est. ℞ *sabinæ* M ß, *nepetæ* P j, *trochisc. de myrrhâ*, *stiracis*, *calamitæ ana* ʒ j, *rubiæ tinctor.* ʒ j, *ladani* ℥ ß, *gummi ammon. in vino soluti* ℈ ij; trita cum s. q. mellis, fiant duo pessi. *Cochiæ minores* collo uteri inditæ, menses optimè provocant. Coque in allio aloën hepaticam in cineribus calidis, & cum sapone fiat pessar. ℞ radicem unam *tapsi barbati* cortice detracto, in formâ suppositorii, illine eam *trypherâ magnâ* & *scammon.* ℈ ß, addito

oleo

oleo anethino. ℞ *pulver. bened. aut hieræ ana* ℥ j, cum melle fiat pessarium. ℞ *fellis taurini* ℥ j, *azari, agar. cinnamom. granor. dracont. pulveris sabinæ ana* ʒ ij, *succi artem.* ℥ j. Coquatur succus cum pauco melle, & simul permista, reducantur in unguenti consistentiam. Fortius erit, si *nigella* & *sal nitrum* addantur; & ex hoc unguento cum *bombace* vel *lanâ* fiat pessus. *Aëtius alumen scißile* interdum addit, ut, ℞ *myrrha* ʒ j, *alum. scissilis* ʒ ij, cum vino terito, & rosaceo admisto subdito. Idem commendat fæcem vini antiqui succo apii exceptam, & subditam, lilii radicem tostam, artemisiam, & nitrum oleo irino exceptum & subditum, eadem inquit die, sanguinem prolicit. Plura apud eum reperire licet ex prædictis simplicibus composita, quæ addere propterea inutile est. Valentissimum est *elater. ciclam.* vel *colocynthis*, cum *caricâ pingui, melle* & *farinâ loliaceâ.*

Suffitus quoque ex aromatibus, muliebria ducit, & ad alia quoque foret utilis, nisi capitis gravitatem faceret, *aphor. 28. lib. 5.* excitant enim facultatem uteri quasi sopitam & sepultam, humores attenuant, & fluxiles faciunt, meatus laxant & amplificant, modò ut docet *Galen. in com.* suppressionis causa non sit uteri inflammatio, eversio, aut alia similis causa, sed sanguinis crassities, vasorum obstructio, substantiæ uteri densatio. Suffitus autem vel sunt humidi vel sicci. Humidi fiunt ex decocto calente, cujus vapor per embotum utero excipitur. Prædictorum igitur decoctorum fumus utilissimus est, sicut & pimpinellæ decoctæ vapor, à quibusdam valde laudatur. Sed *Hippocrates* maximè commendat aromata, inter quæ *lib. de morbis mulier.* plerasque herbas & radices commemorat, quæ etsi sint boni odoris, non tamen comparari possunt nostris aromatibus, ut sunt *gingiber, cinnam. cyperus, lignum aloës, caryoph. benzoin. moschus, ambra, zibetum.* Olim inter aromata primum locum obtinebat *myrrha*, quæ apud *Ægyptios* nomen dedit omnibus unguentis, ut narrat *Athenæus 15. Dipnosop.* Certum autem est, aromata quia calida sunt & sicca, subtilium, tenuiumque partium, & sursum feruntur, vaporesque non solùm de sese mittant, sed etiam ex humoribus eliciant, ideo caput replere, illiusque gravitatem inducere. Tamen mulieribus ex menstruorum vacuatione multo majus beneficium contingit, quàm ex dolore capitis detrimentum. Imò cùm sæpè menstruis suppressis dolores capitis contingant, suffitu aromatum, quia vitium illud aufertur, par est simul adimi capitis gravitatem. In aliis autem uteri affectibus ideo suffitu abstinere videtur *Hippoc.* quia comparandum non est bene-

neficium cum detrimento capitis, quòd inde producitur. Quamvis autem odor ad os & nares per uterum pervenire possit, ob maximum consensum uteri cum syncipite per venas, tamen si uterus sit densior, non percipietur odor neque ore, neque naribus, tuncque sterilis judicatur mulier ab *Hippoc. aph. 59. ejusdem libri.* Ut lib. περὶ γυναικ. *allium* subdit, cujus odor si ad os & nares pervadat, sterilitas à marito proficiscitur. Vasa enim aperta indicant, sic odores venas subeuntes, sanguinem turbant & commovent, quò fit, ut caput repleatur, & grave fiat. Sicut hepar dulcibus gaudet, eaque ad se potenter trahit, quibus postmodum læditur, ita cerebrum gratos odores diligit & trahit, & illis oppletum læditur. ℞ *radic. valer. ireos florent. fœnic. angel. ana ℥ j, cort. citri sicci ℥ ß, fol. artem. major. hyss. thymi, orig. puleg. tanaceti, absynt. ana M j, ligni aloës ʒ ij, spicæ nardi ʒ ß, sem. anisi, dauci, cumini ana ℈ ij.* Fiat decoctio, cujus vapor per embotum excipiatur utero, sed cavendum ne nimis caleat, quòd est mulieribus valdè noxium & dolorificum; est enim pars sensus eximii. Sicci autem suffitus fiant ex *mace, baccis lauri, junip. myrrha, nigellâ, caryoph. benjoino, caßiâ ligneâ, opopan. sagap. styrace, succino, aristoloc.* & similibus aperientibus in pulverem redactis, & igni injectis: ut, ℞ *zinzib. folior. lauri, sabinæ, ana*, fiat pulvis pro suffitu. Vel ℞ *myrrhæ, thuris, storacis ana ʒ j ß, cumini, acori, cinnam. galangæ, macis, aristoloch. longæ, azari, ana drach. j.* Fiat pulvis, cujus portio carbonibus injiciatur pro suffitu, addi possunt *galbanum* & *ammoniacum.* Vel fiunt trochisci, ut ℞ *galliæ moschatæ grana vj, cinnam. caryoph. ana drach. j, myrrhæ, bdellii, benjoini, semen nigellæ, ana drach. ß, thuris, castorei, styracis, galbani, ana ℈ ß, styracis liquidæ, vel olei de spicâ, q. s.* fiant trochisci, carbonibus injiciendi, ut inde fumus elevetur. *Aëtius* plurimos præscribit ex prædictâ materiâ conflatos, quibus interdum addit ossa piscium salitorum, & super stercore bubulo bis in die manè & vesperi suffitum facit. Efficacissimè autem menses movere dicuntur scoriæ ex regulo antimonii residuæ, si ex iis fiat suffitus. Idem præstare dicitur fumus ex scoriis ferri ignitis, urinâ fœtidâ irroratis. Cautè tamen prædictis utendum est, ne uterum nimium siccent, vasa & cotiledones adurant, calorem nativum populentur. Cavendum quoque ne meretriculæ callidè imponant, quæ fingentes se solâ menstruorum suppressione laborare, remedia φθόρια petunt, inter quæ pessi & suffitus numerantur. Quomodo autem suffitus excipi debeant, docuit *Antyllus* apud *Oribas.* Observando semper, ut mulieres pannis operiantur, ne vapores ad caput perveniant.

veniant. Et hâc de re satis. Iterum aliquid *cap. de pallidis virgin. colorib.* dicturi.

Contingit autem, ut in principio capitis diximus, quibusdam mulieribus nunquam fluere menstrua, quarum aliæ, ut viragines inde pejus non habent, ideo nec remedia postulant, nisi ut ad concipiendum reddantur habiles; aliæ autem multis variisque conflictantur symptomatis. Contingit autem, quia etsi superfluum generent sanguinem, ea tamen prava est uteri constitutio, ut illum aut suscipere, aut expurgare nequeat, quòd uteri vitium cùm utplurimum naturale sit, malum reddit curatu difficilius. Fit ex calidiori ficciori uteri temperie, quæ sanguinem assat, & crassiorem reddit, unde scirrhi, cancri in utero contingunt, & si in totum corpus regurgitet, varios juxta cujusque constitutionem affectus procreat, cutis fœditates, capitis, articulorum dolores, epilepsias, varia ventriculi cordisque symptomata. Intemperies hæc, vel nativa est, vel alios morbos quos fœmina in pueritiâ perpessa est, consequitur, ut validas febres, obstructiones inveteratas, quæ meatus ita exsiccant & adstringunt, ut amplius reserari non possint. Fieri quoque potest ob depravatam uteri figuram, quæ non minus illi quàm aliis partibus contingere potest, ut si foraminibus careat, aut perperam figurata habeat, à proprio loco aversa, vel contorta, vel alio vitio depravata, quæ eadem vitia ex obstructione, ictu, casu, aliâve de causâ fieri possunt. Quæ causæ Deo gratias, raræ sunt.

Calida siccaque intemperies, ex partium genitalium ardore, gracilitate, tensione, & quadam duritie, ex gravissimis uteri doloribus, quales fervidos tumores consequi solent, cognoscitur. Quod si aliquid effluere contingat, rubrum id est acre, graveolens, colliquationi simile. Quod si graves morbi præcesserint, qui corpus extenuarunt, & imbecillius reddiderunt, id Medicus percunctando assequetur, inferiorum partium aderit quædam tabes, quæ in mulieribus carnosæ & prominentes esse solent. Prava figura potius ex privatione cæterarum causarum, quàm propriis signis innotescit, maximè si aliàs toto corpore sana mulier videatur, symptomatis tamen circa uterum gravissimis, ut tumore, dolore, tensione, gravitate conflictetur. Pariter si aliqua viscerum adfuerit obstructio, ex propriis signis innotescet.

Curandi rationem fusius persequi, quòd fecerunt *Mercatus* & *Rodericus à Castro*, inutile mihi videtur, cùm ex præcedentibus innotescat. In calidâ intemperie victus refrigerans, venæ sectio partium inferiorum, blanda

blanda acrium excrementorum purgatio, eorundem per apozemata & julepos contemperatio, balneorum usus, & topica ad prædictas intentiones comparata, conveniunt, quorum formulas ex variis Scriptoribus repetere Lector potest. Imprimis conveniunt hæmorrhoides, quæ adustum sanguinem ab utero commodè derivant; tum fotus, insessiones balnea, ex decocto *malvæ*, *alth. lactucæ*, *portul. violar.* &c. quæ corpus temperant, & per halitum acres humores digerunt, ut dicemus *Cap. de intemper. uteri*: quæ etiam conveniunt in siccâ intemperie, præter vacuationes, nam regendæ sunt ægrotantes hecticarum more, humectantibus internis & externis, levibus frictionibus & deambulationibus, quæ sanguinem ad uterum attrahant, balneis frequentibus inunctionibus emollientibus & refrigerantibus & clysteribus ejusdem naturæ, aliisque ejusmodi. Si ex pravâ uteri conformatione fiat, immedicabile malum est. Utile erit superiores venas sæpius in anno incidere, ut omnis ex retento sanguine noxa evitetur, tum parcum victum, frequentiora præscribere exerectia, ut parcior sanguis generetur. Balneorum resolventium frequentem usum imperare, & alia quæ sanguinem minuere, & corpus exsiccare valent.

CAP. III.

DE MENSTRUIS DIMINUTIS, ET EORUM STILLICIDIO.

Affinis prædictis affectibus est menstruorum paucitas, nam in causis, naturâ, & curatione, cum illis convenit. Quibusdam naturale est pauca habere menstrua, aut etiam nulla, de quibus non loquimur, sed de iis, quæ præter solitum morem parcius purgantur, quòd variis de causis contingere potest, vel quia sanguis parcius generatur, ut natu grandioribus accidit, quando ætatis ratione incipiunt cessare menstrua, aut quibus sanguis inediâ, parco victu, vacuationibus, febribus adurentibus, aliisque de causis consumitur, tunc aut pauciores sunt, aut tardius fluunt menses, imo & quibusdam per longum tempus cessant, donec consueta sanguinis quantitas in corpore generetur. Sed maximum vitium est, si sanguis sit crassior, & viæ parum obstructæ, tunc statis quidem temporibus, sed copiosè sanguis non effluit, aut forsitan stillabit tamdiu, donec totum id quòd superfluum est, expellatur. Addunt quidam

quidam expultricis infirmitatem, retentricisque robur, quæ non nisi magnâ copiâ irritatur, ut *Sennertus*; quæ tamen causa tardius erumpentis fluoris istius potius causa est, quàm paucitatis; major enim sanguinis copia tardius quidem, sed majori postea quantitate effluit. Minùs placet causa etiam quam addit, si scilicet facultas expultrix robusta sit, retentrix imbecilla, sanguisque acrimoniam aliquam & tenuitatem habeat, debito tempore expellitur, sed menses pauci fiunt; quòd tamen non est vero consentaneum; nam in hoc casu aut citius erumpunt menses quàm solebant, aut immoderatius feruntur.

Signa ex capite præcedenti, sicut & curatio desumantur, nam sanguinis paucitas analepsin, crassities & obstructio attenuantia & aperientia postulat, ac purgationem, quæ sola sæpe ejusmodi affectum curat. Affectus ejusmodi eadem symptomata & in utero, & ab utero inferre potest, quæ menstruorum suppressionem afferre diximus.

Sed gravior affectus est menstruorum stillicidium, quando guttatim menses effluunt; cujus affectus variæ sunt differentiæ; nam vel consuetum tempus expectant, tunc autem non ἀθρόως, sed sensim & lentè, ac forsan etiam diutius profluunt, donec quicquid superfluum est, prodeat, ob viarum ut diximus, obstructionem aliquam, & sanguinis crassitiem. Vel stillant simul, & parcius etiam profunduntur, & ad priorem etiam affectum referuntur: Vel tempus consuetum non expectant, nullumque observant, sed quoties fluunt, longo tempore durant, corpusque tandem absumunt, & potiùs ad mensium fluorem immodicum referri debent, quàm ad parcum; assiduo enim fluxu non solùm quòd superfluum, sed etiam quòd corpori necessarium est, tandem evacuatur. Profluunt autem vel indolenter, vel cum gravibus symptomatis. Affectus mulieribus gravis, qui eas & steriles reddit, & viris ingratas, tabi, aliisque affectibus obnoxias, quibus etiam mors ab exhausto succedere potest. Comparat hunc affectum *Aëtius*, urinæ stillicidio, stranguriæ scilicet & dysuriæ, in quibus urina stillatim profluit, aut sine, aut cum dolore. Rarius junioribus, sæpius ætate provectis, contingit, antequam omnino cessent menstrua. Est igitur uteri stillicidium fluxio diuturnior, quâ sanguis parcè ac sensim illabitur; interdum quidem purus, interdum grumosus, interdum serosus, & quâdam saniei specie, idque aliàs assiduo, aliàs ex brevioribus intervallis.

Causæ secundum *Aëtium*, quinque sunt, *cap. 63. tetrab. 4. serm. 4. Prima* est meatuum angustia, non totalis, hæc enim suppressionem

facit, sed imperfecta, per quam liberè & liberaliter sanguis fluere non potest.

Secunda est virium debilitas, quæ continere sanguinem non potest, unde sensim effluit, nec in vasis ad consuetum usque tempus conservatur, ut mulieribus natu grandioribus, & tunc sine conatu, dolore, & irritatione, imò etiam citra sensum plerumque contingit, estque sanguis serosior, & fieri potest in iis, quibus jam naturæ lege cessarunt menstrua, ex naturali corporis imbecillitate, aut partis alicujus vitio. Nec debent ejusmodi mulieres credere sese esse adhuc menstruales, non enim quilibet sanguis ex utero prodiens, menstruus est, sicut hoc modo eademque de causâ, viris hepaticus fluxus contingit. Potestque sanguis non solum esse serosus, sed etiam rutilus, grumescens, interdum fœtens, niger, saniosus, ut in fluxu hepatico etiam contingit, quando sanguis retentus in utero alteratur.

Tertia causa est, sanguinis multitudo, qui vias excretioni destinatas, obstruit, quæ tamen causa non mihi videtur probabilis, si enim sanguis recte sese habeat in substantiâ, & qualitate, viæ non sint obstructæ, simulque sit copiosus, vel consuetum tempus anticipabit; vel si illud expectet, immodicum menstruorum profluvium excitabit.

Quarta causa est, sanguis pituitosus

Quinta, fæculentus, quia enim ejusmodi sanguis lentè fluit, paulatim exit, obstructionem, etsi non omnimodam parit, unde quòd tenue est, transcolatur, quòd crassum est, intus manet. Verùm hæc causa non est illius profluvii, quòd aut assiduò, aut ex brevibus intervallis fatigat, sed illius quòd consuetum tempus expectat, vel postponit.

Probabiliter tamen etiam alii alias causas addunt, scilicet venæ erosionem, modò simplicem, modò ulceri conjunctam, quæ nonnunquam in utero, modò in ejus cervice consistit, vel sanguinis crassitiem, cum humorum acrimoniâ conjunctam; inde sanguis irritat expultricem, & quoniam ob crassitiem liberè fluere nequit, guttatim, & cum dolore excernitur.

Signa. AFfectum ipsum mulier patiens indicare potest. Causas autem hæc indicia ostendent. Plenitudinem, (quamvis rarò stillicidium pariat) indicant, gravitas, totius corporis lassitudo, lumborum renumque gravis dolor, præsertim instante fluxu, capitis dolor, manuum torpor, crurum stupor, ob sanguinem partes circa uterum nimium replentem.

tem. Cùm autem excernitur purus, tenuis, ruber apparet.

Imbecillitas facultatis cognoſcitur, ſi excretio ſit citra moleſtiam, & interdum etiam citra fœminæ ſenſum, ſi calorificis auxiliis major ſanguinis profuſio contingat. agitata à calore ſanguine, & viis reſeratis.

Sanguinem pituitoſum oſtendit ipſius color, nam albicans eſt, craſſus, mucoſus, fœmina ipſa alba eſt, pigra, tarda ad motum, ſomnolenta, pudendumque habet humidum, madens, mucoribus plenum. Fœculentus verò ſanguis eſt craſſus, niger, interdum tamen quidam tenues ichores & acres, ſimul effluunt, ut ſolet melancholicorum ſanguis aduſtus, eſſe ichoroſus; fœmina ipſa eſt ſubnigra, mœſta, hirſuta, & interdum valdè iracunda. Tenuis ſanguis ex conſiſtentiâ cognoſcitur, tum quia mordacitatem, dolorem, & quandoque pudendorum exulcerationem parit, præceſſit victus ratio calefaciens, corporisque habitus ad calorem inclinat. Poteſt tamen eſſe tenuis ſine acrimoniâ, ſi ſeroſo multo humore diluatur, humorumque in corpore dominantium ſigna adſunt; de quibus alibi diximus. Quod ſi paucus ſanguis, & quaſi guttatim cum dolore excernitur, impurus, ſanioſus, purulentus eroſionis certum eſt indicium, aliquando etiam ulceris ſimplicis aut maligni, ut dicemus *cap. de ulceribus uteri*. Si craſſus, fæculentus, ſimulque acris fuerit ſanguis, ſtillicidium cum dolore eſt, ſanguisque grumoſus interdum excernitur.

Malum eſt grave, curatu difficile, periculoſum, nam febres, hydropem, mortemque inferre poteſt, & in quibuſdam pudendorum exulcerationes, ſi ſanguis acrior fuerit.

SEcundum cauſarum varietatem debet variari. Vaſorum anguſtia *Curatio.* pro diverſitate cauſarum curanda eſt; & quoniam utplurimum ab humore craſſo dependet, vena primum erit ſecanda, dein attenuantibus & incidentibus erit utendum, cibis, potibus, medicamentis, balneis, inſeſſionibus, cavendo à nimium reſiccantibus, ne ſanguinem craſſiorem reddant. Peſſarium ex aloë commendatur, quia vias reſerat, & ſanguinem fundit, quòd non eſt verum, nam potiùs ſupprimit. Clyſteres uterini proſunt, ſicut & unguenta emollientia, & attenuantia, de quibus ſuperiori capite abunde diximus.

Si facultas ſit imbecilla, phlebotomiam & purgationem rectè prohibent omnes. Sed *Mercatus*, quem *Rodericus à Caſtro* ſequitur, naturam præterea irritant clyſteribus uterinis, ex *ſucco Mercurialis*, cum *fermento*

mento & *aloë*, tum iis quæ menſes movent, internis & externis. Verùm hæc eadem curatio eſt cum priori causâ, nam expultrix ſemper agit, ſi ſanguis ad fluendum paratus ſit, & viæ patentes: quin etiam prædicta facultatem non roborant, ſed ſanguinem fluxilem reddunt, vias aperiunt. Retentrix autem imbecilla roborantibus emendatur, quæ ſiccant & adſtringunt, ſiccitas enim retentionem juvat, quam humiditas labefactat.

Plenitudo ſanguinis ſi adfuerit, ea demenda eſt victu parciori, & venæ ſectione in brachio, non in partibus inferioribus, ne ad uterum ſanguis magis attrahatur. Cacochymia quæ ſanguinem inficit, levioribus medicamentis ſæpius repetitis per epicraſin tollenda. Pituita incidenda & attenuanda, dein pharmaco vacuanda, tum demum diuretica, ſudorifica, ex *gaiaco*, *ſarſa*, *china*, uſurpari poterunt, ac etiam thermæ ſulphureæ, ſi prioribus malum non ceſſerit. Fæculentus verò ſanguis emendatur probâ victus ratione, hæmorrhoidum provocatione, purgatione, melanagogâ, & aliis, quæ atræ bili conveniunt.

Acrimonia ſanguinis temperatur blanda humorum acrium catharſi, tum decoctis & ſyrupis refrigerantibus ex *malvâ, alth. viol. portul. cichor. borrag. lactucâ papav.* & ſimilibus. Commendatur *ſyr. de mucilag.* quem ad imitationem *Matth. de Gradi*, *Quercetanus* in *Pharmacopœâ* deſcripſit. Quæ demum urinæ difficultati, aut calidæ intemperiei conveniunt, huc referri poſſunt.

Exulcerationi & eroſioni ſuo loco remedia deſcribentur.

Sanguinis craſſities & acrimonia venæ ſectione, purgatione blandâ, & refrigerantibus, ſimulquê attenuantibus emendatur, ut *ſero lactis*, in quo *fumaria*, *borrago*, *cichorium*, & alia ejuſmodi coxerint.

Si diutius ſanguis fluxerit, corporiſque vires jam ſint labefactatæ, adſtringentibus utendum, ut dicemus in nimio menſtruorum fluxu.

CAP. IV.

DE MENSTRUIS CUM DOLORE ET GRAVIBUS SYMPTOMATIS PROFLUENTIBUS.

AEtius Capite citato, in curâ ſtillicidii, ſolum dolorem curandum ſibi proponit. At non omne ſtillicidium eſt cum dolore, nec ſemper dolor cum ſtillicidio; Interdum enim menſes ſuo tempore quidem & copioſè, ſed difficulter, & cum labore erumpunt, ſicut & ſtillicidium

cidium sæpe etiam dolorificum est, quando scilicet sanguis prodit guttatim, & cum dolore, sine ordine, & per intervalla, & cum gravibus symptomatis, ut capitis & cordis doloribus, ventris inferioris & lumborum cruciatibus, convulsionibus, animi deliquiis, aliisque accidentibus. Solet interdum adesse dolor, quasi colicus & nephriticus, quia sanguine crasso tota inferior abdominis regio scatet, non solum uterus, sed etiam renes, unde eodem tempore, renes compatiuntur, arenulas gignunt, simulque sanguis liberè non fluit. Ratione excreti videtur actio diminuta, ratione modi excernendi depravata. Similis planè affectio stranguriæ, in quâ cum dolore urina profluit.

Adest autem dolor vel instante fluxu, vel in ipso fluore, *dolores lumborum & femoris in menses desinunt*, inquit *Hippocrat. 2. Epid.* dum natura per arctas vias sanguinem fæculentum & crassiorem expurgat. Sicque prodeunt menses in hoc affectu, vel ordinatè semel in mense, vel citra ordinem; intermittunt enim per aliquot dies, post redeunt, interdum continuè fluunt, interdum per intervalla longiora aut breviora, interdum guttatim, interdum etiam copiosè, & modò fluidus, modò grumosus sanguis erumpit. Quibusdam præter dolores adsunt inquietudines, cardialgiæ, animi deliquia, & reliqua superius recensita.

Causæ eædem sunt, quæ suppressorũ menstruorum, sed minùs efficaces, minusq; graviter afficiuntur quæ pepererunt, quàm virgines & steriles, quoniam his vasa sunt angustiora, illis ampliora. Fit potissimũ à sanguine crasso, fæculento, concreto & grumoso, simulque etiam acri, qui cùm non possit liberè profluere, excretricẽ tamen valdè stimulet: fit ut vasis extentis dolores gravissimi concitentur, tum etiam flatus interdum ex crasso sanguine elevantur, qui uterum & partes vicinas distendentes, cruciatus pariunt, donec sanguis fluidus vel grumosus, stillatim vel confertim effluat, & sæpissimè sine ordine ejusmodi affectio redit. Adde prædictis humorum acrimoniam, cum sanguinis crassitie, quia enim crassior, difficulter, quia verò acris, cum cruciatu & dolore erumpit.

Sed hæc causa non sufficit: sæpè enim non parcè, sed profusè nimis & violenter, cum gravi dolore sanguis in grumos concretus emanat, ut sæpiùs observavi, dolorque vacuato sanguine cessat, quamvis corporis vires labefactentur, donec redeant ejusmodi dolores ex brevibus intervallis, sanguisque iterum profundatur. Mulier quædam cùm hæc scribo, ejusmodi fluxum sanguinis patiebatur interdum singulis diebus, interdum tertio quoque die, nec benè habebat, sed inquieta, & debilis

manebat, donec sanguis vacuatus foret, grumosus & concretus; in cujus vacuatione, dolores quasi parturientis, patiebatur. Alia post abortum, tantam vim sanguinis concreti, cum acerbissimo cruciatu rejecit, ut fermè mortua & exanimis jaceret: utraque tamen curata adstringentibus medicamentis. Nam hic affectus ad immodicum sanguinis profluvium, non autem ad suppressionem referri debet. Propterea causas easdem habet, quas fluxus nimius, sanguinis scilicet nimium irritantis acrimoniam, & simul aliquam vasorum exulcerationem. Credere autem concrescere in venis sanguinem, & ob crassitiem dolores concitare, absurdum est; hæc enim venarum facultas est, ut in iis sanguis à concretione immunis servetur: qui ergo grumosus vacuatur, è vasis priùs exciderat antequam concresceret. Si igitur in capacitatem ipsius uteri ob anastomosin aut erosionem quarundam venarum effundatur, illic concrescit primùm, & tetros interdum ad stomachum & cor vapores transmittit, unde inquietudo & cardialgia in prædictis mulieribus. Cùm autem naturaliter semper conniveat uterus, si ipsius expultrix robusta ad ejusmodi sanguinis grumosi vacuationem insurgat, aperitur, sed cum maximo cruciatu & dolore, quasi parturientis. Si autem in cervicem sanguis effundatur, cùm via patens sit, concrescere interdum potest, sed sine dolore gravi effunditur; unde credo, naturaliter menses, non ex uteri, sed cervicis venis delabi. In prædicto igitur casu, dolor non ex sanguinis prolapsu, sed ex uteri apertione contingit, & non ad suppressionem, sed ad immoderatum profluvium affectus referri debet.

Fiunt præterea symptomata, dicta ab ulceribus & tumoribus dolorificis in utero & partibus vicinis, quæ à sanguine aut in vasis commoto, aut præterlabente exacerbantur.

Signa. Mulier ipsa referre potest; nam ante mensium eruptionem, per dies aliquot patitur lumborum, imi ventris, capitis dolores, ventriculi morsus, palpitationes, inquietudines, animi deliquia. Concretus sanguis cognoscitur, si grumosus exit, tunc dolores levantur, iterumque redeunt, & longè ante excretionem exacerbantur, quoniam Natura per angusta vasa sanguinem expellere nititur. Si flatus adfuerint, dolor erit tensivus, rediens per intervalla, subitòque exacerbatur, flatuque excreto cessat, vagi in lumbis & ilibus dolores fiunt, & varia ventris inferioris murmura. Humoris acrimonia cognoscitur colore excreti humoris, pruritu genitalium, dolore ulceroso, corporis constitutione,

tutione, & antecedente victus ratione. Ulcus adesse, ostendit sanies cum sanguine mista, dolor fixus, aliaque ulceris signa, suo loco recensenda.

Malum hoc grave est, & non contemnendum, & sæpè curatu difficile.

Curatio.

Vel dolorem mitigat, vel causam tollit. Humores crassi attenuandi sunt, & evacuandi; itaque commodè mittitur sanguis ex brachio, ad revulsionem, purgatio instituitur ex *rhabarb. epithymo, myrobalanis, diaphœnico*, & aliis ejusmodi. Dein utendum iis, quæ vias aperiendi, & humores attenuandi vim habent, internis & externis. ℞ *quinque rad. aperient. ana* ℥ ß, *folior. capilli veneris, agrimon. beton. cichorii, ceterach, fumar. ana M.* j, *passul.* ℥ j, *cicerum rubror. P.* ß, *flor. samb. hypericon. ana P.* j, fiat decoct. ad ℔ ß. Colaturæ adde, *syr. de quinque radicibus, bizantini, ana* ℥ j ß, *cremoris tartari* ʒ ß, fiat apozema in tres doses. In ingressu lecto, *theriaca* prodest cum *aquâ melissæ*, aut *coaguli leporis* ʒ j, cum *aqua melissæ* ℥ j, *syr. de artemis.* ℥ ß; coagulum vituli facilius invenitur, nec minus efficax est. Neutrum illorum admodum prodest. Extrinsecus fiant fotus, insessiones, balnea ex relaxantibus, & incidentibus, ut decocto *alth. malvæ, anet. rutæ, artem. matric. sem. lini, fœnugræc. flor. chamæm.* Dein uteri regio inungatur *oleo lilior. lini, croci, amygd. dulc. de vitellis ovor. rutac.* & aliis ejusmodi. Hæc enim causam tollunt, vias relaxant, dolorem sedant, quibus addi possunt *axungia*, & *butyrum*. Quidam præterea laudant *pessarium* ex *theriacâ*, utero inditum. Victus ratio attenuans sit, ne crassus sanguis generetur, exercitia moderata, & balnea tepida valdè prosunt. Cataplasma ex *lacte*, in quo bullierint *farina seminis lini*, & *panis tritici medulla*. *Aëtius* prædicta coquit in *mulsâ*, additque *terebinthinam* liquatam. In contumaci malo, & sæpius redeunte, *cucurbitulas* pectini & inguinibus apponit, & *hirudines*, & si opus sit, *epithemata, dropaces, phœnigmos, balnea naturalia*, & assiduas locorum frictiones, cum *oleo* & *sale*.

Si humor acris sit & erodens, proderunt attemperantia & refrigerantia, ut emulsiones ex *semin. frigid. papav. albi*, factæ in *aquâ hordei*, & per clysterem uterinum infundi potest *lac* cum *saccharo*, aut decoctum *malvæ, portul. lactuc. papav. albi*, cum *trochiscis albis Rhazis*, & similia. In summâ doloris acerbitate, *narcotica* leviora præscribi poterunt. Extrinsecus foveatur venter *aquâ tepidâ*, aut decocto *malvæ, sem. lini, fœnugraci*, & inunga-

ungatur *oleo violato, amygd. dulc. cucurb. unguent, resumptivo*, & similibus, ut dicemus plenius *Cap. de dolore uteri.* Ulceris quoque curationem tra- demus Capite proprio.

CAP. V.

DE MENSTRUIS QUÆ TEMPORA SUA NON OBSERVANT.

SOlent menstrua singulis mensibus redire, unde ipsis nomen. Contingit tamen interdum, ut consuetum tempus anticipent, vel tardius erumpant, idque vel ordinatè, vel sine ordine, ut bis terve, singulis mensibus, aut semel tantùm tertio quoque mense. *Mulieri menses decolores, nec per idem tempus semper venientes, purgationem indicant esse necessariam.* Estque hujusmodi excretio actio depravata, in quâ Natura debitam & solitam periodum non servat.

Menstrua igitur debitum tempus antevertunt, vel retentricis imbecillitate, vel expultricis irritatione, vel solutâ unitate ex acrimoniâ & mordacitate humorum. *Galenus* actionis anticipantis triplicem facit causam. *Prima*, est materiæ vitium in copiâ, tenuitate, calore, acrimoniâ, mordacitate. *Secunda*, est facultatis retentricis imbecillitas. *Tertia*, est expultricis robur.

Sanguis igitur si copiosus sit, natura ante consuetum tempus ad illius expulsionem insurgit. Talis generatur ex alimentis euchymis, polytrophis, si fœmina hepar calidum habeat & humidum, sit boni habitus, vitamque sedentariam & otiosam degat. Idem contingit, si tenuis, calidus, acris, mordaxque fuerit, irritat enim expultricem; quòd facilius accidit, si retentrix imbecilla fuerit. His addi possunt causæ evidentes, ut vulnera, lapsus percussiones, animi pathemata. Addunt alii causam sine quâ non, scilicet sensus acrimoniam. Sed qui ex causis evidentibus sanguis profluit, non semper debet vocari menstruus.

Signa. AFfectus ex mulieris relatione patent: Sed causarum signa sunt investiganda. Multitudo cognoscitur ex habitu eusarco, corporis gravitate, sensu ponderis, vitâ sedentariâ, suppressâ vacuatione aliquâ, urinâ rubrâ, pulsu pleno, & aliis plethoræ signis alibi recensitis. Acrimoniam & tenuitatem humoris ostendit habitus mulieris, & temperies calidior, victus ratio præcedens, sanguinis excreti natura, si fuerit

rit dilutior, ſeroſior, flavus, bilioſus, & cum calore, dolore, & eroſione quâdam prodeat, ſi ſanguis cum impetu prorumpat, excretrix vel copiâ, vel acrimoniâ ſtimulatur. Si abſque impetu & fluxionis ſenſu profluxerit, retentrix debilis eſt, ſoletque laxior eſſe corporis habitus. Ulcus propriis ſignis cognoſcetur, externæ quoque cauſæ, ut ictus caſus, ex patientis relatione innoteſcent.

Malum naturâ ſuâ non adeò periculoſum eſt, niſi immodicum ſimul ſit ſanguinis profluvium, unde conceptionis ſequi poteſt impedimentum, & perſeverante malo totius corporis imbecillitas.

SI ſit à plenitudine, ſomnus, cibus, potus, ſint mediocria, ſanguis è baſilicâ mittatur, aut antequã fluant menſes, aut etiam ipſis fluentibus, vinum evitetur; & quicquid plenius nutrit, ſanguinemve calefacit. *Curatio.*

Sanguinis acrimoniâ retundetur, refrigerantibus, lenientibus, mucilaginoſis, internis, ut apozematis, julepis, ſyrupis, *Cap. de calidâ uteri intemperie* dicendis; vel externis, ut fotibus, ex decocto *malvarum hordei violar. nymph. roſar.* & inunctionibus ex oleis refrigerantibus, *roſar. violar. nymph. unguento roſaceo, cerato refrigerante Galeni*, & ſimilibus; cavendo, ne dum ſanguinem emendamus, eum ſupprimamus; tum purgandum erit blandis catharticis, ut *rhabarb. myrobol. epith. ſennâ, manna, caßia, tamarind.* & aliis ejuſmodi. Si jecoris adſit caliditas, ſanguis quoque mitti poterit, & utilis erit aquarum ferrearum potus, nam viſcerum intemperiem emendant, & vaſa roborant.

Si facultas fuerit imbecilla, roborabitur per ea, quæ intemperiem imbecillitatis cauſam emendant. Ut ſi frigida fuerit intemperies & humida, conveniet catharſis, ex *diaphœn. agar. elect. indo*, &c. tum calefacientia unguenta, ex *oleo lilior. chamæm. anethi, rutaceo, ceræ, balſamo, ceratum pro matrice, cum ſtyr. benjoino, ladano, ſacculi ex angel. rutâ, thymo, chamæm. anet.* & ſimilibus, alibi deſcribendis.

Si ex ictu, caſu, laborioſo partu contigerit, utero imponendum emplaſt. ex *ſang. drac. thure, maſtic.* & aliis adſtringentibus, additis aromatibus & calidis medicamentis. ℞ *ſang. dracon. thuris, maſtic. ana* ʒ j, *pulv. roſar. balauſt. myrtil. conſol. major. ana* ʒ j ß, *benjoini* ʒ ij, *terebint.* ℥ j, *cum ladano & cerâ*, fiat ceratum; aut cum *albumine ovorum*, & *farinâ*, cataplaſma; & aliis ejuſmomodi, quæ propriis Capitibus deſcribentur.

Menſtrua interdum ultra conſuetum tempus remorantur, & ſæpe ſine ullo certo ordine revertuntur. Idque vel ob ætatem cùm deſinere

incipiunt, quibus curatio non debetur. Præcedenti autem affectui causas contrarias habet, scilicet sanguinis paucitatem, qui naturam singulis mensibus non irritat, vel ejusdem crassitiem & fæculentiam, viarum obstructionem, aut aliud figuræ vitium, unde sanguis facilè vacuari non potest, donec Natura humorum sarcinâ graviter oppressa, viam sibi cum impetu faciat, vel facultatis impotentiam, vel sensum hebetem ex temperamento frigidiori, cum humorum abundantiâ.

Signa. SYmptoma hoc, etiam mulier patefacit. *Sanguinis* paucitas ex temperie calidâ sicca, habitu virili, præcedente victus ratione tenui, exsiccante, laboriosâ, aut aliis morbis, vacuationibus immodicis prægressis innotescet, soletque sine incommodo hanc menstruorum moram pati. Sanguinis *vitium* cognoscitur, si albus sit, crassus & viscidus, lentè diutiusque fluat, & desinant menses in quosdam mucores & purgamenta pituitosa: si mulieris habitus sit mollis, plumbeus, & obesus, victusque ratio præcesserit sedentaria, & pituitæ ferax. *Imbecillitatem* ostendit intemperies uteri frigida, de quâ suo loco dicemus; & ex sanguine diutius retento, molestia & gravitas, quæ etiam signa sunt obstructionis. *Sensum* hebetem indicat præcedens usus refrigerantium, aut etiam narcoticorum, & quòd ex ejusmodi sanguinis suppressione, nullam in utero gravitatem vel molestiam mulier percipit. *Figuræ vitia* cognoscentur ex iis, quæ *Cap. de suppressione menstruorum* diximus, & suis locis alibi dicemus. Facilè ejusmodi symptoma in suppressionem degenerat, iisdemque remediis curatur.

Curatio. SI paucitas adsit sanguinis, victus analepticus convenit, euchymos, eupeptos, polytrophos, & humectans, vitatis laboribus, exercitiis longioribus, ira, & aliis, quæ corpus exsiccant. Si sanguis crassior sit, (quæ potissima causa istius affectus est) attenuantibus & incidentibus utendum erit, cavendo semper, ne corpore pleno cùm instat purgatio menstrua, exhibeantur, ne obstructiones augeant, sed iis utendum statim à purgatione menstruâ, vacuatâ scilicet vasorum plenitudine tutius præscribuntur. Talia diuretica sunt, & menses moventia; ut *artemis. calam.* &c. Postea purgatio humorum pituitosorum valdè utilis est, ex *diaph. agar. pil. coch.* &c. quæ in affectu contumaci per epicrasin repeti potest, per vices corpus præparando & purgando. Nec inutile fuerit, paucis ante futuram purgationem menstruam diebus, sanguinem ex pede

pede mittere, cucurbitulas admovere, crura fricare, balnea & fotus imperare, ex decoctis aperientibus, tum ventrem inungere *oleis cappar. lilior.* & aliis calefacientibus, ac etiam si malum id exigat, suffitus, pessaria, clysteres uterinos, & alia præscribere interna & externa, quæ suppressioni menstruorum opitulari diximus.

Si ob facultatis imbecillitatem, & sensus hebetudinem, prædictum symptoma contigerit, sanguis mittendus non est, sed prædicta quæ diximus, conveniunt, quoniam calefaciunt, exsiccant, & facultatem irritant, ut plenius etiam dicemus, *Cap. de frigidâ & humidâ uteri intemperie.*

Organicorum etiam morborum curatio, ex propriis Capitibus repetenda.

Cap. VI.

De Menstruis Per Locum Non Naturalem Erumpentibus.

Interdum natura sanguinem non per uterum, sed per alias vias expellit, aut loci naturalis oblita, aut aliâ quapiam de causâ impedita, ut in contumaci obstructione vasorum uteri, unde viam sibi per aliam regionem parat, per nares, per oculos, per os, per alvum, hæmorrhoidas, aliasque partes, sicut ex variis Authoribus recenset *Scenckius in Observat.* Et refert *Rodericus à Castro*, se curasse *Comitissam Villefrancæ*, quæ nisi singulis mensibus magnam sanguinis copiam ore rejiceret, in febrem, & alia symptomata incidebat, quòd etiam fieri sæpè solet innoxiè; unde *aphor. 33. lib. 5. menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.* & 32. *Mulieri sanguinem vomenti menstruis erumpentibus, fit solutio:* quo indicat *Hippoc.* societatem adesse inter os & menstrua, ita ut illorum suppressio sanguinis vomitu, & contrà, vomitus redeuntibus menstruis solvi possit; fieri hic motus potest per arterias, & per venas. Volunt Anatomici esse anastomoses quasdam venarum uteri cum mesentericis, per quas in ventriculum & intestina effundi potest sanguis. Refert *Mercatus*, se ter vidisse per minimum manus digitum, & per annularem sinistræ singulis mensibus sanguinem profusum, in religiosâ fœminâ, quæ menstruis carebat: in alterâ etiam per majorem sinistri oculi angulum fluebat. Vitium hic est in excretis, referturque ad facultatem excernentem, quæ, quando ob aliquod vitium, per uterum non potest, per

per alias vias vacuationem molitur. Dignoſcendum ſedulò, an Natura errans, an autem melioris tantùm gratiâ id perficiat: nam ſi ſingulis tantùm menſibus ſemel id contingat, cum euphoriâ ægrotantis, & abſque gravibus ſymptomatis, mulierque ipſa ſit boni habitus, Naturæ robur indicatur, quæ corpus inutili humorum ſarcinâ exonerat, quo in caſu nullam curationem adhibendam eſſe cenſet *Mercatus*, ſed malè; quamvis enim ſanguinem hunc vacuari præſtet, quàm retineri, revocanda tamen eſt ad conſuetudinem natura, ne alia mala ſuccedant, ut in pectore ulcera, aut ſaltem ne ſterilis mulier remaneat; Quòd ſi valetudinaria fuerit, cum gravibus ſymptomatis excretionem perficiat, nec leviter ferat, neque id ſingulis menſibus ſemel, ſed citiùs tardius, ſæpiusve contingat, erroneam eſſe hanc vacuationem probabile eſt, à naturâ irritatâ profectam.

Cauſa eſt omnimoda menſtruorum ſuppreſſio, à quacunque demum causâ proficiſcatur, unde regurgitat ſanguis ad alias partes, & per eas naturæ robore vacuatur. Ad illas autem partes tunc fertur, quæ aut imbecilliores ſunt, aut ſanguinem potentiùs attrahunt, ut ſi adfuerint partium ſuperiorum inflammationes, dolores, & alia vitia, natura ad illas ſanguinem transmittit. Tum quoque gravia animi pathemata & corporis exercitia, quæ humores agitandi maximam vim habent, hunc fluorem promovent.

Formidandum ſanè malum eſt, ne pectori, ventriculo, & aliis partibus, per quas ejuſmodi ſanguis præter conſuetam naturæ legem vacuatur, noxa irreparabilis contingat, nam ſanguinem ſupra ferri malum. Minus noxia tamen eſt per nares, aut hæmorrhoidas vacuatio, quia partes hæ ſunt ignobiliores, illæ magis naturæ familiares; lochiorum tamen vacuatio, per nares funeſta eſſe ſolet; ſemper tamen conceptionem prohibet, quia ſanguis ab utero avertitur.

Pro curatione ſanguis ad uterum revocandus, admovendæ ſunt cucurbitulæ femoribus, coxis, ſuris, ſanguis ex partibus inferioribus mittendus, biduo aut triduo antequam menſtrua periodus inſtet. Confert partes ſuperiores refrigerare & denſare; Inferiores verò, calefacere, humectare, aperire. Prius fiet per brachiorum, capitis, faciei frigida lavacra, privationem exercitii illarum partium, maximèque abſtinendum eſt à cantu, & aliis rebus, quæ partes illas calefacere poſſunt; Poſterius perficitur frictionibus, balneis calidis, ſive naturalibus, ſive artificialibus, fomentis, inunctionibus, peſſariis, clyſteribus, ſuffitibus, & aliis,

aliis, quæ menses provocare posse diximus, modò infernis partibus adhibeantur, nec ultra jecoris regionem pertingant, & interea partes superiores refrigerentur.

Cap. VII.

De Menstruis Vitiosis.

Sanguis ex utero profluens, rubens esse debet, citò concrescens, quasi à victimâ; qualis, si non excernatur, vitiosus censendus est. Peccat autem vel substantiâ, vel qualitate. Substantia quidem, si serosus sit, adustus, putris. Qualitate verò, si albus sit, nigricans, luteus, viridis, graveolens, quin etiam sæpe utrumque vitium simul conjungitur, de quibus pauca dicenda sunt, ut facilior de fluore muliebri fiat tractatio, sub quo omnes istos affectus veteres, plurimique recentiores, complexi sunt. Serosior sanguis jecoris generantis, aut alimentorum vitio, sæpissimè succrescit, unde talis per uterum sæpè expurgatur, ut Capite sequenti dicemus.

Interdum ex intemperie calidâ, aut calidorum usu nimio, sanguis aduritur & exarescit, ut ex suffitibus, & fumis inferius subditis. Tunc ardorem in corpore & febrem concitat, sitit mulier, inquieta est, animo deficit, vel ex utero strangulatur, ex ipsius ad superiora recursu, venter æstuat, urina rubet, bilem interdum vomit, dolent lumbi, inguina, spina, & dorsum, variisque malis ex sanguine retorrido conflictatur. Ad curationem humectandum & refrigerandum, tum simili victus ratione, tum medicamentis, julepis, apozematis, emulsionibus, inunctionibus ex *oleo rosato, viol. amygdal. dulc.* & aliis; dein sanguinis missione, blandâ purgatione, & frequenti clysterum injectione, sicut dicemus *Cap. de calidâ uteri intemperie*, cavendo semper, ne refrigerantium usu menstrua supprimantur, ideo optimum erit, si simul sint aperientia. Putrescit præterea sanguis menstruus, & interdum etiam suppuratur, quòd gravius malum est: idque vel quia ob suppressionem prohibitâ transpiratione putrescit, aut in ipso utero, aut etiam in venis, à quibus in uterum corruptus, amandatur; vel quia putridi humores alii in viis excretioni dicatis ipsi admiscentur. Sæpe enim uterus putridis humoribus scatet, qui in cavitate, tunicis, cornibus, aut aliis partibus continentur, & sanguini ad uterum accedenti permiscentur, ipsumque simili labe inficiunt; sanguis enim menstruâ in utero morâ sæpissimè labefactatur.

factatur. Quod si diutius sanguis supprimatur, ut per duos, tresve menses, non tantùm corrumpitur, sed etiam interdum suppuratur, interdum etiam talis ab uteri ulcere & inflammatione, magnam puris copiam eructante, evadit, quòd frequentius est, quàm ut sponte sine ulcere suppuret.

Sed frequentius corrupti menses decolores fiunt, albi, pallidi, virides, lividi, nigri, flatulenti, fœtidi, ob vitiosos humores sanguini permistos, quos vel prava victus ratio, vel totius corporis, aut partium principum nutritioni dicatarum intemperies & cacochymia procreavit, aut uteri vitium inquinavit, aut suppressa consueta quædam vacuatio, in corpore cumulavit. Et quidem albi ex pituitâ fiunt, aut ventriculo imbecilliori. Pallidi & flavi, fulvi, lutei ab exurente jecoris calore, eademque causa virides, cum splendore nigricantes, parit. Nigri autem fiunt vitio lienis; quòd non est necessarium, potest sanguis vitio jecoris & cordis nigricare.

Signa. COgnoscuntur autem excreti sanguinis colore, qui à naturali differt. Jubet *Hippoc.* ut linteo excipiantur, aut arenâ, quæ post exsiccationem, colorem sanguinis prodent, album, flavum, lividum, & nigrum. Sed præterea infestante bile, acrimonia, calor, cibi fastidium, anxietas, vigilia, partiumque muliebrium exulceratio fatigant, mensesque sæpius, & copiosè, & festinanter prodeunt. Si melancholia admisceatur, anxia simul & subtristis mulier est, & lienis quodam vitio laborat. Si pituita adfuerit, cognoscitur ex stupore, frigiditate, flatibus, & quia menses tardius prodeunt. Suppuratus autem, excreti puris colore cognoscitur, dolores in pectine & pulsationes fortes sentiuntur, & tactum non sustinent, postea pus cum sanguine mistum, excernitur. Omnibus commune est, quòd vix ordinem servant, sed vel anticipant, vel postponunt. Perseverante malo, inquit *Hippoc.* erraticæ febres occupant, cum horrore, anorexiâ, stomachi dolore, atque etiam circa inguina, lumbos, coxendicem, & interdum sanguine sursum ascendente caligo, vertigo, strangulatio contingit.

Malum sane grave est, curatu difficillimum, & quòd sæpe uterum vitiat, in eoque obstructiones, & ulcera, sæpissimè sterilitatem inducit. Sed periculosissimi sunt menses suppurati, qui tamen si per pudendum per aliquot dies effluant, spes est, mulierem curari posse, nisi magnum in utero ulcus succedat, quòd sterilitatem parit, sed utplurimum remanet

remanet incurabile. Quod si per uterum non effluant, aut illum corrumpunt, aut ad inguina & hypochondria à Naturâ transponuntur, unde sæpe absque periculo non possunt evacuari.

Pro variâ humoris ratione instituenda est, humores præparantibus & evacuantibus; nam ex *aph. 36. lib. 5. Menses decolores, nec per idem semper tempus redeuntes, purgationem indicant esse necessariam.* Ergo bili refrigerantia & humectantia, blandaque ex cholagogis catharsis conveniet, ut sæpe alibi jam diximus. Pituita attenuantibus & incidentibus præparanda, vitatis semper iis, quæ menstrua potentius cient, sed mediocribus & imbecillioribus uti, commodum est, postea ad phlegmagoga veniendum, quorum usus etiam in contumaci malo debet esse diuturnior, ut jam superiori Capite diximus. Si menses sint suppurati, nisi sponte prodeant, evocandi sunt purgationibus frequenter repetitis, clysteribus uterinis, aut etiam inditis pessariis, ex mercuriali, & aliis simplicibus, de quibus sat multa jam priùs diximus. *Curatio.*

Post hæc, ad reliquiarum vacuationem jubent quidam, ut redundante bile, balneæ aquæ tepidæ imperentur: sed si pituita dominetur, balnea conveniunt naturalia, & artificialia, tum etiam sudorifica ex *theriacâ, mithridat.* aut decoctis *angelicæ, chinæ, ligni sancti*, & similibus. Proderunt quoque in brachiis fontanellæ, quæ sensim humores pituitosos evacuant.

Cap. VIII.

De Fluxu Dicto Muliebri.

Prædicta menstruorum vitia, sub fluxu muliebri comprehendere solent plurimi, qui muliebres morbos explicant. Depravantur siquidem menstrua, quando vel copiosius feruntur, de quibus sequenti Capite agemus; vel quando qualitate peccant. Sanguis menstruus vel ipse corrumpitur, vel plurimorum excrementorum permistione inquinatur, quorum vacuatio fluor muliebris, vel uterinus appellatur, quia illis peculiaris est, & propria. Vulgus *flores albos* nuncupat, quamvis sæpissimè album non sit, quòd inde effluit. Omnis quidem menstruorum fluxus muliebris vocari potest, quoniam mulieribus solis convenit. Sed *Galenus, Paulus, & Aëtius*, ita distinxerunt, quòd hic non sanguis sincerus, sed varia prodeant excrementa, idque vel continenter & assiduò,

vel nullo ordine & circuitu, à quibusdam uteri catarrhus & rheumatismus appellatur. Malum laxis, & cacochymis, urbanisque potius quàm rusticis familiare, interdum etiam & virginibus, ex *Galen. 6. de loc. aff. cap. 5.* Inde falsum est, quòd scribit *Montanus*, juvenculas quæ patiuntur hunc fluorem, expertas esse venerem, cùm tamen puellam viderit *Fernel.* octavo ætatis anno graviter obsessam, & diu postea afflictam, aliique plurimi in virginibus cacochymis idem observarint, ut refert *Rodericus à Castro, Cap. de fluore mulieb.* se in *Hispaniâ*, & *Germaniâ*, plures ejusmodi curasse. Sæpiùs tamen fit in illis quæ pallidis infestantur coloribus, gravique viscerum cacochymiâ. Reliquis mulieribus accidere potest, sive fluant, sive sistantur menstrua, etiam gravidis, quas interdum ejusmodi fluxu conflictatas vidi, nec graviditas sicut menstruum, ita & hunc fluxum suppresserat.

Est autem ex *Galen. 3. de sympt. caus. cap. 4.* diuturna uteri distillatio, per quam universum corpus expurgatur, vel ut ait *Mercurialis*, fluxus humiditatum ab utero, qui neque menstrua sunt, neque semen. Menses enim decolores ad hoc vitium propriè non referuntur, quoniam periodum suam observant, quamvis non adeò constanter, ideo propriè ad menses pertinent, quamvis depravati sunt. At fluxus muliebris à prædictis substantiâ & colore distinguitur, tùm quòd nullam habet certam periodum, sed quolibet tempore fluit, ante & post menses; interdum quoque etiam iis, quibus menses suppressi sunt, & gravidis.

Effluunt autem in hoc affectu varia excrementa, colore, substantiâ, & odore. Interdum liquida & albicantia, lactis sero similia, modò citrina, pallida, subviridia, modò rubra, modò nigra, ac forte aliis coloribus & qualitatibus prædita. Interdum adeo acria & adurentia, ut partes quas attingunt, erodant & exulcerent, atque modò graveolentia sunt, modò nullo odore molesta, quale scilicet illud est, quòd in animante redundat. Rubra enim sanguinis, flava bilis, alba pituitæ nigra melancholiæ, aquosa serosi humoris sunt soboles. In quibusdam quotidie, in aliis post mensium purgationem, nonnullis inter duas purgationes tantùm effluunt; aliis quamvis paululum intermittant, revertuntur tamen bis terve in mense, utplurimum absque dolore, nisi uterus humorum acrimoniâ ulceretur.

Causæ. Est igitur hoc symptoma in excretis, inter depravatas fluxiones reponendum. Cujus causa est nimia excrementorum copia, quam Natura

Natura per uterum expurgat. Colliguntur autem humores ejusmodi, vel in toto corpore, vel partium nobilium, vel ipsius uteri vitio. Sed rarior postrema hæc causa est. *Galenus* enim *6. de loc. aff.* docet, accidere interdum utero nihil laborante, muliebre vocatum profluvium, cùm universum corpus per ipsum expurgatur, quemadmodum interdum quoque per renes vacuatur, contingitque iis fœminis, quæ pituitoso sunt corporis habitu, quas per remedia non uterum, sed totum corpus alterantia sanavisse se dicit, ut etiam de Uxore *Boëthi Consularis* Viri refert, quam *Romæ* cum omnium admiratione curavit. Idem docet *3. de sympt. caus. cap. 4.* fieri has fluxiones, expurgato per hanc partem corpore universo, sicut sæpe per alvum totius corporis cacochymia naturæ robore vacuatur, alvo tamen nihil patiente. Ideoque non omnium quæ ex utero prodeunt, causa ab utero repetenda est, cùm sæpiùs natura totius corporis impuritatem in uterum deturbet, & per eum evacuet. Hinc *Altimarus*, quem sequitur *Massarias*, negat certam posse hujus affectus sedem assignari, eamque non esse uterum, sed vel totum corpus, vel partem aliquam nobilem. Verumtamen non negavit *Galen.* etiam uterum affici posse, si enim imbecillior sit, & excrementa plurima congerat, quidni per illum vacuabuntur?

Fiunt ista excrementa vel ob totius corporis, vel ob partis alicujus ad vitam necessariæ insignem labem, vel ob diætæ errores. Igitur si labefactata sint mulierum viscera, ventriculus, lien, hepar; si nimirum refrigerata sint, aut ferventiora, aut obstructa, vel scirrhosa, cruditates, malum habitum, humores corruptos, acres, aut serosos & tenues subministrant, qui sæpe naturæ robore in uterum feruntur, & per illum effluunt, sicut & quibusdam per renes, frequentius per alvum fieri contingit. Et qualis est corporis constitutio, talis est excrementorum proventus; nam sanguis tenuis, serosus, vel pituitosus, fit ventriculi, & jecoris imbecillitate, ex coctionis defectu, aut ob errorem externum, ut in iis quæ sedentariam & otiosam vitam degunt, unde agrestes & rusticæ, rarò ejusmodi morbo tentantur, tùm iis, quæ alimentis frigidis & humidis utuntur, ut herbis fructibus, & cruditates patiuntur, quæ, ut docet *Avicennas*, sunt omnium morborum mater. Aliis ex causis fiunt biliosi, acres, fœtidi humores, ut superiori Capite diximus.

Cur autem per uterum, non per alvum, ejusmodi fluxus fiat, varia ratio esse potest: *Prima*, quia naturæ lege & consuetudine, sanguis menstruus eò fertur, unde contingit, ut etiam totius corporis humores eò incli-

inclinent. Sic videmus in iis, qui fontanellas & fistulas habent, naturam adeò assuescere vacuationi per illas partes, ut sine noxâ non possint occludi, ne materia evacuari solita, nobilem partem petat. *Secunda* potest esse uteri, aut nativa, aut adventitia imbecillitas; in partes siquidem imbecilliores, solet natura sarcinam suam deponere. *Tertia* potest esse aliarum viarum obstructio, unde in uterum fit magnus harum humiditatum concursus. *Quarta*, est uteri attrahentis validum robur, ut si calidior sit quàm par est, totius corporis excrementa, aut saltem quamplurima ad se prolicit, sicut idem faciunt renes in diabete. Non est autem credendum per solum uterum ea deponi, cùm in mulieribus hoc fluxu laborantibus, etiam aliæ per alvum, urinam & sudores vacuationes non cessent; sed fieri possint, ac etiam sæpissimè fiant, si magnus sit in corpore excrementorum proventus. Mirum autem est, si vasa uteri sint patentia, cur solos vitiosos humores, non autem sanguinem simul natura profundat; nam quæ hoc fluxu laborant, sæpè menstrua habent constanter singulis mensibus redeuntia? An id fit, quia sanguinem natura servat tanquam familiarem, donec copiâ suâ gravis esse incipiat; reliquos autem humores utpote valdè noxios, sicut sensim affluunt, ita sensim evacuat. Idem fit in alvi fluxibus, vomitibus, sudoribus, in quibus materia è venis sine sanguine profluit.

Verùm non tantùm totius corporis, & partium nobilium, sed etiam uteri vitio fluxus iste, quamvis rariùs, contingit. Imbecillior autem fit ob intemperiem frigidam, erosionem, ulcerationem, abortum, aliasque ejusmodi causas, à quibus labefactatus uterus proprium alimentum malè conficit, excrementa plurima congerit, quæ foras elabuntur & excidunt. Si debilis sit alteratrix, alimentum pravè conficit, tunc tenuia, cruda, serosa, excernuntur. Retentrix labefactatur à casu, erosione, ulcere, inflammatione, abortu frequenti, calore, dolore & humiditate, quæ lubricitatem facit. Si uterus valdè intemperatus sit, calidior, aut putredinosâ qualitate affectus alimentum corrumpit, tunc pallida, putrida, ferulenta promanant.

Per quas vias impuritates illæ vacuentur, quando à toto corpore transmittuntur in uterum, quidam dubitant. Negant enim ex iis venis effluere, quæ in fundum feruntur, sed tantùm ab iis, quæ sunt in cervice, quòd sanè frequentissimum est; nam primo in virginibus vix unquam ex uteri fundo sanguis prodit, sed omnis ex cervice. Aliàs autem quæ virgines non erant, vidi sæpè cum ejusmodi fluxu gravidas, quòd fieri

fieri non posset, si ex uteri fundo ullus humor emanaret, nam seminis retentionem prohibet, & illius virtutem effœtam reddit. Verumtamen cùm ejusmodi profluvium sæpè etiam conceptioni adversetur, negandum non est, ex fundi venis emanare posse, sicut natura interdum per eas sanguinem evacuat, sic iisdem uti potest ad vitiosorum humorum expurgationem, maximè si non aliunde confluunt, sed ipsius uteri vitio generentur.

Prædictas causas fovent res naturales, non naturales, & præter naturam. Ratione rerum naturalium, ut ætatis, senes, ut est apud *Hippoc. 2. γυναικ.*, & *Aët. lib. 16. cap. 65.* sæpiùs fluxum album, juniores autem frequentius rubrum, pallidum, aut virescentem patiuntur, quamvis etiam juvenes & puellas albo infestatas videre licet. Pariter temperamento pituitoso, familiarior albus est, bilioso & melancholico flavus, viridis, niger.

Ratione verò rerum non naturalium, huc referuntur, aëris intemperies frigidior & humidior, crapula insignis, usus variorum & pravorum eduliorum, ut herbarum, fructuum, leguminum, potus copiosior, otium, ignavia, mœror, timor, ira vehementior, somnus aut vigiliæ modum excedentes, quæ ad variorum excrementorum generationem & cumulationem conferunt, aut ea ad uteri vias commovent.

Demum res præter naturam, hunc fluxum aut promovent, aut augent, ut sunt intemperies graves & diuturnæ, febres longiores, obstructiones, cachexiæ, & alii ejusmodi affectus qui vitiant hæmatosin, & cacochymiam coacervant, unde mulieres catarrhosæ, lienosę, chlorosi, & ventriculi cruditatibus divexatæ, utplurimùm hunc affectum patiuntur.

Cognoscitur autem ægrotantis relatione, quæ humorum vitiatum colorem referre potest. Sed præterea quædam adsunt symptomata, ut vitiosus corporis color, ciborum fastidium, motus tarditas, spirandi difficultas, oculorum pedumque tumor, marcor & macies cum vulvæ perpetuò madore, & perseverante malo mœstitia, melancholia, lipothymia, convulsio, pulsus vermicularis, urina turbida. Oculorum tumorem quod spectat, scribit *Altimarus* ex *Paulo* & *Avicenna*, eum esse vel cum, vel sine dolore, quòd tamen falsum est; nam in hydrope, cachexiâ, chlorosi tument oculi sine dolore, verùm ut rectè advertit *Mercurialis*, ad oculos retulerunt, quòd de affectu ipso scribit *Paulus*, nam revera interdum dolorificus est, si sit acris, erodens salsus, *Signa.*

unde exulcerationem & erosionem interdum parit, inde fœminæ viri congressum non ferunt, maximè si in uteri collo ulcus fuerit. Cæterum notandum est, sæpè fluore albo & indolente quasdam corripi, quales quasdam novi, quæ tamen nullis ejusmodi symptomatis conflictantur, & præter molestiam, non magnam inde noxam sentiunt. Accidunt enim priora potiùs immoderato & diuturniori fluxui, quàm ut affectum ipsum naturâ suâ sequantur; nam & in chlorosi, & aliis morbis adesse solent.

Quisnam autem humor peccet, cognoscitur ex colore, causis, totius corporis habitu & temperie, tum inspectione linteolorum, quibus mulieres ad detergendas has sordes utuntur. Nam *Hippocrates* & *Galenus*, hoc nobis experimentum tradiderunt ad dignoscendum colorem profluentium excrementorum: Jubent substrata arenâ superfundi menses, aut linteo excipi, & siccari in Sole, & ut erit color flavus aut niger, subviridis aut albus, ita de humore qui in vitio est, statuendum. Alii volunt lavari lintea & exsiccari, tum quæ remanet macula, humoris excreti colorem indicat.

Si igitur sit à bile, color erit pallidus, aut subflavus, humor acris, quam acrimoniam sentiunt, potissimum in pterygiis, & in parte proximâ externæ, unde etiam ulcera interdum succedunt, adsuntque bilis dominantis indicia, iracundia, anxietas, sitis, inquietudo, & si jejunæ maneant, nausea & cardialgia: Color totius, bilem redundare docet, maximè quando per consensum totius corporis fit, quòd etiam ex præcedente victus ratione deprehenditur, si acrium alimentorum & calefacientium usus præcesserit. Sed si bilis putrescat, sæpè adest febricula, cum pulsu frequenti, humoris graveolentis fulvi exclusio, unde partes inferiores aliquando inflammantur, aut exulcerantur.

Sin à pituitâ fuerit, color totius & excrementorum albidus est, major quantitas defluit, sed minùs acris, fœmina pituitosa est, pigra, decolor, aut candida, & laxo corporis habitu, somnolenta, oculosque habet tumidos, ob vapores pituitosos, qui cerebrum & oculos obsident, ob maximum uteri cum cerebro consensum. Sed præterea addit *Hipp. lib. de nat. mulieb.* dolorem imi ventris, lumborum, laterum; demum perseverante malo, uterum ita relaxat, ut interdum etiam prolabatur. Raró fit à *melancholiâ*, quia humor est crassior, & ad motum ineptus; & si fiat, periculum est ne cancer in utero excitetur; tunc purgatio fusca apparet, & subnigra, adsuntque mœstitia, timor, taciturnitas, & alia melan-

melancholiæ symptomata. Rubrum quoque profluvium à seroso sanguine fit, & tale est, qualis aqua sanguine tincta, aut carnium recens occisarum lotura, sæpissimè gravidis, aut cùm suppressi sunt menses, contingit. In iis quoque illud observavi, quibus ætatis ratione cessarant menstrua, & tamen aut jecoris, aut uteri imbecillitate eo laborabant, malum dysenteriæ hepaticæ affine, & ab eâdem utplurimùm causâ profectum.

Si à toto corpore originem habet fluor, cacochymiæ vel plethoræ indicia adsunt, ut spontanea lassitudo, ulcerosa, tensiva, phlegmonodes, corporis gravitas, venarum tensio, pedum, manuum, crurumque torpor, aut pruritus, mordacitas, calor, &c. pro variâ humorum dominantium naturâ, sicut docet *Galenus*, exemplo uxoris *Boëthi* Consulis Romani.

Quòd si ab aliis partibus proficiscatur, illarum malè affectarum notæ aderunt. Sic affecto jecore dolor adest circa dextrum hypochondrium, tumor, calor, &c. Sic liene affecto in sinistro latere eadem apparent, succus ater & fæculentus emanat. Ventriculo affecto adsunt anorexia, ciborum fastidium, crebri ructus, nauseæ, vomitus, & alia ejusmodi. Quòd si à capite contingat, adsunt capitis dolores, gravedines, sputationes, lumborum & dorsi dolores, interdumque suppressa est per nares & os evacuatio, & spumosa dicuntur esse excrementa, quòd non est necessarium. Utplurimùm autem calidiores humores, quales sunt flavi, virides, pallidi, vitio jecoris generantur; Pituitosi verò ex depravatâ victus ratione, aut ventriculi refrigeratione; Serosi, jecoris vitio pariter fiunt. Solet autem ab his causis copiosior esse fluxio; sed si ab utero fiat, parcior est, cùm sit solius uteri excrementum, & illius affecti adsunt indicia, ut casus, abortus, ulcus, tumor, partus difficilis & laboriosus, aliaque ejusmodi alibi recensenda.

Diximus supra, quomodo fluxus hic à menstruo quamvis decolori distinguatur, quia scilicet etsi inquinatus sit, ruber tamen color dominatur, & periodos suas utplurimum servat. Ille autem, de quo agimus, sanguis non est, sed aliquid excrementosum, quòd post ipsa menstrua, & absque illis, etiam in gravidis, assiduò, aut inordinatè, per brevia intervalla procedit. Duo præterea sunt affectus ipsi similes, gonorrhœa & ulcus uteri. A gonorrhœâ sic distinguitur, quia semen minoris est quantitatis, & longis intervallis emanare solet, quia paucũ illud est ex quo semen generari solet, *1. de gen. anim. 18.* quia residuum est ultimi alimenti

partium, unde cùm pauca ſit materia ſeminis, neque à vaſis ſuis diutius retineatur, magna ipſius copia ſimul cumulari non poteſt, contra quam in pollutione nocturnâ, in quâ ſemen copiâ urgens expultricem, & per longa intervalla profluens, ſenſim in vaſis cumulatur. Hic malè ait *Mercurialis*, fieri poſſe, ut in gonorrhœâ ſemen copioſum effluat; 1. ſi pituita à capite defluens, ſemini miſceatur: At non erit propriè dictum ſemen, quòd effluit, potiusque pituita per alias partes excretioni dicatas effluere poteſt, quàm ut à capite ad teſtes veniat, quicquid *Hippoc. de ſemine* à cerebro prodeunte crediderit: 2. quia vaſa ſpermatica intemperata, vehementius attrahunt à toto, & ſic ſemen multiplicant, quæ potiùs cauſa eſt ſalacitatis aut pollutionis nocturnæ, quàm gonorrhœæ, in quâ ſemen invitis, & ſine ſenſu effluit. Adhæc ſemen non fluit aſſiduò, & quotidie ut in uterino fluore, ſed quibuſdam intervallis, non ab uteri venis, ſed à vaſis ſpermaticis, eſtque album, craſſius, omnis expers graveolentiæ, & acrimoniæ, corpusque ex eo fluore citiùs contabeſcit, quàm ex muliebri. Si verò virulenta fuerit gonorrhœa, eam præceſſit fœdus concubitus, continuus adeſt dolor, ut in ulcere, cum ardore & acrimoniâ urinæ. Sed præterea hoc certo ſigno dignoſcentur, quòd quoties fluunt menſes, fluor muliebris ſubſiſtit, quoniam ab iiſdem ut plurimùm vaſis prodeunt, perſeverat nihilominùs gonorrhœa virulenta.

A pure verò ex ulceribus manante diſtinguitur, ex conſiſtentiâ excrementorum, nam pus craſſius eſt, fœtidius, & albidius, purgatio autem muliebris velut ichor, aut ſerum; deinde major copia eſt ſeroſæ ſubſtantiæ quàm puris. Quin etiam quæ ulcus habent, ſi ſit in canali & cervice, viri coïtum non ferunt, irritatur enim ulcus; in uterino fluore nullam ex coïtu ſentiunt moleſtiam. Quod ſi pus non ſit laudabile, ſanioſum, ichoroſum, cruore quodam perfuſum, cum inſigni dolore excernitur. Sed notandum, horum quædam in acri muliebri profluvio adeſſe, ſed tunc fluxus non eſt albus, ſed potiùs nigricans, vireſcens, flavus, quique tandem ulcera etiam inferre poteſt.

Prognoſtica. SÆpiſſimè in hoc morbo plus moleſtiæ eſt, quàm periculi, nam mulieres viris ingratas reddit. Quædam autem magno cum commodo fluxum hunc experiuntur, modò ſit moderatus, ex *Ariſtot, 3. de generat. animal. cap. 4.* Excrementorum enim mole corpus liberatur; unde temerè non eſt ſupprimendus hic fluor, nam ſuppreſſione intempeſtivâ quædam

quædam in hydropem, aliæ in paralysin, aliosque affectus inciderunt, humore aliò refluente. Perseverans tamen hydropem, tabem, aliosque affectus facere potest, & si purgationes sint acriores, fieri solent ulcera in utero, quibus succedunt fluxus sanguinis, si ulcera sint arrodentia vel virulenta à biliosâ; si putida & sordida à pituitosâ; carcinomata à melancholiâ erunt; quare periculum est in morâ, citissimè enim curari debent, quòd facilè fieri non potest, aliunde enim fovetur fluxus.

II. Diutius affligens hic fluxus difficillimè sanescit, quia uterus est quasi totius corporis sentina, & prompte recipit partium aliarum excrementa, tùm ob situm inferiorem, tùm ob multitudinem venarum eò pertingentium, tùm ob consuetam per hanc viam naturalem sanguinis purgationem.

III. Hoc sequitur incommodum, quòd raró concipiant, quia cùm perpetuò madeat uterus, semen vel corrumpitur, vel elabitur; quod si forte concipiant, partus edunt morbidos, & parùm vitales; sed id tamen non est semper verum, ut annotavit *Hippoc. 4. Epid.* Et refert *à Castro*, se vidisse prægnantes albo fluore affectas, quæ fœtus pepererunt, sed puellas. Vidi autem & ipse quasdam quæ sæpiùs pepererunt, & fœtus alacres ediderunt, eosque etiam mares, quia ex venis cervicis, non uteri, effluere solet hic humor.

IV. Pro ratione materiæ, affectus & symptomatum magnitudine, aliarumque circumstantiarum, facilior vel difficilior fit curatio, periculum majus, vel minus est: unde fluxus lividus, saniosus, fœtidus, periculosior est ob humorum pravitatem, qui erodunt, inflammant, ulcerant, sed faciliùs curatur ob humoris tenuitatem. Albus autem minùs quidem periculosus est, sed contumacior & diuturnior, potissimùm in ætate provectis, & eas usque ad mortem comitari solet, 2. *γυναικ.*, quia pendent ab humore crasso, & causâ frigidâ, quæ semper calidâ deterior est, tandemque uterus excrementi continuâ fluxione debilitatur.

V. Notandum ex *Aëtio*, juvenes rubrâ, seniores albâ fluxione sæpiùs tentari. Si respondeat ætati morbus, faciliùs curari; si verò non sit ætati congener, ut, si vetula rubro, juvencula albo fluore tentetur, difficiliùs, & cum majori ulceris periculo emendari.

VI. Si contumax aliquod partium nobilium vitium huic malo originem dederit, naturam suæ causæ sequitur, & non nisi priore morbo emendato solvitur.

VII. Scribit *Hippoc. 5. aphor. 56. In fluxu muliebri si convulsio & animi defectus*

defectus advenerit, malum: quòd de omni immoderato fluxu alibi pronuntiavit. Dicit *Galenus* in com. id contingere, aut cùm validior fuerit fluxus, aut diu duraverit, nam defectus animi ex nimiâ spirituum evacuatione fit; convulsio quoque ab inanitione. Atque id tantùm dixit *Galenus*. Sed tamen aliquid majus dixit *Hippocrates*; nam etiam fluxui moderato, si prædicta succedant, malum. Fiunt enim ex affectus gravitate, & humoris malitiâ, quæ tetros vapores ad cor ac stomachum mittit, unde animi defectus sequitur. Sic pariter ab utero putris, acris, & malignus vapor in cerebrum sublatus, convulsionem hanc accersit. Tum quoque fieri potest, ut ejusmodi virulentus humor intempestivè suppressus, subitò recurrat in cerebrum, & nobilia viscera.

Curatio. AD curationem si sperabilis est, duo præsidiorum genera conferunt; primum, cacochymiæ fluentis vacuatio, secundum partium recipientium & mandantium roboratio. Hæc autem pro diversâ causarum tam externarum quàm internarũ, & partium mandantium naturâ sunt varianda. Non temerè autem adstringendus est hic fluxus, ut quidam faciunt, ne materia præstantiores partes petat. Uxor *Boëthi*, retentis hujusmodi humoribus, graviter intumuit, eamque *Galen.* aperientibus & calefacientibus, curavit. Potum admodum paucum præscripsit, sæpiùs per alvum aqueum humorem purgavit, decoctum apii & azari præbuit, pannis primum mollibus, dein asperioribus fricavit, melle inunxit, & sic intra dies quindecim curata fuit. Ipse hac eadem methodo, unam citissimè curavi calefacientibus & aperientibus. Si solus uterus esset in vitio, forsitan convenirent adstringentia. At cùm aliunde ferantur ad uterum, eos in corpore cohibere, quos vacuari magis expedit, tutum non est.

Victus ratio pro varietate humorum, varia esse debet; *Aër* sit purus, minimè pluviosus, austrinus, frigore rigens. In materiâ calidâ paulò frigidior sit, sed in frigidâ calidus, semperque sit siccior; nec inutile est solum vertere, ex palustri loco in siccum secedere. Somnus & vigilia sint moderata, nec supinus sit somnus, ne calefactis renibus & lumbis, humores majore cum impetu ad uterum ferantur. *Mercurialis* somnum longiorem pedibus elevatis, & cruribus complicatis laudat, quia vacuationes omnes sistit; quòd etsi bile dominante verum esse possit, nocet tamen pituitosis & serosis humoribus, qui somno & otio multiplicantur. Quin etiam *Hippoc. lib.* γυναικ. jubet, ut somnum ineant incœnatæ,

natæ, fames enim corpora ſiccat. Exercitia ſint moderata, ſolis frictionibus *Galenus* in uxore *Boëthi* utebatur. Sed tamen quin exercitia multum proſint, non video, cùm humores abſumant, & animum recreent. Venus & animi pathemata nocent, præcipuè mœror, triſtitia, cogitatio, quæ ſæpè laborantes perturbant, & anxias reddunt. Provocentur aliæ vacuationes alvi, veſicæ, ſic enim minùs excrementorum ad uterum confluit.

Cibi ſint εὐπεπτοὶ, εὐχυμοὶ, & moderatè ſumantur, ne cacochymiam augeant, ſed commode coquantur, unde cruditates & crapulæ, ſi quid aliud, noxiæ ſunt. Qualitate humori peccanti adverſentur, ut plurimum deſiccent. Bona ſunt *ova*, *carnes avicularum*, *piſces ſaxatiles*, *paſſulæ*, *ficus*, *amygdalæ*, *dactyli*, *omphacium*, *granata*, *citoniæ*, *berberis*, commendantur. Nocent *olera cruda* & *humida*, *fructus horæi*, *acetaria*, *lacticinia*, *legumina*, *piſces molles* & *ſicci*, ut fumo indurati & ſaliti. Sic *Hippocrates* prohibet *dulcia*, & *pinguia*, & *acria*, quia facilè in cacochymis corporibus corrumpuntur. Potus ſit vinum. Quidam laudant rubrum & craſſum, quoniam adſtringit. *Hippoc.* aquoſum & dulce, quia ut credo, per urinas vacuat, unde credo quodlibet vinum convenire, quia roborat. Parum enim hic de adſtringentibus curandum, ſed magis de roborantibus; & video *Hippocratem* utrumque præſcribere, *libr. 2. de morb. mulieb. ſect. 5. Pag. 210. in Codice Fœſiano.*

Itaque ſi à bilioſo humore pendeat, purgatio ante omnia inſtituenda eſt, nam *menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes, purgationem indicant eſſe neceſſariam*; *aph. 36. lib. 5.* unde quicunque demum humor peccet, is catharſin poſtulat. Alvus igitur ſolvatur primum blando clyſtere, aut medicamento leviori, ut *caſiâ*, *catholicone*, & ſimilibus, admiſtis ſemper quibuſdam parum adſtringentibus & roborantibus, ne humores violenter nimis ad uterum ferantur, & illud ampliùs debilitent.

Poſtea vena ſecanda interna in cubito, quia jecur calidum ſolet has impuritates ſubminiſtrare, præſertim ſi fluens excrementum rubeat, fœteat, erodat, & vires conſtent, ſic enim jecur refrigeratur, humores ab utero revelluntur. Negant *Varandæus*, & alii, venam eſſe ſecandam; I. quia adeſt cacochymia, quæ purgationem, non venæ ſectionem poſtulat; II. quia periculum eſt, ne humores excrementitii revocentur in venas, & ſanguinem inficiant: III. quia vires in hoc affectu debilitantur, corpus contabeſcit, quas ideo ſervare, non autem venæ ſectione la-

ne labefactare oportet. *Mercurialis ad aphor. 36. lib. 5.* vult venam esse secandam, si unà cum decoloratione, mensium ipsorum sit diminutio, vel postpositio, sicut fecit *Galenus* in muliere, ex mensium suppressione tabescente. Sed si solùm in sanguinis qualitate vitium sit, solam vacuationem per alvum & urinas commendat. Verumtamen hæc solummodo vera sunt de fluxu pituitoso, cui nullatenus convenit venæ sectio, non de bilioso, in quo cùm adsit insignis jecoris caliditas, humorum acrimonia, inflammationis & exulcerationis uteri periculum, utile erit venam secare, tùm ad revulsionem, tùm ad moderatam vacuationem, tùm ad corporis & hepatis refrigerationem. Statim autem in principio secari debet, antequam vires dejiciantur, & corpus contabescat. Nec valet quòd objiciunt, cacochymiam non postulare venæ sectionem; id enim non esse semper verum, ostendunt febres biliosæ, ardentes, icterus, diarrhœa, dysenteria, aliique ejusmodi affectus à bile pendentes, quibus maximè prodest phlebotomia, maximè quando ab interno partis alicujus vitio dependent, quòd vix aliter curari potest. Non igitur hic sanguinem mittimus ratione ipsius cacochymiæ, sed ratione partis affectæ illam foventis & generantis, ipse autem vitiosus humor purgatione demendus est. Unde rectius *à Castro, Mercurialis*, & alii, venam secant, quòd huic affectui valdè proficuum est.

Venâ sectâ humoris ardor temperandus, *syr. granat. de endiv. acetos. portul. cichor.* cum aquis vel decocto *cichor. sonchi, endiviæ, lupuli, fumar. mercur. lactucæ, borrag. florum cord. sem. frigid.* M. fiat Apozema in quatuor doses. Deinde purgetur *tamarindis, myrobalanis, rhab. sennâ, cathol. syr. rosarum*, & aliis ejusmodi benignioribus, quamvis urgente malo, si febris non adsit, etiam diagridiata usurpari possint. Frequenter autem iteranda purgatio est, ut Apozematis in plures doses institutis, quorum formulas sæpiùs alibi descripsimus. Nec abstinendum est à pilulis, quamvis validiores sint, rarò enim hic affectus est cum febre. Demum intemperies calida corrigatur sero lactis, ex *Hippoc. 2.* γυναικ., nisi mulier sit lienosa, tum usu aquarum mineralium frigidarum, & ferrearum, sive vitriolicarum, quales sunt Spadenses, aliæque ejusmodi, tùm in *Galliâ*, tùm in *Angliâ* & *Italiâ*, & in singulis fermè nationibus plures. Valet quoque decoctum hordei, cum syrupo violato, tum electuaria, epithemata, & alia, ex Cap. de calidâ, jecoris, & uteri intemperie repetenda. A quibusdam valdè commendatur aqua è lacte caprillo distillata, quæ etiam ad urinæ ardorem, & alia plura utilis est.

Pariter

Pariter melancholiæ debentur melanagoga, & si adusta sit, eadem quæ bili conveniunt. Præparetur *syrupis de fumar. borrag.* & similibus; cum *decoctis cichor. borrag. buglos. tamar. cappar.* &c. purgetur *epithymo, sennâ, myrobal. cortice hellebori nigri, cathol. confect. hamech, diasennâ, syr. de pomis*, & aliis melanagogis.

Si sit à sero, purgetur *diacarth. syr. rosar. pallid. elater. succo ireos*, & aliis, *Cap. de uteri hydrope* dictis.

Si pituita redundet, præparetur primùm *syr. de beton. de hyssop. de stœchad. melle rosato*, cum decocto *beton. hyss.* & similium. Purgetur sæpius & frequenter *agarico, turbith, hierâ diacol. diaphœn. diacarth. pilul. coch. de agar.* & aliis phlegmagogis. Et quia ventriculus, reliquumque corpus frigidâ potissimùm intemperie laborat, calefacientibus internis & externis, est utendum, ut *theriacâ, mithridat. diacalam. aromat. rosato*, & similibus, quæ simul calefaciunt & exsiccant. Extrinsecus utendum *cerato stomachico, oleo nard. de absynth. de menthâ, fomentis, sacculis*, & aliis infra dicendis. Sed aquæ thermales calidiores, ut sunt in *Galliâ Belilucanæ, Incaussianæ*, in *Angliâ, Bathenses*, & in aliis regionibus aliæ, maximè conveniunt, sicut & sudorifica ex *gaiaco, chinâ, sarsaparillâ.* Prosunt quoque vesicatoria, fontanellæ, cauteria, sive superioribus, sive inferioribus partibus applicentur; serosi enim & pituitosi humoris magna copia per hæc emissaria effluit. Videntur quidem in tibiis potentiùs allicere humores ad uterum, & sic fluorem hunc augere, unde rectius partibus superioribus apponuntur. *Varandæus* tamen etiam in tibiis has fontanellas probat, sed satius erit brachiis admovere, ut quàm remotissimè ab utero revellant.

Purgato corpore per alvum & vomitum, movendæ sunt urinæ ad seri diversionem, quòd fecit *Galenus* in uxore *Boëthi*, decocto *azari* & *apii*, quòd optimum est; addi possunt semina *anisi, fœnic. dauci*, & alia diuretica. Quidam pilulas faciunt ex *terebint. mastiche, succino*, quarum dosis est ad ℈ ij. Alii hunc præscribunt Julepum; ℞ *crystalli tartari* ʒ j, *salis staminis fabar.* ℈ ß, *succi limon.* ℥ j, *vini albi* ℥ iiij, fiat ebullitio; adde *sacchari* ℥ ß: urinas satis potenter movet. Sed dubium est, quomodo convenire possint diuretica, cùm menses etiam moveant, unde *Aëtius* & *Averrh.* hæc non probant, & post eos *Valles. 5. Epidemiar.* At menses movere est noxium, ejusmodi enim remedia calida & aperientia, humores ad uterum alliciunt; Natura quidem interdum sponte per urinas evacuat, sed id facit operâ caloris naturalis; ars autem per remedia atte-

nuantia & aperientia: Addo ego, non posse Medicum certò sibi polliceri, cùm ejusmodi remedia exhibet, non menses, sed urinas solum profluxuras, non est enim remediorum vis in ipsius potestate sita.

Multi volunt secundùm *Gal.* tria esse genera medicamentorum, lac, urinas, & menses moventia, quæ omnia calida sunt, sed caloris mensurâ differunt, partim quòd quædam desiccant, quædam non. Quæ non desiccant, sed moderatè calefaciunt, lac generant; quæ ampliùs calefaciunt, nec admodum siccant, menses movent; quæ calefaciunt & potenter siccant, provocant urinas. Priora duo lac, menses, urinamque simul provocant, tertium verò genus, solas urinas movet, non menses, nec lac, quin potiùs sanguinem exsiccant. Itaque propriè diuretica convenire volunt, quæ tantùm urinas, non autem menses movent, quin potiùs sanguinem incrassant, & illum cohibent. Unde negat *Altim.* ea quæ provocant urinam, provocare menses. Sed hæc responsio nulla est, quia *Galenus* præscripsit *apium* & *azarum*, quæ non solùm urinas, sed etiam menstrua cient. Respondet *Mercur.* diuretica multum calida & sicca per se solum provocare urinas, per accidens etiam menses, quia sanguinem colliquant, agitant, unde venæ intumescunt & aperiuntur. Cùm igitur primariò materiam deducant ad urinas, menses quoque per accidens tantùm vacuentur, levissimum illud est incommodum, & non magni momenti, cùm major ex evacuatione seri utilitas, quam ex menstruorum exiguâ vacuatione noxa contingat; quam opinionem sequuntur *Massaria*, & *Roderic. à Castro*, qui parùm circumspectè scribit, diuretica menses cohibere sanguinem exsiccando, iisdem tamen menses moveri obstructiones solvendo, quasi unum & idem sistere menses & movere possit. At errant omnes; supponunt enim menstruorum provocationem esse huic morbo noxiam, quare sive per se, sive per accidens provocentur, perinde est, & plurima in Medicinâ usurpantur, quæ tantum per accidens, effectus suos producunt. Præterea nulla sunt medicamenta, quæ per se moveant menses, ut diximus suo loco; sed tantùm per accidens, humores attenuando, obstructiones solvendo, quæcunque id præstant, menses simul & urinas ciere possunt. *Varandæus* autem respondet, si corpore purgato exhibeantur diuretica, majorem fructum quàm incommodum ex illis sperandum esse, quia renes serum attrahunt; uterus verò humores non trahit, sed à naturâ ad illum pelluntur. Verùm non observat, etiam menses cientia post purgationes dari debere, & quamvis non trahatur sanguis ab utero, certum tamen est, illorum

illorum usu sæpè nimis violenter ad illum ferri, unde suspectus esse debet diureticorum usus. Hæ sunt variæ Interpretum sententiæ, qui in re facili hallucinati sunt, quòd putarint menstruorum fluxum in hoc affectu esse noxium, cùm tamen sit salutaris. *Avicen.* ea probat, quæ menses movent, modò ulcus non adsit in utero, nec corrosio, neque retentrix sit debilis. Ubi notandum, fluorem muliebrem vel esse cum menstruorum suppressione, vel cum iis consuetâ periodo fluentibus, aut etiam anticipantibus, eumque vel excrementorum alborum, vel flavorum viridium, aut alterius coloris. In his vix solent esse suppressi menses, ob humoris tenuitatem, & calorem; potiùs solent esse copiosiores, aut sæpiùs repetere quàm necesse sit; in quibus tantùm abest, ut prædicta diuretica conveniant, quin potiùs magis nocent, humores enim accendunt, & acriores reddunt. Albi autem & pituitosi, sæpiùs cum suppressione menstruorum contingunt, aut saltem illorum retardatione; tunc post præviam catharsin, diuretica ista maximè conveniunt, quia humores attenuant, secant, menses movent, viscera roborant, & calefaciunt, & propterea sive urinas, sive menses moveant, sive corpus solummodo calefaciant, semper cum ægri commodo sumuntur, & maximum ex illis beneficium est menstruorum provocatio, vix enim unquam probè curari ejusmodi affectus solent, nisi menstruis redeuntibus, ut in pallidis coloribus. Et de hâc quæstione satis.

Serum quoque per cutem potest vacuari frictionibus asperioribus, decoctis hydroticis, balneis, vaporariis, ut reliquiæ discutiantur, & fluxio in halitum digeratur. Hæc autem biliosis non conveniunt, ne humores exasperati acriores evadant. Balnea tamen à quæ dulcis illis prodesse possunt, humores enim temperant, & per habitum corporis evacuant. His remediis contentus fuit *Galenus*, quia putavit absque uteri vitio fieri fluxum muliebrem, & reverâ in pituitoso & seroso fluxu hæc methodus observanda est; nam adstringere & cohibere ejusmodi fluxionem, nec facilè est, nec tutum. Uxor *Boëthi*, referente *Galeno*, pejus inde habuit, quoties enim iis utebatur, venter retentis humoribus intumescebat.

At in fluxu bilioso adstringentia utilia sunt, quia simul humorum acrimoniam temperant. Sed debet priùs corpus esse exactè repurgatum, tum materia fluens aliò divertenda, ne retenta pravos in corpore concitet affectus: Viscera quoque roboranda, ut parcissimè hunc vitiosum humorem gignant. Proderit multum, si ægra quotidiè ex ovo sor-

bili ſumat *electri* & *raſ. eboris ana* ℈ *j*. Laudat *Mercur.* decoctum *folior. quercus*, in cujus ℥ *vj* diſſolvit *coaguli leporini* ʒ *j*, & octo vel decem diebus ſe fluxus inveteratos curaſſe ait. Ptiſanam ex *milio*, idem valdè commendat, quia vehementer deſiccat, quam etſi ſolummodo in uterum injiciat, poterit tamen commodè per os ſumi; & *Hippoc.* ſæpiùs *milium* & *panicum* ad fluxus exſiccandos ſorbere jubet. Eſt enim *milium* optimum ad id medicamentum, atque etiam ad gonorrhœam, eamque virulentam, ut interdum expertus ſum. Proſunt *conſerva roſarum*, & *berberis*, cum *maſtiche*, & in fluxu inveterato, uſus *lactis chalibeati*, per dies ad minimum 40, ad ℥ *iiij*, vel *v*; cui addi poſſunt *ſaccharum roſat.* aut aliquid *terræ lemniæ*, *boli armenæ*, & ſimilium: vel ſequens electuarium; ♃ *conſervæ roſar. & flor. cichor. ana* ℥ *j* ß, *conſer. ſymph.* ℥ *j*, *trochiſc. de carabe*, CC. *uſto*, *raſ. ebor. coralli rubr. ana* ʒ *j*, *pulver. triaſant. diarhod. ana* ℈ *ij*, *cum ſyr. citon. Fiat elect.* ♃ *Coriand. præp. ſem. acetoſ. plantag. portul. ana* ʒ *j*, *terræ lemniæ*, *boli arm. ana* ʒ ß, *margarit. præpar.* ℈ *j*, *rad. biſtortæ*, *torment. raſ. ebor. ana* ℈ *ij*, *ſacch. ad pondus omnium: Fiat pulvis. Faventinus* laudat aquam diſtillationis *antheræ roſar. albar.* Electuarium *cynosbati* ab aliis laudatur. Exime acinos, & muſcum intus latentem, reliquum cum *ſaccharo* coque in formam citoniati, addendo *cortices citri*, minutim conciſos. Item laudat decoctum *radicis plantag.* & *nymph.* ♃ *oßium dactylorum pulveriſ. ſang. dracon. ana* ʒ *j*, cum *vino rubro* adſtringente, datur manè & ſerò, ex *Faventino in Empir.* Plura Cap. ſequent. In causâ autem frigidâ quæ calefaciunt & roborant, ſiſtunt tandem hunc fluxum, ut *theriaca*, *mithridatium. aromat. roſat. conſ. anth. cortex citri*, & alia ejuſmodi. Nec inutile fuerit etiam, ſi res ita poſtulet, interdum ſomniferis uti, ut *laudano*, *philonio*, *requie Nicolai*, & ſimilibus. Externa, quæ utero applicantur, aut in illum injiciuntur, quicquid recentiores quidam ſcripſerint, huic affectui nihil proſunt, niſi quando ab uteri vitio malum proficiſcitur, aut ſaltem ad prohibendum, ne uterus continuo ejuſmodi humorum affluxu lædatur. Fiant injectiones in uterum primò detergentes, ex decocto *hordei*, cum *melle*, aut *ſyrupo roſato*, *ſero lactis*, vel *lacte ipſo*, aut *cremore hord.* ad humorem acrem temperandum, tandem modicè adſtringentes, ex decocto *hederæ*, *vincæpervincæ*, *biſtortæ*, *fabar. balauſt. roſar.* in *aquâ* & *vino rubro*, vitatis nimium adſtringentibus, ne menſes omnino ſupprimant. Vel ♃ *emplaſt. pro matrice* ℥ *ij*, *rad. biſtortæ* ʒ *j*, *cum oleo maſtic. fiat emplaſt.* Imò ventri applicandum, ſed imminente menſium fluxu, removeatur, quo exacto, iterum poterit admoveri. Conveniunt etiam

etiam fotus, insessus, pessaria, & alia ad immodicum fluorem præscribenda. Denique probantur suffitus exsiccantes ex *trochiscis de galliâ* & *aliptâ moscatâ, caryoph. nuce moscatâ*, & similibus; ex quibus fiat pulvis pro suffitu muliebrium. ℞ *hypoc.* ℈ ij, *ladani, styracis, benjoini, ligni aloës, santal. omnium ana* ʒ j, *rad. bistortæ, nucis mosc. ana* ʒ ß, *galliæ masc. grana duo, cum mucilag. gummi tragac. fiat trochisci* ad eundem usum, excipiat fumum per embotum, post exactam purgationem menstruam, ut dicemus *Cap. de ulcer. uteri.*

Cap. IX.

De Nimio Fluxu Menstruorum.

DIximus supra, depravari menstrua, quando qualitate, vel quantitate peccant. De vitiis autem in qualitate jam dictum est, nunc de iis dicendum restat, quæ immodicè feruntur, quando scilicet sanguis naturaliter constitutus, ultra naturæ modum ex utero profluit. Quâ definitione distinguitur *primò* à fluxu muliebri, in quo non sanguis naturalis, sed varia colore & substantiâ excrementa profluunt; & quamvis hic etiam possit sanguis esse decolor, tamen sanguinis naturam non amisit, sed perpetuò ruber color dominatur. *Secundò*, etiam à copiosâ eorundem vacuatione; Mensura enim non est omnibus eadem, sed quibusdam parcior, aliis copiosior, pro variâ mulierum naturâ, consuetudine, & viribus. Quæ humidiores sunt, victu utuntur liberaliore, & vitam in desidiâ transigunt; copiosiora solent habere menstrua: quapropter non solùm quantitatem, sed euphoriam, vel dysphoriam ægrotantis spectare debemus. Illæ siquidem nimis vacuantur, quibus virium imbecillitas, & alia fluxus immodici symptomata succedunt, appetentia dejicitur, coctio minuitur, coloris flos perit, corpus refrigescit, pedes, corpusque totum intumescit, *6. de loc. aff. cap. 5.* Idem autem prorsus est, eademque corpori noxa infertur, si semel confertim & profusè exeant, aut si pluribus diebus perseverent, sicut multas dicimus pluvias, quæ aut largiùs decidunt, aut diutius durant. Huc igitur refertur tum insignis quantitas præter consuetudinem circa solitam periodum profusa, tùm quando alieno tempore bis terve in mense, aut denique quando perpetuò guttatim effluit, quòd stillicidium vocatur, sicut quando paucum & paucis diebus stillat, ad suppressionem magis pertinet. Distinguit autem *Pereda*, sanguinis per uterum vacuationem, etiam immodi-

cam, à nimiâ menstruorum eruptione, quoniam hæc consueto naturæ tempore fit, & in iis solùm, quæ sunt menstruis aptæ, post annum 14, & 50. Illa verò quolibet tempore contingere potest, etiam in puellis cujuscunque ætatis, non instituto naturæ, sed ex causâ violentâ, ut vulnere, aut venæ alicujus ruptione, quia tamen horum curatio eadem est, à nobis non distinguentur. Pariter ea sanguinis vacuatio, quæ gravidis & lactantibus præter consuetudinem contingit, huc referri debet; tùm quæ post partum aut aborsum aliquando succedit, si modum excedat, quia quòd excernitur, sanguis menstruus est, toto gestationis tempore in utero retentus, impurior quidem, & alio deterior, tùm ob longiorem moram, tùm quia purissimum fœtus attraxit.

Effluit autem aut ex uteri, aut cervicis venis, per quas naturaliter expurgatur. Quidã ita distingunt, ut ex fundi venis, sanguis propriè menstruus dictus, vacuetur; venæ autem quæ sunt in cervice, hæmorrhoides uteri constituant, qui valdè decipiuntur; nam hæmorrhoides fiunt in pudendo, sive vaginâ membri virilis, quæ uteri propriè loquendo, pars non est; sed venæ sanguine menstruum fundentes, sunt in collo uteri, & vix unquam in virginibus, ex fundi venis profunditur.

Itaque vacuatio hæc ad symptomata in excretis referri debet, quæ sunt triplicia, vel toto genere, vel quantitate, vel qualitate peccantia. Omnis autem sanguinis excretio, est toto genere præter naturam, eâ solummodo exceptâ, quæ fit per uterum & nares, quæ solâ quantitate à naturâ sunt alienæ, *3. de sympt. caus.* Igitur si copiâ excesserit, præter naturam censenda est.

Cujus causas tres constituunt Medici, vel sanguinis, vel vasorum, vel facultatis retentricis vitium. Sanguis qualitate peccat, aut quantitate. Qualitate, si tenuior sit, calidior, & acrior, vel ob naturalem ægrotantis temperiem, vel ob victus rationem, vel ob corruptionem, & humorum acrium & salsorum permistionem, & sic promptè ora venarum patefacit & reserat, tantoque fertur impetu, ut vix postea possit à naturâ coërceri. *Avicennas* aquosum addit sanguinem, sed præter *Gal.* mentem, qui solius acrioris & copiosioris meminit, qui solus vasa reserare potest, & disrumpere. Aquosus autem sanguis, qualis in cachecticis est, quoniam non quantitate, sed qualitate peccat, fluxum potiùs muliebrem constituit, de quo suprà diximus. Peccat etiam sanguis quantitate & copiâ, quæ tanta plerumque est, ut non solùm venarum ora aperiat,

riat, ſed etiam tenues diſrumpat, quòd his ferè accidit, quibus menſes diutius ſuppreſſi, poſtea cum impetu erumpunt.

Vaſorum vitia ſunt anaſtomoſis, diæreſis, diapedeſis. *Anaſtomoſeos* & ruptionis cauſa eſt, vaſorum imbecillitas, quæ ſanguinem continere diutius non poſſunt. Sanguis igitur copioſior & calidior, ora vaſorum laxat, & aperit, interdumque ipſas venas diſrumpit; unde Athletis vaſorum ruptiones erant familiares, ſicut & iis, qui alicui vacuationi jampridem aſſueti, illius ſuppreſſionem patiuntur. Sic quoque juvenes ad annum 35 hæmoptuſi obnoxii habentur, *3. aph. 29.* ob magnũ ſanguinis fervorem. Huc referri debent omnes cauſæ externæ, quæcunque calefacere & agitare ſanguinem, venas aperire, & menſes movere poſſunt, ut ſunt quæ contundunt, vulnerant, caſus ab alto, ictus, contuſiones, & ſimilia, aër calidior, exercitationes nimiæ, acriorum ciborum & potuum uſus, balnea & fomenta humectantia & calefacientia, animi pathemata, ſed ira maximè, medicamenta anaſtomotica, ut *aloë*; abortus, partus laborioſus & difficilis, quùm vel grandior fœtus, vel oblique ſitus, nimio conatu excluditur, frequentior coïtus, præſertim ſi viri mentula ſit grandior, ut in puellulis devirginatis contingit, atque alia id genus à quibus rumpuntur venæ uteri, aut dehiſcunt, ut idcirco immoderatus ſanguis emanet. *Eroſionem* pariunt humores acres, ſalſi, putrefacti, ſanguini permiſti, qui tunicas vaſorum erodunt, aliquando etiam ab externis cauſis, ut medicamentis & peſſariis acribus, venenis cauſticis & exulcerantibus ſumptis vel admotis. *Diapedeſis* cauſam habet vaſorum raritatem, mollitiem, laxitatem, ſanguinis tenuitatem & aquoſitatem, unde effluit per tunicas ſanguis tenuis, ichoris, ſudoriſque modo transcolatus, quæ cauſa valdè rara eſt, & in doctrinâ *Galeni* forſan non admittenda. Quamvis enim per atrophias, obſtructiones, viſcerum imbecillitates, aquoſus, dilutusque ſanguis generetur, qui ex naribus, veſicâ & utero prodire poteſt, non eſt tamen neceſſe, ut per vaſorum tunicas transcoletur, poteſt enim ex orificiis effluere, aut per ruptionem venarum. Talis in lienoſis è naribus ſæpè effluit, per ſolam anaſtomoſin venarum in nares deſtinentium.

Tertia cauſa eſt retentricis imbecillitas, quæ ſanguinis copiam moderari nequit, illum ideò effluere ſinit, quòd contingit ex uteri vel vaſorum intemperie frigidâ, humidâ, vel utrâque. Expultricis quoque robur, quæ ſanguinem ultra modum vacuat, accuſatur à quibuſdam, ut ſi ſanguis nimium ſit acris & mordax, expultricem nimis quàm par eſt,

concitat. Sic dicit *Galenus*, quando natura ſanguine gravatur, etſi copiâ non exceſſerit, illum tamen expellere ad venas quæ in utero ſunt, *5. aphor. 57.* Notandum autem *Galen.* inter cauſas profluvii iſtius, *3. de ſympt. cauſ. cap. 2.* nec meminiſſe diapedeſis, nec copiæ ſanguinis, nec læſionis facultatum, ſed tantùm apertionis vaſorum, & tenuitatis ſanguinis. Non diapedeſis, quia forſan cauſa hæc nulla eſt. Refert *Foreſtus* ſe eam obſervaſſe in muliere biliosâ, quæ per novem menſes purgationem hâc de causâ paſſa eſt, ſed diapedeſin fuiſſe, non eſt neceſſarium; potuit eſſe anaſtomoſis, aut aliud vitium, cùm bilioſam fuiſſe dicat. Non meminit pariter quantitatis, quia ſola ejuſmodi profluvium non facit, niſi ſanguis ſimul balneis, exercitiis, victu calidiori ſupra modum incaleſcat. Sic nec *Athletis* vaſa diſrumpebantur, niſi quâpiam de causâ intemperiem ſanguini conciliaſſent, & ratio eſt, quia ſi ſola ſanguinis copia abſque qualitatis vitio expultricem proritet, ubi ea ſanguinis moles effluxit, ut quòd ſupereſt, naturam non gravet, ceſſat expultrix ab officio, ut ſanis mulieribus ſingulis menſibus contingere ſolet. Reticuit pariter læſiones facultatum, vel quia rarum eſt, ut eâ de causâ ſanguis vacuetur, vel potiùs quia ad vitia ſanguinis & vaſorum, facultatum læſiones ſequuntur. Acrior ſanguis impellit expultricem; vaſis exeſis, ruptis, relaxatis, retentrix fit imbecilla.

Signa. COgnoſci poterit ægrotantis, vel adſtantium relatione, ſequuntur ea ſymptomata, quæ *Gal. 6. de loc. aff.* recenſet, omnium virium languor, color corporis vitioſus, pedum tumores œdematoſi, appetentia dejecta, cruditas, cachexia, & ſimilia, quæ immoderatas vacuationes ſequuntur, ob ſpirituum & caloris unà cum humoribus evacuationem. Aliàs, ſi malè ſeſe mulier non habeat, quamvis copioſus fluxus ſit, immodicus tamen non eſt, ut qui criticus, naturâ poſt coctiones humorem morbificum expurgante, fit bonis ægri rebus.

Copia ſanguinis ex plenitudinis ſignis deprehenditur, ut ſunt tumor venarum, univerſi corporis gravitas, faciei rubedo, victus copioſior præcedens, & alia plenitudinis ſigna alibi recenſita; tum quòd mulier magnam patitur vacuationem, antequam vires labefactentur, ſanguiſque exiens, facilè grumeſcit, & ſi fluxus ſupprimatur, pejus habet mulier, venter intumeſcit, valetudinaria redditur. Si ſanguis calidior ſit & fervidior, ex temperie & habitu ægrotantis, victu præcedente & cauſis externis cognoſcetur; aderunt ſitis, calor, tenuitas, acrimonia, & interdum

dum color pravus, præcipuè si sanguis corruptus sit. Sanguis floridus & purus primùm effluit, post etiam crassus & feculentus, dilatatis jam venis, ut observavit *Avicen.* Si *serosus* sit & *aquosus*, nullus aderit calor, nulla mordacitas, vixque concrescit, signa aquosi humoris in corpore dominantis aderunt. Si *permistio* aliorum humorum adfuerit, aderunt indicia dominantis cacochymiæ ex colore, consistentiâ, & aliis qualitatibus effluentis humoris cognoscenda, & ut diximus suprà, linteolorum inspectione; nam biliosus flavescit, melancholicus nigrescit, & sic de reliquis. Si verò *vasorum* accidat *vitio*, vel quia aperta, rupta, aut erosa sunt, sanguinis fluentis copiam considerare convenit, inquit *Aëtius*; nam amplioribus vasis fractis aut apertis, magna sanguinis copia defluit, ab angustioribus verò oppositum accidit. Ab *apertione* sive per anastomosin, sive per ruptionem fiat, purus, copiosus, sine dolore profluit, facilè grumescit, & repentino quodam impetu prosilit, & præcessere causæ externæ sanguinem accendentes; ut choreæ, exercitationes; vel vasa disrumpentes, ut saltus, ictus, casus, insoliti clamores, ponderis gravis gestatio, abortus, partus laboriosi, & similia. *Erosio* cognoscitur, quòd non confertim, sed sensim & cum dolore delabitur, interdum purus, interdum serosus, & sanie permistus. Humor acris primùm vasa leviter erodit, unde sanguis distillat, sed aucta corrosione, major humoris effusio succedit, ut *Cap. de ulcer. uteri* dicemus. Si retentrix fuerit imbecilla, uterus humidior est & laxior, causæ præcesserunt humectantes, mulier flatibus plena est, menses sunt aquosi, stomachus malè concoquit, adsuntque imbecillioris uteri signa alibi recensenda. Eadem *diapedesin* ostendunt, quia aquosus sanguis prodit, mulier est corporis habitu molliori, hepatis imbecillitate laborat, aut cachectica est, decolor, imbecilla; sed hæc etiam necessaria non sunt, nam etiam sine diapedesi ejusmodi sanguis effluere potest. An autem ex cervice, aut cavitate uteri effundatur, distinguendum est. Nam si ab uteri cavo proficiscitur, pondus aut dolor circa regionem pubis percipitur, thrombi generantur, qui postea computrescentes pessima inducunt symptomata, febriculam, cardialgiam, cachexiam, uteri & abdominis inflationem, suffocationes matricis, deinde magnâ copiâ cum maximo dolore in grumos erumpunt, interdum ex morâ nigricantes, & graveolentes. Si verò ex venis cervicis prodeat, rubicundior est, & fluidior: Unde patet, in sanis mulieribus ex venis colli, non fundi, emanare sanguinem, quia uterus naturaliter occlusus esse solet, quicquid contrà alii scripserint.

Progno-stica. PRognosin quod spectat, menstruis immodicè fluentibus accidunt ægritudines; non fluentibus pariter ab utero fiunt morbi, *aph. 57. lib. 5.* Sicut enim ex suppressis mensibus ob caloris oppressionem fit hydrops, ità quoque ex diuturniori profluvio idem contingere solet, dissipato calore nativo, tabes, anorexia, color pallidus, cachexia, pedum tumores, virium languor, animique deliquium, nec non syncope & mors, sterilitas saltem, & uteri imbecillitas, interdumque etiam, si sanguis sit acrior, ulcera. Unde non est absolutè verum, quòd scribit *Galenus in com. prædicti aphorismi*, suppressis quidem mensibus fieri ex utero morbos, ut inflammationes, eresypelata, & alios. Immodicè autem fluentibus lædi corpus, sed non uteri, verùm fluxionis ratione, sicut idem contingere potest undiquaque profuso sanguine. Videmus ex ejusmodi fluore excitari in utero ulcera, unde etiam ex ipso utero corpus laborat. Quapropter terrifica est ejusmodi immoderata profusio, quia vitæ thesaurus disperditur. Minùs tamen vel magis periculosa, pro symptomatum magnitudine, diuturnitate, habitu corporis, temperamento, & similibus. Diuturnior fluxus incurabilis est, quasi laborabat mulier, quæ à Domino nostro *Iesu Christo* curata est, quam tamen quidam volunt dysenteriâ laborasse. Et in seniori muliere lethalis est, in juniori hydropem & tabem accersit, quoniam ut volunt quidam, ora vasorum occalluerunt.

II. Si fiat à ruptione, aut anastomosi, difficilius curatu malum est, & periculosius, ob magnam sanguinis copiam quæ profunditur, sed anastomosis levior est ruptione, erosio verò gravissima, ob ulcus & humoris acrimoniam, diapedesis levissima, quanquam etiam temporis diuturnitate, maximam corpori noxam afferre possit, ob cruditates, viscerumque imbecillitates. Omnium difficillimè curatur fluor, qui provenit ex malâ uteri dispositione, quia facilè corporis excrementa suscipit ratione situs, ob copiam venarum, & naturæ consuetudinem, quæ singulis mensibus sanguinem in eam partem deponit.

III. Symptomatum vehementia malum auget, maximè si non remittant, sed augeantur, ut si desipientia, animi deliquium, convulsio succedat, *7. aphor. 9. & 5. aphor. 56.* Periculosi hic valdè sunt sanguinis grumi, nam retenti veneni instar lædunt; dissolvi autem non possunt, nisi aperientibus & incidentibus, quæ hæmorrhagiam augent.

IV. Si externarum causarum vi, aut assumptorum, aut admotorum acrimoniâ & erosione malum contingat, levius illud est, & facilè le-

nien-

nientibus curatur. Gravius autem, si aliqua viscerum præternaturalis affectio morbum foveat.

V. Hic notandum est sanguinis per uterum vacuationem interdum esse criticam, quæ mulieres acuto morbo laborantes perfectè judicare solet. In Coacis *aphor. 152.* profluvium menstruale criticum statuitur, ut ex historiis mulieris *Thasiæ, & Larissææ, in Epid.* constat; & *1. Epidem.* sanatas ait omnes, quibus die critico menses profluxerunt, & se nescire ait, an ulla perierit. Signa hæc tradit *Hippoc. 1. prorhet.* æstum & gravitatem lumborum, hypogastrii dolorem & tensionem, ex copiâ sanguinis venas lumborum, spermaticas & hypogastricas distendentis, maximè si aliarum excretionum signa non apparuerint, *3. de crisib.* ut plenius legere licet apud *Laurent. 1. de crisibus.* Ejusmodi fluxus non est cohibendus, quamdiu vires constant, nam quæ *judicantur, movere non oportet, sed sinere.* Verùm si euacuatio non fuerit critica, sed copiosior, & nociva, eaque sequantur symptomata, quæ jam recensuimus, curatio quàm citissimè est aggredienda.

Hic in genere dicemus, quænam sit omnis fluxus sanguinei curatio, quam huic proposito accommodantes, duabus rationibus perficiemus; prima, caventes, ne sanguis feratur ad uterum; secunda, locum per quem fluit, claudentes. Prima indicatio perficitur revellentibus, derivantibus, refrigerantibus & adstringentibus; secunda, obstruentibus & adstringentibus tantùm. Causa externa si quæ adsit, omnium primò removenda, dein considerandum à quânam interiori causâ proficiscatur; nam copiæ victus tenuis, calidiori sanguini refrigerans convenit, sicut & conveniens purgatio, ex *rhab. myrob. agar. cass.* & aliis ejusmodi benignioribus simplicibus & compositis, pro variâ humorum sanguini admistorum naturâ. Anastomosi destinantur adstringentia; ruptioni glutinantia; erosioni mundantia & sarcotica, & cicatrisantia; diapedesi quando adest, condensantia. Notando, semper non esse subitò reprimendam ejusmodi fluxionem, præsertim in plethoricis, ne refluat in partem nobilem, aut saltem in corpore grumescat, sicut neque post partum, aut abortum, ut suo loco dicemus. *Curatio.*

Victus ratio incrassans sit & refrigerans: Aër temperatus sit, paulò tamen frigidior & siccior, nam valdè frigidus vasa rumpit, *aph. 24. sect. 5.* Sit quoque obscurus, nam lux humores agitat; Somno indulgeat, & quieti tam corporis quàm animi; omnes enim fluxiones sistit, excepto

ſudore. Motus verò humores exagitat, & fluxiles facit; Balnea & venus omnino fugienda. In lecto ità decumbant, ut inde renes non nimium incaleſcant, unde culcitrarum plumearum uſus minùs conveniens eſt. Sed ſi ſuſpicio adfuerit grumeſcentis ſanguinis, paululum deambulent, ut grumos iſtos excutiant. Pariter dum durat ejuſmodi vacuatio, quidam prohibent, ne alvus ſollicitetur quamvis pigrior, ſed malè; huic enim affectui valdè prodeſt blanda purgatio. Cibus ſit moderatus, adſtringens, refrigerans, glutinans, unde victus polytrophus & calefaciens valdè nocet. Conveniunt *oryza*, *amylum*, *milium*, *panicum*, ex *Hippoc.* ex herbis, *plantago*, *portul. acetoſa*, *lactuca*, *conſolida*, &c. ex fructibus, *citon. granata*, *meſpila*, *mora*, *limones*, *arantia*, *poma*: Carnes eupeptæ, aſſæ vel elixæ, cum prædictis herbis, ova ſorbilia, cerebrum, inteſtina, pedesque animalium ob viſciditatem, caſeus recens, lac acetoſum, piſces ſquamoſi aut glutinoſæ ſubſtantiæ, ut tincæ, anguillæ, murenæ, & ſimiles, & fermè omnes piſces eupepti proſunt elixi cum aceto modico. Vinum vitandum eſt, ſed aqua pura aut chalibeata convenit, aut cum ſucco *granatorum*, *limonum* permiſta, aut *lora*, aut decoctum *oxalidis*, *plantaginis*, cum pauco *aceto* & *ſaccharo.*

Ad curationem itaque primò conveniunt revellentia, inter quæ *cucurbitulæ* laudantur; *5. aphor. 50. Si mulieri menſtrua volueris cohibere, cucurbitulam quammaximam mammis appone*, propter maximum uteri & mammarum conſenſum, *14. de uſu part. 14.* vel potiùs ſub mammis, ut vult *Galenus in com.* aut etiam hypochondriis, ſic enim ſanguis ab utero ſurſum revocatur. Artus quoque ſuperni fricantur, & arctè vinciuntur, ex *1. ad Glauc.* Sed venæ ſectio, principem inter revellentia locum obtinet, ſi in cubito fiat, ſanguisque emittatur viribus, & plenitudini reſpondens, unde non confertim, ſed per intervalla, & iteratis vicibus mitti debet, ut bis terve, ut ſcilicet vires minùs labefactentur, major & diuturnior verſus ſuperiora retractio fiat, ſitque vulnus anguſtum, ut tenuior ſolummodo ſanguis vacuetur. Inferioribus autem partibus, aut vincula adhibere, aut cucurbitulas admovere, aut venas crurum ſecare, noxium eſt, humores enim deorſum alliciuntur, & ſic potiùs evocantur menſes, quàm ſiſtuntur. Monet *Hollerius*, in uſu revellentium, ut roget Medicus, quâ parte majorem gravitatem ægra ſentiat; ſi dextrâ parte, baſilicam dextram ſecabit, manum dextram ligabit, fricabit, calefaciet, cucurbitulam ſub mammâ dextrâ apponet; quòd ſuperſtitioſum eſt.

Deri-

Derivationem quidam commendant per hæmorrhoidum apertionem. Nonnulli probant usum *aloës* ad eas aperiendas, sed quia non solum hæmorrhoides, sed etiam reliquas venas aperire potest, ab ejus usu abstinendum est.

Deliquium animi inferre quidam audent, verùm cùm alia suppetant benigniora, & certiora, quis ausit tam formidabile malum inducere, à quo forsitan ægra vix poterit revocari?

Purgatio quoque humoris biliosi sanguinis fervorem temperat, & humores ab utero derivat, fiat tamen ex benignioribus, ne naturam ad excretionem stimulando, majorem sanguinis fluxum concitet. Serosus quoque humor, *mechoacannâ* & *rhabarb.* vacuetur, Sudorifica autem, & diuretica non conveniunt; illa sanguinem calefaciunt & accendunt; hæc verò etiam menses movere possunt.

Tertiò conveniunt adstringentia & refrigerantia interna & externa. Sed de externis monet *Mercurialis*, iis non nisi extremâ necessitate esse utendum, ne intempestivè cohibitus sanguis magis corrumpatur, & dolores maximos generet. Interna autem, licet adstringant, humores tamen simul temperant. Deinde ut adstringentibus semper aliquid corroborans admisceatur, ut *myrtus*, *coriand. santali. Græci* & *Arabes* ad omnes hæmorrhagias succum *plantaginis* commendant, cujus ℥ *iij* epotæ, hunc affectum compescunt; sic & injici poterit in uterum, & cataplasmatis formâ applicari lumbis & hepati, cum bolo armenâ, & aliis adstringentibus. Valent quoque *aquæ centinod. portul. bursæ pastor. lactucæ, trochisci de spod. de carabe, de terrâ sigill. conserva symphyti*, & similia ex materiâ medicâ repetenda. *Stercus asininum* maximè laudatur à recentioribus. *Guainerius* ita præscribit: ℞ *succi stercoris asinini* ℥ *j*, *syr. myrtini* ℥ *ij*, *aqu. plantag.* ℥ *j*. Sed *Hippocrates* variis in locis siccum præscribit, sicut & stercus muli, libro *de superfœt.* ad finem; Si prægnans profluvio mensium vexetur, stercus asininum siccum in linteo obligatum, subtus imponit: & *libro de nat. mulieb.* idem præscribit ad fluorem muliebrem, ex quo patet, non esse recentiorum inventum. In *Angliâ* ubi asini non sunt, *porcinum stercus* usurpari potest. *Aceti* usum in sanguine sistendo, commendant *Avicennas* & *Galenus*. Sed *Hippoc. de victus ratione in acutis*, vult mulieribus magis quàm viris adversari, & esse ὑστεραλγὲς, sed tamen alii fœliciter eo utuntur non solo, sed diluto, nec magnam ex eo noxam unquam observavi, quin potiùs fœliciter usus sum. Postremo sunt narcotica, quibus non nisi admodum urgente malo, utendum

dum est, ac nondum dejectis viribus, qualia sunt *philon. theriaca recens, laudanum, requies Nicolai, pilulæ de cynoglosso*.

Ex simplicibus fieri possunt varia composita; Julepi ex *syr. granat. citon. myrt. de oxal. de ribes, de papav.* cum aquis prædictis: Vel ex succis depuratis, *plantag. millefol. bursæ pastoris, urticæ mort. lactucæ*, cum *sacchar rosato*; coque in syrupum. ℞ *folior. lactucæ, centinod. lanceol. portul. summitatum rubi ana M. j, jujub. sebest. ana ℥ j, baccar. berber. sem. lactucæ, portul. ana ʒ ij, santal. albor. ʒ j, flor. rof. P. j*; fiat decoctio ad ℔ j. Colat. adde *syr. citon. rof. siccar. ana ℥ j, sacchari rosati ℥ ij*. M. fiat apozema. Vel ℞ *rad. symphyti, torment. ana ℥ ß, fol. plantag. portul. millef. urticæ mort. acetos. ana M. j*. Coque in Colat. ℔ ß, *diss. syr. corall. ribes, myrtini ana ℥ ß*, fiat Julep: cui addi possunt *trochisc. de carabe, de terrâ sigill. ana ʒ ß*. *Mercatus* syrupum ex *succo filipendulæ* valdè commendat, sicut & *radicis ʒ j*, singulis diebus in *ovo sorbili* sumptam. *Sal prunellæ* dilutum *aquâ* vel *succo plantaginis*, remedium est efficacissimum. ℞ *succi urticæ depur. ℥ iij, syr. de portul. ℥ j ß*. Misce. Decoctum *hyperici* ex vino, manè & vesperi sumptum, multis sanguinem suppressit: Attamen *Galenus hypericum* ad suppressa menstrua laudat. Forsan convenit, ubi ex vulnere vel ulcere sanguis profluit, urtica autem proprietate quâdam sanguinem supprimit. Decoctum herbarum vulnerariarum, ut *saniculæ, pyrolæ, buglæ, virgæ aureæ, alchymillæ*, &c. commendatur, sicut & sequent. ℞ *succi millefolii ℥ iiij, sacch. ℥ ij, syr. de symph. ℥ j*. M. dosis sit ad cochleare unum. Cæteris irritis, istud profuit in muliere, quæ per tres hebdomadas singulis diebus sanguinis plus quàm libram unam emiserat, interdum etiam plures duabus quantùm conjicere poteram. ℞ *syr. citon. succi plantag. depurati, ana ℥ j ß, syr. de rosis siccis ℥ j, de portul. ℥ ß, aceti vini albi rosacei ℥ ß, salis prunellæ ʒ j, spir. vitrioli guttas x, aqu. symphyt. plantag. portul. ana ℥ ij*; Misce, fiat Julep. Stercus quoque porcinum pessarii more subtus inditum fuit, unde melius habuit. Coagulum hœdi aut leporis, cum decocto foliorum quercus, laudatur à *Mercur.* & *Varand.* cujus loco *flores chamæleontis albi* aut *cinaræ*, quibus utuntur ad lac coagulandum, coaguli loco dari possunt. Coagulum autem non solùm sanguinem sistit, sed etiam concretum dissolvit; ℞ *micletæ ℥ ß, detur cum aquâ plantag*. ℞ *scoriæ ferri crematæ, & in aceto extinctæ, lapidis hæmatitis triti, ana ℈ ij, syr. mirtil. & rosar. siccar. ana ℥ ß, aquæ plantag. ℥ ij*. Fiat haustus. Crocum martis faciunt chymici, unum adstringentem, alium aperientem; sed hæc non unica est illorum fraus, quilibet enim

crocus

crocus & aperit, & adstringit, ut fatentur *Libavius* & *Croll.* nam eundem *crocum* præscribunt ad sistendas fluxiones, & jecinoris obstructiones. Mirum est, quòd quidam scripserunt, si sanguinis illius qui mulieri ultimò profluit, guttulæ aliquot fœminæ patienti insciæ, in vino aut cerevisiâ propinentur, statim sisti illud profluvium. *Serenus* laudat pulverem *suberis* in *aquâ calidâ* potum. *Rhazes* laudat *sulphur* ad ʒ j, potum cum *musto*, quia siccando adstringit. *Mucilago citon.* dissolvatur in *aquâ plantag.* *Album ovi* fortiter agitatum & calefactum, sumatur cum *gummi tragac.* & *arabico.* ℞.*conservæ rof. symph. ana* ℥ j ß, *trochisc. de carabe, de terrâ lemniâ, de spod. ana* ʒ j, *boli arm. sang. dracon. ana* ʒ ß, *marg. præpar. C. C. usti lapid. hæmat. ana* ℈ j, *magist. corall.* ℈ j, *pulveris diamarg. frig.* ℈ ij, *acaciæ hypoc. ana* ℈ j, *syr. conservationis myrobal. condit. q. s. Fiat Elect.* Cujus dosis sit ad magnitudinem castaneæ, manè & serò ante cibum, aut etiam sæpiùs in die. ℞ *myrobal. condit. N. j, citon. condit.* ℥ ß, *balaust. pulveris* ʒ j, *rhab. tosti* ʒ ß, *sacch. rof.* ℥ ß. Misce, fiat conditum. Quidam etiam *mastichen* electuariis addunt; *mastiche* autem non adstringit, sed purgat, sicut & omnes *resinæ* facere solent, ex *Aëtio.* Non sequitur autem, si *lentiscus* adstringit, etiam idem facere *mastichem.* Insignis est pulvis adstringens apud *Crollium*: ℞ *succini, sang. dracon. lapid. hæmat. coralli rub. sem. portul. plant. antheræ, rad. torment. terræ strigoniensis, ana* ℥ ij, *balaust.* ℥ j, *nucistæ* ℥ iiij, *cinnam.* ℥ ß, *croci martis, talci calcin. matris perlar. calcinat. ossium microcos. calcinat. ana* ℥ j; omnia tenuissimè trita & lævigata, misceantur, fiat pulvis, omnibus fluxionibus commodus ad ʒ j ß, cum *aquâ plantaginis.* Sed *talcum* huic pulveri non inderem, nec humana potiùs quàm aliorum animalium ossa seligerem, exsiccant enim omnia. Est pulvis apud *Paschal.* & *Peredam* valdè laudatus, qui minùs à me probatur, quia corticum ovorum ustorum ℥ ß recipit. Sunt autem diuretici, ob copiam salis ex ustione, unde etiam calculis frangendis destinantur. Minùs quoque probantur *thus* & *mastiche* in hoc pulvere. His igitur demptis, ℞ *marg. præp. corall. rub. carab. ana* ʒ ij, *lapid. hæmat. smaragdi præpar. ana* ʒ ß, *far. hordei sine furfure, P.* ij, *album. ovor.* iiij. Pinsantur omnia simul, fiant placentæ in furno coquendæ, quæ edi possunt, ipsas autem adeò coquit, ut pulverisari possint, & ad ʒ j cum jusculo pedum arietis, vel vituli, manè propinat.

Externa remedia varia sunt; epithemata, unctiones, lotiones, balnea, emplastra, pessaria, injectiones in uterum, suffitus, Topica autem non tantùm utero, sed etiam hepati sanguinis fonti utiliter admoventur,

K tur,

tur, ac etiam umbilico, lumbis ad regionem venarum ſpermaticarum, quæ ad fundum uteri feruntur. Oxycratum ſimplex utile eſt, melius erit, ſi fiat ex *aquâ roſ. centinod. plantag.* & aliâ adſtringente; Fomenta, lotiones, & inſeſſus, fieri poſſunt ex decocto adſtringente; ut, ℞ *folior. plantag. burſæ paſt. equiſeti, quercus, vincaperv. plantag. rubi, polyg. verbaſci, ſumach ana M. j. rad. ſymph. biſtortæ, malicor. ana* ℥ ß. Coque in aquâ chalibeatâ, & vino rubro, pro fotu. Ex iiſdem fient inſeſſiones auctâ doſi ſimplicium. Non debent autem balnea eſſe valdè calida, ne calore humores magis agitent, quàm ſiſtant; ſint igitur tepida, in iisque mulier immoretur, donec refrigeſcat. *Avicennas* immiſcet aliquid eorum, quæ uterum roborare, & vim medicamentorum deducere poſſint, ut calament. Cataplaſma ex reſidentiâ prædicti decocti confert, vel ex *bolo, maſtic. ſang. drac. cum albumine ovi. Stercus aſininum* cum *aceto* & *pulvere roſarum* admotum quemlibet fluxum ſiſtit. Succi herbarum refrigerantium & adſtringentium, cum *farinâ hordei*, vel *amylo* inſpiſſati, addito *aceto*, utiliter admoventur; poſſunt addi alia adſtringentia, ut *bolus armena*. Argillam aceto miſcet *Trotula*, & hepati imponit. *Solenander* verò *pulveris gypſi* ℔ j, *gummi arab.* ʒ x, cum *albuminibus ovorum* miſcet, & ſpinæ adhibet à medietate ad finem, ſcribitque omnem muliebrem fluxum uno die abſcindi. Doctiſſimus *Reuſnerus cap. 28. in VVillic.* ſequentem ſacculum valdè laudat. ℞ *ſanic. alchym. virgæ aureæ, pyrolæ, beton. agrimon. ana M. j, alth. M. ij, filicis, flor. chamæm. hyperici, artemiſ. rub. torment. fol. & rad. ana M. j*; fiat ſacculus valdè latus & longus, ex herbis illis inciſis, & interpunctus, dein fæcibus vini incoquito, & lumborum regioni apponito; æger verò in ventrem decumbat. Commodiùs autem erit, ſi duo adſint ſacculi, ut uno illorum refrigerato, alter imponatur. *Taurocollam* aceto diſſolvit, & cum panno lumbis apponit *Aëtius*, efficaciter prodeſt.

Inunctiones fiant ex *oleis citon. myrti*, & aliis adſtringentibus, tum ex *unguent. roſ. ſantal. Comitis*; & contra *rupt.* ℞ *olei myrt. maſtic. roſac. citon. ana* ℥ ij, *ſucci plantag.* ℥ iij; coq. ad ſucci conſumpt. Adde *boli arm. maſtic. ſang. drac. ana* ʒ ij, *ceræ q. ſ. fiat unguent.* ℞ *olei omphac.* ℥ ij, *alumin. tuth. boli arm. thuris, ana* ʒ j, *cum pauco aceto, fiat unguent.* diu agitando, coquantur parum, & cera alba addi poterit, ſi opus ſit. ℞ *unguent. comit.* ℥ j ß, *olei myrt. maſtic. ana* ℥ j, *trochiſc. de carabe, hypoc. ſanguin. dracon. ana* ʒ j, *mumiæ, oſsis ſepiæ ana* ʒ ß, *ceræ q. ſ. fiat ceratum.* Laudatur etiam ſequens: ℞ *lent. excorticat.* ℔ j, *burſæ paſtor. plantag. ana M. iij, ſtercoris*

capræ

capræ & porci exsiccati anâ ℥ j ß, *sang. dracon. & boli arm. ana* ℥ ß, *menthæ siccæ* ℥ j, *gypsi* ℥ ij, *album. ovor.* N. v. *far. fabar.* ℥ iij. Inf. gypsum in aceto per diem, dein bulliant omnia simul in succo plantag. fiat Emplastrum, vel potiùs Cataplasma.

Quæ in uterum immittuntur, non adeò conveniunt, nisi ex erosione, aut apertione venarum, cervicis malum fiat.

Lana vel bombax succis adstringentibus, vel porrorum inebriata, formâ pessarii immittatur, vel mergatur pessarium commune in ungu. Comitis. Quædam fingunt ex foliis quercus, aut ex vincâpervincâ, quæ alligant cruribus. Ungulæ asini, pelles anguillarum, pelliculæ interiores avellanarum cum succo citon. coquuntur in pilulas, quæ induntur in uterum, ex *Hollerio*. Fieri quoque possunt instar suppositorii cum melle. ℞ *gummi arab. boli arm. ana* ʒ ß, *gallar. thuris, mastic. acac. sang. dracon. ana* ℈ ij, *tripheræ* ʒ j, *mellis q. s.* fiat suppositoria in uterum immittenda, sed pendeant è filo, ut si opus sit, retrahi possint. E *polyg. balaust. cupresso, rubo*, pessar. facit *Aëtius*.

Injectiones fiant in uterum per metrenchyten, ex decoctis adstringentibus; succum *plantag. Galenus* laudat, & succum *lysimachiæ*, *lib. de succed.* ℞ *decocti adstringentis* ℥ iij, *trochisc. de spodio* ʒ ß, *syr. de rosis siccis* ℥ ß; fiat Injectio. Addi potest *alum.* ℈ j. Quidam injiciunt *aquam rosar.* cum *granis viij laudani*.

Suffumigia parantur quoque ex præscriptis decoctis, etsi non admodum convenire mihi videantur, quia inde vapor elevatus, calidus est, & vasa potiùs aperit, quàm occludit. Suffitus *ungulæ mulæ, stercoris asinini*, vel *ranarum combustarum*, utilis esse creditur, quo inveteratum fluxum se curasse ait *Paschal.* Suffitum *sem. sinapi* laudat *Mizaldus*, licet *Avicen.* contrarium sentiat. ℞ *thuris, mastic. ana* ʒ ij, *gummi tragac.* ℈ iiij, *pellis anguillæ exsiccatæ, ungulæ equi ana* ℥ ß, *fiat suffumig.* laudatum à *Faventino*. Vel aceti vapor utero excipiatur, in quo bullierint *gallæ* & *myrtus*.

Demum suspenduntur è collo, jaspis, hæmatites, corallina, corallus ruber, crystallum, quæ sive è collo pendeant, sive manui alligentur, sive superponantur mammis, prodesse dicuntur. *Mercatus* succum chelidoniæ mammis appositum, in desperatis conferre scribit. Alii sanniculam plantis pedum alligant, & muscum arboreum sub axillis gestant. Corticem ligni mespilorum commendat I. C. *Baricellus* de collo suspensum. Prædicta omnia conveniunt tam in anastomosi, quàm in ruptione.

Si à vase eroso fiat, primùm *sero lactis* abluatur, dein decocto *plantag. polyg. cortic. thuris, malicor. rosar. cum bolo armenâ, & trochiscis albis rhaz.* ut consolidetur, adhibitâ interim eâ victus ratione, quæ partium vitium emendet, & optimum sanguinem generet.

DE AFFECTIBUS ET MORBIS IPSIUS UTERI.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Clausura Uteri.


Uoniam ex menstruorum vitio, fermè omnes mulierum morbi, tàm in utero, quàm ex utero procedunt, ideò priùs vitia menstruorum explicare necessarium erat. Nunc ad ipsius uteri vitia & morbos veniendum, incipiemusque ab uteri clausurâ, quam *phimosin* quidam vocant, quando scilicet uterus, præter naturam adstringitur, ita ut ipsius operationes lædantur, quæ quatuor sunt; vel enim impedit coïtum, vel menstruorum vacuationem, vel seminis exceptionem, vel fœtus exclusionem. Est igitur morbus in meatu, qui clausus est, cùm apertus esse deberet.

Est autem vel naturalis, vel accidentaria. Naturalis fit, cùm membrana orificio interno vel externo prætenditur; cujus facilis est per chirurgiam curatio. Vocantur ἀτρητοὶ imperforatæ, vel velatæ. Hæc membrana vel est prope cervicem, vel in medio cervicis, vel juxta os uteri, quæ raró reperitur, nec unquam secundum naturam, ut docent Anatomici. Est interdum in medio perforata, ut menses effluant; interdum nullum habet foramen, unde menses magno vitæ periculo cohibentur; inde quasi ex conceptu, venter intumescit, dolores adsunt lumborum & pubis, ac sæva sequuntur symptomata, quales se curasse referunt Medici quidam, quibus magna sanguinis corrupti copia effluxit. Si sit in orificio uteri externo, coïtum prohibet, & fœtus exclusionem; in interno

terno verò ſolum partum. Conceptionem verò non ſemper prohibere, docet *Aëtius*, quia uterus ſemen potenter allicit, & ut docet *Avicen.* membrana eſt raræ contexturæ, per quam ſemen facilè percolatur, aut in eâ foramen ex exiguum, per quod ſemen attrahitur, ſed infans egredi non poteſt, unde periculum eſt, ne in partu moriantur. Menſtruorum autem excluſionem ſi ſit perforata, non impedit, aut ſi altius ſita ſit; poſſunt enim effluere ex venis in cervicem ducentibus. Poteſt etiam ſine membranâ coaluiſſe externum vulvæ orificium, ut in podice interdum contingit.

Accidentaria cauſa eſt, coalitus ex vulnere, vel ulcere, ut ex laborioſo partu, aut lue venerea, ulcerati pudendi labra agglutinantur, aut caro quæpiam tanquam condyloma excreſcens, meatum obſtruit. Addunt alii etiam tumores induratos, qui meatum obturant. *Celſus lib.7. cap. 28.* ſolam membranam agnoſcit, & carnem ex ulcere ſubnatam, quæ frequentiores cauſæ ſunt, eæque etiam non adeò frequentes. Sed non immeritò addunt alii adſtrictionem, quam medicamentorum adſtringentium uſus intulit, quòd meretrices interdum faciunt, ut virgines videantur. Sic refert *Augen.* quandam ab obſtetricibus judicatam fuiſſe virginem, quæ ſeptem ante menſibus pepererat.

Morbus hic per dioptram cognoſci poteſt, niſi in profundioribus partibus ſit occluſio, aliàs vix animadverti ſolet, antequam menſes profluant, aut ante congreſſum virilem. Tunc autem, ut diximus, virilis mentulæ ingreſſum prohibet, & proinde conceptionem & menſtruorum exitum; ſed neque hæc etiam neceſſariò, tenuis enim membrana, aut altius ſita, aut in medio perforata ſemini aditum, menſtruis exitum præbet. Interdum etiam fluentis ſanguinis impetu diſrumpitur: ſed fieri poteſt, ut adeò craſſa ſit, ut ſanguinem cohibeat, mala inducat ſymptomata, cui præcipuè curatio debetur. Non credit *Mercurialis*, poſſe in hoc affectu effundi menſtrua: Verumtamen poſſe, diximus, ſi ex cervicis, non uteri venis profundantur, quòd valdè ordinarium eſſe, ſuperiùs diximus, quamvis contrarium ipſe ſentiat. Quòd ſi inflammationes & ulcera præceſſerint, & mulier inſolitam adſtrictionem perſentiat, probabile eſt, vel carnem adnatam fuiſſe, vel labia ulceris coaluiſſe, & præterea per dioptram cognoſci id poteſt.

Ex ejuſmodi anguſtiâ, ſi menſtrua ſubſiſtant, plurima ut diximus mala contingunt, ex ſanguinis è venis effuſi putredine, partui ſaltem & conceptioni nocere poteſt. Membrana quidem facilior eſt curatu, quàm coali-

coalitus, vel caruncula; Difficillimè curatur, si vitium intus reconditum est, quò Chirurgica instrumenta sine periculo penetrare nequeunt.

Ad curationem corpore prius per venæ sectionem & purgationem præparato, si ætas & vires patiantur; Chirurgus scalpello totam membranam incidet, deinde plumbeâ fistulâ, aut spongiâ, aut pessaria prohibebit, ne labia iterum coalescant, & vulnerum more curabit. Operationem describunt *Aëtius*, *Paulus*, *Paræus*, *Aquapendente*.

Si pars ex ulcere coaluerit, fovenda primùm emollientibus, fotibus, linimentis & pessariis, ut *oleo amygd. dulc. irino*, & similibus; ulcus deinde renovandum, parsque sensim diducenda, dein cannula plumbea imponenda est, ne iterum coalescant, aut pessis epuloticis ulcus curandum, donec cicatrix inducatur. Sed caruncula curatio difficilior longe est, si caro meatum nondum oppleverit, exsiccantibus medicamentis imminui debet ex *rosis*, *balaust*. *myrrha*, *thure*, *aristoloc*. & aliis ejusmodi; aut postea aliis sine dolore exedentibus, ut *alumine usto*, *ægyptiaco*, & similibus, *Cap. de hypersarcosi* dicendis.

Indurati tumores emollientia postulant, & resolventia, ex decoctis *parietar. malvæ*, *chamæm. sem. lini*, *fœnug.* aut *pessariis ex unguent. resumtivo*, *dialthea*, & similibus. *Paulus* præscribit, ex *œsypo*, *nitro*, *resina*, *terebint*. In contumaci malo & inveterato, suffitus aromatum commendat.

Pariter emollientia adstrictioni conveniunt inductæ ab adstringentibus.

Obstructio frequentius malum est; Obstruitur autem à pituitâ crassâ, quâ de causâ supprimi solent menses, de quâ *Cap. de suppressione* diximus. Huc referri debet compressio & densitas. Comprimitur uterus, quando crura & fœmora contorta & divaricata, distorquent pudendi cervicem, aut nimis ad interiora comprimunt, sicut idem ex coccyge luxato aut malè conformato, contingere potest, quemadmodum ex vesicâ calculosâ, aut intestino recto tumore præter naturam affecto. Comprimitur aliquando ab omento, aut pingui aqualiculo, quâ de causâ valdè pingues non concipiunt, pinguedo enim os internum uteri comprimit, *5. aphor. 46. Quæcunque præter naturam crassæ non concipiunt, iis omentum os uteri comprimit, & priusquam extenuentur non concipiunt*; idque variis in locis repetit, *lib. de natur. mul. de steril. de superfœt.* Sed hoc valdè dubium mihi videtur, nam in homine ultra umbilicum non protenditur; quomodo ergo poterit os uteri comprimere. In simiis extenditur usque ad pubem, & forsitan humana corpora non viderat *Hipp.*

Alia

Alia eſt igitur ſterilitatis cauſa in pinguibus, de quâ ſuo loco, quamvis pinguiſſimas valdè fœcundas videre liceat. Si igitur comprimatur à vicinæ alicujus partis tumore, ille ſi fieri poteſt reſolvatur; ſi à pinguedine, deſiccantibus, ut inediâ & hydroticis gracilitas procuretur.

Denſatur autem uterus potiſſimum frigore; ut ſi in partu difficili aëri fuerit expoſitus, aut poſt partum citiùs domo exierit, dum ex lochiis adhuc uterus pateret, aut admotis nimium refrigerantibus. Tactu denſiorem uterum obſtetrix deprehendere poteſt: inde contingit ſterilitas, quia nec excipere ſemen, nec exceptum nutrire poteſt; *aph. 62. lib. 5.* Admoveantur & injiciantur quæ calefaciunt & humectant, ut decoctum herbarum remollientium, *matricar. artem.* &c. Ex reſidentiâ fiat cataplaſma, & alia de intemperie frigidâ matricis dicenda.

Sed præterea denſari poteſt ex cicatrice poſt ulcera, aut carnis exciſionem relictâ, cujus curatio difficilis eſt, & emollientibus ac reſolventibus perficitur, ut fotu ex *decoctis malvæ, brancæ urſinæ, pariet. mercur. chamæm. melil. artemiſ. matricar. puleg.* &c. aut linimento, vel peſſario ex *ficubus, oleo lilior. medullâ cervinâ, vitello ovi, melle,* &c. Emolliri quidem aliquantulum cicatrix poteſt, ſed poſtea redit ad priſtinam denſitatem. Ne credat quiſpiam debere atteri cicatricem, fieri id poteſt, ſed ulcus ſuccedens, non niſi inductâ iterum cicatrice, curari poteſt.

Corallarium De Hymene.

Quia diximus os uteri à membranâ occludi, quæremus hic, an membrana ejuſmodi naturaliter in virginibus reperiatur. Fuit enim hæc antiquorum opinio, tenuem quandam membranam in uteri cervice reperiri, quæ clauſtrum virginitatis conſtituit, quam primo concubitu diſrumpi volunt. Eam conſtituunt *Avicennas, Veſalius, Fallopius, VVierus*, aliique quamplures. Contrà verò negant *Oribaſ. Augen. Laurent. Paræus, Pinæus*, aliique, qui eam volunt quando adeſt, eſſe præter naturam; & mirum eſt in re quam autopſia ſola definire poteſt, tam diſcrepantes eſſe Anatomicos. Erat olim *Romæ* maxima circa eam controverſia, inter præſtantiſſimos Anatomicos *Euſtathium* & *Columbum*, cùm eam hic aſſereret, ille verò negaret, quare in Noſocomio duarum virginum cadavera ſecta fuere, quarum una ſeptem, altera verò duodecim fuit annorum, in neutra reperta eſt? unde faſſus eſt *Columbus*, ſe ex Antiquorum potiùs authoritate, quàm propriâ experientiâ illam aſſeruiſſe.

fuisse. Qui illius præsentiam constituunt, adeò variè illam describunt, ut verisimile sit eos aut illam vidisse nunquam, aut id quòd viderunt, fuisse aliquid præter naturam, quòd interdum contingere, jam supra diximus. Volunt quidam eam esse cribri instar perforatam, alii verò continuam, alii carnosam faciunt, alii nerveam. *Oribasius* autem *lib. 24.* multis rationibus eam rejicit. *Augent. 2. Epist.* & *1. consult.* 1. non est pars essentialis, quia nec materia, nec forma, nec quantitativa, quia semper non adest, nec tamen corpus mutilum est; itaque est accidentaria, & præter naturam: 2. sufficit ad virginitatem constituendam angustia cervicis uteri; ergo frustra membrana est, natura autem nihil facit frustra: 3. nullum usum habet, nec actionem, quin potiùs nocet, quia conceptum & menstruorum effluxum impedire potest, si sit integra & solida sine foramine: 4. quia nullum certum in corpore, situm authores ipsi attribuunt. *Laurentius* sectis quamplurimis, etiam trimestribus puellis, eam nunquam se reperisse fatetur. Alii igitur virgineum florem constituunt in coalitu quatuor caruncularum, quæ membranulis quibusdam & venulis inter se connectuntur, quas describit *Laurent. lib. 7. cap. 12.* Idem sentiunt *Varolius*, *Aquapendente*, quamvis enim illi hymenem constituant, nihil tamen à *Laurentio* diversum statuunt: volunt enim esse coalitum nympharum interventu membranæ. In adultis verò coalitus ejusmodi caruncularum, sensim solvitur, tùm ob dilatationem cervicis uteri, tùm ob sanguinis menstrui effluxum, tùm ob veneris titillationem & pruritum, maximè in libidinosis, quæ digito & frequenti confricatione, partes illas diducunt.

Ex ejusmodi quatuor caruncularum coalitu, contingit primo coïtu dum dilatantur, maximum fieri dolorem, & interdum etiam sanguinis effusionem, si puella junior sit, aut membrum virile grandius. Jusserat *Moses 22 Deuteronom.* explorari virginitatem sanguinis hâc effusione, cujus indicia in linteis servabant. Idem *Afros* & *Hispanos* interdum facere, apud quosdam authores legitur. Et sanè Sacræ Scripturæ authoritas valdè difficilis est, cùm ista linteorum cruentatio non sequatur perpetuò deflorationem, ut in virginibus adultioribus, quæ sæpiùs passæ sunt menstruorum effluvium; amplificatur enim uteri ostium, tunc primus congressus minùs difficilis est, & absque ullo cruore. Dicamus igitur Legem *Mosis* intelligendam esse de eo quòd sæpiùs accidit; solebant autem Hebræi puellas valdè juvenes ducere, ut annorum duodecim, in quibus non est mirum, si cruor sponsæ per genitalia stillarit, ob violen-

tam

tam amplificationem cervicis uteri, & attritionē illarum caruncularum, quæ florem virgineum constituunt, præsertim si virile membrum crassius sit. Sed plura eaque valdè elegantia, legantur apud *Fr. Ranchinum, tract. de virgin.* & apud *Augen.* loco priùs citato, *Severin. Pinæum,* & alios.

Cap. II.

De Amplitudine Et Lævitate Uteri, Et Pudendi Muliebris.

PRiori affectui contraria videtur uteri laxitas & amplitudo, quæ variis de causis contingere potest, ex coïtu nimis frequenti, ex partu laborioso, ut sæpè solet, aut vitio virilis membri crassioris. In collo autem interiore uteri, ex insigni illius debilitate contingit, ut ex longo menstruorum profluvio, aut fluxu muliebri, aut post partum difficilem, cujus affectus pauci meminerunt, præter *Hippoc. lib. 2. de nat. mulieb.* & *2. de morb. mulierum,* & tamen satis frequens est. Inde matrix adeò redditur imbecillis, ut fibræ ipsius relaxatæ, vix contrahi iterum possint. Malum conceptioni & fœtus gestationi noxium, semen enim uterus continere nequit. Digito obstetrix illud dignoscere potest, semen exceptum statim elabitur, præcessit humorum ab utero fluxus diuturnior, interdumque alia sequuntur symptomata pro humoris peccantis naturâ, ut dolores in lumbis.

Simplex amplitudo curatur adstringentibus solis, sed postrema hæc etiam roborantia postulat, & exsiccantia. Fotus conveniunt, pessaria, unguenta, & similia. ℞ *gallar. schœnant. cyperi, alum. ana* ℥ j, *menthæ, thymi, rosar. balaust. ana* M. j, *caryoph.* ℈ j. Coq. omnia pro fotu, vel vaporem decocti excipiat: ℞ *cortic. granator. sumach, fol. quercus, & consol. ana* M. ij, *alum.* ℥ j. Coqu. ad eundem usum. Spongia aut linteoli hoc liquore imbuti, applicari possunt, & in uteri collum indi. ℞ *nucum cupressi, gallar. ana* ℥ ß, *bursæ pastor.* M. j, *caryoph.* ℥ j, *aliptæ mosc.* ℈ ß, *spicæ* ℥ j ß. Coque in vino rubro pro fotu. Aqua aluminosa optima est. Pessaria & alia remediorum genera, ex præcedenti Cap. *de nimio menstruorum fluxu,* & Cap. *de humidâ uteri intemp.* & Cap. *de virginali adstrictione post partum comparanda, lib. 4.* repetantur.

Huic malo affinis est uteri lævitas, unde sperma virile continere nequit, sed effluere sinit. Natura enim uterum ideo fecit asperum, ut semen & fœtum ad constitutum tempus complecti posset. Quòd ipsi accidit

cidit ex nimiâ humiditate, aut pituitâ, ſicut & lienteria ventriculo. Itaque huic non aliter quàm intemperiei humidæ ſuccurrendum, exſiccantibus & adſtringentibus: ℞ *major. artem. thymi, balauſt. ana M. j, plantag. equiſeti, cupulorum gland. ana M. ß, caryoph.* ʒ ß, *alum.* ʒ *ij.* Coque in vino rubro, aut aqua chalybeata ad fotum partis; vel in prædicto decocto diſſolve tripheram magnam, vel micletam Nicolai, quæ bona eſt compoſitio ad omnes fluxus, cum intemperie frigidâ, & humidâ. Peſſaria, & unguenta, aliaque remedia, quæ *Cap. de humidâ intemperie* præſcribemus, huc referri poſſunt. Utatur per aliquot dies decocto ſudorifico. Mulier quæ ſine causâ manifeſtâ abortit, habet acetabula nimis humida & lubrica, ex *Hippocrate*.

CAP. III.

DE CLITORIDE ET NYMPHIS.

RIdiculus potiùs hic morbus eſt, quàm periculoſus aut lethalis, aut ullâ curatione dignus, quamvis valdè feriò quidam de eo ſcripſerint. Prominent autem nymphæ, clitoris, & caro quædam interdum præter naturam adnata; Veteres quidem nympharum meminerunt, & nymphotomiæ, non autem clitoridis, quamvis nymphis ea tribuerint, quæ ſoli clitoridi convenire poſſunt, ut inferiùs dicemus.

Sunt autem nymphæ, aliis pterygomata, ſeu alæ dictæ, productiones duæ membranoſæ, & carnoſæ, figura & colore palearia galli referentes, nunquam ultra labiorum pudendi dimidiam partem naturaliter deſcendunt, figurâ veluti triangulari, puellis valdè tenues, virum paſſis craſſiores; ab externis injuriis, ut pulvere, frigore uterum tuentur, tùm urinam dirigunt, ne in cavitatem cervicis diſtillet. Aliquando in uno latere, rariùs in utroque adeò excreſcunt, ut exciſione ſit opus: quare referente *Galeno, in Introd.* & *Aëtio, tetrab. 4. cap. 103. ſerm. 4.* Ægyptiis familiare erat, eas antequam excreſcerent amputare; quòd adhuc conſuetum eſſe apud *Presbyteri Ioannis* gentem, referunt *Iovius in hiſtor.* & *Bellon. lib. 3. obſerv. 28.*

In apice nympharum clitoris apparet pudendo virili ſimilis, ſed leporis pene non multò major, quem *Fallop.* eleganter deſcripſit; *Columbus* verò ſibi illius inventionem tribuit; Ligamenta duo habet cava, ſpongioſa, atro ſanguine referta, muſculos exiles quatuor, & carunculam in apice glandis inſtar, quæ præputio tegitur, ſed nullum habet mea-

meatum ad semen excernendum. Quibusdam adeò excrescit, ut penis virilis instar propendeat, & interdum spiritu inflatur & turget, & vestium aut manuum affricatione ita arrigitur, ut venerem virorum instar quædam exercuerint; Veteres, *tribades* vocabant. Multæ hauddubiè mulieres, quæ hermaphroditæ putantur, tantùm habent prominentem clitorida, *tentiginem* vocabant Veteres. *Fœminæ*, inquit *Cæl. Aurel. tribades appellatæ, utramque venerem exercent, mulieribus magis quàm viris misceri festinant, & easdem invidentiâ pene virili sectantur.* Eo vitio *Sappho* infamis erat; & refert *Leo Afer in histor. Africæ* esse hoc vitium illic satis familiare; Idem de duabus *Turcis Thessalonicensibus, cent. 7. curat. 18.* refert *Amat. Lusit.* Et testatur *Roderic. à Castro*, se vidisse *Vlißiponæ* aliquot mulieres ob simile scelus puniri. Vidit *Scenckius* minimo digito parem in longitudine & crassitie. *Martialis* quibusdam in locis tribadas istas exagitat, & *Bassam* quandam, fricatricem eleganti Epigrammate.

Quod nunquam maribus junctam, te Bassa videbam, &c.

Quod pariter vitium intellexit *D. Paulus, 1 ad Rom. 26.* Veteribus *nymphæ* nomine intelligitur; & *Paul. lib. 6. cap. 70. de nymphotomiâ* loquens, attribuit nymphis, ut arrigant, & venerem tribadum adimpleant, quòd de alis à nobis priùs explicatis, intelligi non potest, cùm nec ita propendeant, nec figuram habeant ad venerem exercendam idoneam. Quare nymphæ veterum videntur esse clitoris recentiorum; nostræ autem nymphæ sunt pterygomata veterum. Fieri potest, ut illæ quas in mares versas historiæ referunt, hoc tantùm affectu laborarint.

Sed præterea etiam potest illic caruncula adnasci satis magna, quæ nec clitoris est, nec nympha, quam se vidisse, refert *à Castro*, in muliere *Hamburgensi*, & in puellulâ unius anni. *Caudam* vocat *Aëtius*, *cercosin Paulus*, sed propriè *caudam* vocarem clitorida.

Fiunt autem ex humorum benignorum, scilicet sanguinis uberiori in illas partes affluxu, quòd maximè juvat manuum frequens confricatio, unde sanguis allicitur, & pars incalescit. Nymphæ à clitoride facilè à prædictis distinguntur: est enim clitoris peni respondens; nymphæ verò, alarum instar prominent. Cauda etiam propriè virilis membri effigiem non habet, sed massa est informis, viri quoque coïtum impedit, nec illum mulieres tolerare queunt; in clitoride autem acriùs in illum feruntur.

Risu dignus, ut dixi in principio, potiùs, quàm periculosus affectus

est; Ingratas quidem viris mulieres reddit, aliud malum secum non adfert: estque in curatione plus periculi, quàm in ipso malo.

Curatio igitur tota chirurgica est, quam *Ægyptii* in puellulis sectione perficiebant, atq; eâ de causâ forsan etiam adhuc etiã *Mahumetani* puellas circumcidunt. Operationem *Aëtius* loco citato describit: *Paulus* quoq; *lib. 6. cap. 70.* Sed rectè monet *Bauhinus* in *Theatro Anat.* operationem esse periculi plenam, ob largam hæmorrhagiam; & quia pars difficulter admittit cicatricem, ob excrementorum magnum defluxum. Monent quoque *Aëtius* & *Paulus*, ne ultra quàm par est, amputetur, aliàs succedit affectus, quem Rhyada Græci vocant. Refert *Plater. lib. 3. Observat.* in extuberantiâ, cuidam *Basileensi* fœminæ, carnem quandam ità excrevisse, ut collum anserinum amplitudine & longitudine exprimeret, nec scire potuit clitorisne esset, an aliud sarcoma: sed cùm Chirurgus eam filo arsenico imbuto circumligasset, magnus dolor subortus est, & inflammatio, cui priùs occurrendum fuit, unde postea Chirurgicam operationem recusavit, & valdè prudenter fecit meo judicio. Igitur si quæpiam istius partis amputationem pati vult, habeat in promptu Chirurgus adstringentia ad sistendam insignem hæmorrhagiam, quæ subsequi solet, quòd quidam faciunt cauterio actuali, aut oleo vitrioli, vel sulphuris; alii asperso pulvere adstringente: *Aëtius* poscâ utitur ex spongiâ, aut vino adstringente, dein aspergit mannam thuris, & post septimum diem cadmiam, aut pulverem ossium dactylorum. Alii verò primò venam secant, victum tenuem imperant, & siccantibus ad discutientibus imminuunt, si fieri possit, qualia sunt validè adstringentia, & calida sicca; demum causticis, ut *aquâ sublimati, vitriolo, & alumine usto unguento Ægyptiaco.* Sed si caro sit grandior, vix potest istis consumi; & cùm clytoris & nymphæ sint partes nervosæ & valdè sensibiles, absque periculo ista non possunt adhiberi; quare tutior est excisio: unde Veteres solius nymphotomiæ meminerunt.

Carnem superfluam quam *cercosin Paulus, caudam Aëtius* vocat, talem se vidisse refert *Amatus*, ponderis *25 librarum*, eique prædicta curatio adaptari debet. De eâ sic scribit *Aëtius*, loco citato: *In quibusdam*, inquit, *mulieribus, carnosa quædam substantia ab uteri osculo exoritur, & muliebre pudendum replet. Aliquando etiam extra progreditur instar caudæ, unde etiam nomen habet. Mulier itaque velut in nymphæ amputatione locetur, & prominens caruncula forcipe extendatur, & tota ex basi resecetur.* Post Chirurgiam, curatio velut in nymphâ peragatur. Hæc *Aëtius*, & hæc de curatione satis.

CAP.

Cap. IV.

De Cervicis Uteri Tumoribus, Inflammatione, Scyrrho, Cancro, Verrucis, Condylomatibus, Hæmorrhoidibus.

Collum uteri etiam varii tumores infeſtant, inflammationes ereſipelata, ſcyrrhi, cancri, verrucæ, condylomata, hæmorrhoides, multò frequentius quàm ipſum uterum, quoniam collum carnoſum eſt & muſculoſum, excrementorum non uteri ſolùm, ſed etiam totius corporis ſentina, & in coïtu etiam ſæpè affici poteſt, ſive grandior penis fuerit, ſive violentius & ſæpiùs agitetur quàm par eſt, ſive vir morbi venerei contagia in mulierem infundat, ſicut nuperrimè vidi mulierem, cujus maritus gonorrhœâ laborans venereâ, ipſam infecit, unde intumuerunt labia pudendi cum condylomatibus, & quibuſdam ulceribus valdè doloroſis, à quibus non niſi magno cum labore curata fuit, ſimulque erat gravida. Aliam quoque paulò antea videram valdè juvenem, & nuperrimè nuptam, cui ex ſimili causâ uteri labra adeò ulcerata erant, ut ſe movere in lecto non poſſet, ſed divaricatis cruribus ſupina jaceret, ne ſeſe mutuò labia ulcerata tangerent, quæ etiam nigricare incipiebant. Suntque ejuſmodi affectus in illâ parte valdè doloroſi, & curatu difficillimi, ob copiam excrementorum, unde ſæpè gangræna ſuccedit, nec niſi benigna commodè perfert remedia, ab acrioribus exacerbatur, cum cruciatu maximo.

Inflammatio & ereſipelas hic, ſicut in aliis partibus fieri poſſunt, ex defluxu ſanguinis bilioſi, quem coïtus frequentior, aut durior & rigidior penis, ad hanc partem allicere potuit, aut etiam luis venereæ contagium. Viſu cognoſci poteſt, ex tumore, dolore, & aliis tumorum ſignis. Curari poteſt more inflammationis uteri, de quâ dicemus ſuo loco. Vix unquam ad ſuppurationem ducendus tumor, ſi fieri poſſit, ne ulcus ſuccedat curatu difficile, benignioribus & anodynis tentanda reſolutio; Cataplaſma ex *lacte*, in quo *malva*, *parietar. ſolan. chamæm.* incoxerint ad putrilaginem, addita micâ panis, blandè reſolvit, & partem relaxat, doloremque ſedat. Cætera quæ aliis inflammationibus dicantur remedia, huc referantur.

Pariter cancer huic parti accidere poteſt, ſæpiusque quàm ipſi utero,

in quo incurabile malum eſt. De eo autem, & ejus curatione, dicemus inferius.

Frequentius autem accidunt condylomata, verrucæ, hæmorrhoides, ſicut & in ano ſæpiſſimè contingunt. Eſt autem condyloma eminentia quædam, ſive tumor in rugis illis carnoſis pudendi, ſecundum *Aëtii* ſententiam: ſed *Paulus* tantummodo ita vocat, quando occalluit, eſtque interdum cum inflammatione durum, interdum citra illam, eſtque mollius, interdum cum rhagadibus, interdum etiam abſque illis. Fiunt ex craſſis humoribus, quales ſunt melancholici & pituitoſi invicem permiſti: Fiunt quoque ſæpè poſt longos & fœdos fluores uterinos, coïtus immoderatos, partus, vel aborſus violentos, aut alias ob cauſas, quæ craſſos ejuſmodi humores in uterum præcipitare poſſunt; ſed ſæpiſſimè ex virulentâ gonorrhœâ, & luis venereæ contagio. Cognoſcuntur per dioptran, & ſi plura ſint, parvi racemi ſpeciem referunt. Dolor parvus adeſt, niſi attritu coïtus exaſperetur, aut ſit inflammatum, aut rhagadibus complicatum. Malum eſt curatu difficillimum, quòd medicamentis non cedit, ſæpius repullulat, & renaſcitur, maximè ſi ſit ex lue venereâ. Ad curationem igitur obſervetur primùm, an ſit inflammatum condylomia, nec ne; priùs enim ſedanda eſt inflammatio, & dolor mitigandus. Pariter ſi a lue venereâ fiat, illius cauſæ priùs omni artificio curentur, aliàs fruſtra circa iſtos particulares affectus laborabimus. Sedatâ inflammatione, medicamentis repellentibus, adſtringentibus, & exſiccantibus eſt utendum. *Celſus* laudat decoctum *verbenæ*, *enulæ camp. lentium*, *ſummitatum rubi*, *malicor. acaciæ*, *balauſtiorum*; quibus addi poſſunt diſcutientia quædam, ut *thymus*, *chamæm. hyſſop.* Quòd ſi hæc non ſufficiant, fortioribus eſt utendum, ex *tuthiâ*, *ceruſſâ*, *litharg. emplaſt. diachalcit.* duplicatâ doſi chalcitis. Sed ſi durum fuerit, emolliendum priùs eſt, *peſſo aureo*, aut ſimili ex *butyro*, *vitello ovi aſſato cum oleo roſato*, dein digerentibus & ſiccantibus prædictis eſt utendum; quibus ſi non cedat, fortiora ſunt uſurpanda, quæ etiam detergeant & corrodant. Laudat *Aëtius* miſii uſtum, terebinthinâ exceptum, cujus loco uti poſſumus *vitriolo uſto*. *Vnguentum Ægyptiacum* & *Apoſtolorum* proderunt, *teſtæ ovorum uſtæ*, *ſapo venetus cum aceto*. Pulvis ſequens à multis laudatur: ℞ *ſabinæ exſiccatæ* ℥ j, *hermodact. myrtillor. ana* ʒ iij, *ariſtoloc.* ʒ j, *chalcit. alumin. ana* ʒ ij; fiat pulvis; quem ſi acriorem velis, addere potes *auripigmenti* ʒ j; ſed valdè dolorificus eſt, unde quidam *opii* aliquid admiſcent, ob ſenſum partis, quæ medicamenta acria difficile

cile fert. ℞ *cerussæ, litharg. aluminis usti, tuthiæ ana* ʒ j ß, *chalybis præpar. vitrioli albi ana* ʒ j, *gallarum* ʒ ß, *ærug.* ℈ j, *olei rosſ. ceræ & terebint. q. ſ.* Misce, fiat unguentum. Pulvis præcipitati idem præstare poterit, vel *sublimatum aquâ rosar.* vel *plantag.* infusum, ex panno lineo parti adhibitum. *Platerus in observat.* istud commendat; ℞ *mercur.* ʒ ij, *exting. cum res. laricea* ℥ j; adde *minii* ʒ ij, *ærug. æris* ʒ ß, *olei nucum* ℥ ij; fiat illitio. Quidam laudant aquam, quæ ex sarmentis vitium ustis distillat, *aquam aluminosam, oleum tartari, vitrioli*, vel *antimon. saponem nigrum* cum *sale marino, æruginem* cum *sulphure vivo*, & alia ejusmodi acria, quibus tamen ob acerrimum partis sensum cautè utendum est. Tandem alii ad Chirurgiam veniunt, si veluti verrucæ pendeant, filo ligant, & sic alimento destituta decidunt; vel abscindantur novaculâ, sanguis sinatur effluere, ut pars levetur crasso sanguine, ex quo fiunt condylomata; dein imponendum sanguinem sistens medicamentum, ex *bolo, gallis alumine*: alii verò urunt, ut *Celsus*. Sed hæ operationes omnes periculi plenæ sunt, ob naturam partis humorum defluxione, & putrilagini obnoxiam.

Verrucæ quoque eodem in loco nascuntur, non minùs curatu difficiles. Sunt tumores instar monticulorum eminentium, extra superficiem partis cui adhærent, quæ si pensiles sint, dicuntur *acrochordones*; si callosæ, & majorem habent basin, *myrmeciæ*, quasi formicariæ, quæ si valdè crassescant, & scindantur in morem thymi, aut instar ficus & mariscæ, dividantur, tali nomine vocantur. Solent autem in uteri collo esse malignitatis cujusdam participes, & ad cancri naturam accedunt, fiuntque ex humoribus crassis & fæculentis, & frequentissimè ex luis venereæ contagio, quamvis etiam aliis de causis fieri possint.

Facilè autem dignosci possunt, nam visu, & tactui patent, aut saltem immissâ dioptrâ facilè conspiciuntur. Mitiores autem colorem habent album, aut rubicundum absque dolore; sed maligniores duræ sunt, dolentes, colore livido, & cum sordibus. Sunt autem curationis valdè difficilis, maximè si ex lue venereâ procedant, aut ad cancri naturam accedant: curari enim non possunt, quin mali labes omnino avulsa fuerit. Faciliùs curantur acrochordones; difficiliùs autem myrmeciæ & thymi, qui excisi plùs sanguinis emittunt, quàm viso ejusmodi tumore quispiam sperasset, & præterea etiam facilè renascuntur.

Acrochordones ligantur filo, aut setâ equinâ, donec alimento privatæ spontè decidant; Quarum autem basis lata est, exscindi scalpello pos-

possunt, vel medicamentis exsiccari. Si sint dolentes, ne tangantur acribus, metu cancri, sed cura tantùm sit palliativa; aliàs, ℞ *aquæ plantag.* ℥ vj, *corcidis æris* ʒ ij, *alumin.* ʒ ij, *salis communis* ℥ ij, *vitrioli romani & sublimati ana* ʒ ß; terantur omnia simul, & servetur aqua ad verrucas extirpandas, cavendo ne pars sana tangatur. Alii urunt *oleo vitrioli*, vel *sulphuris*, vel aqua forti *aurifabrorum*, partesque circumjacentes munire oportet litu ex *unguent. de bolo*, aut *oxycrato*, & aliis repellentibus. Quæ minus malignæ sunt, remediis mitioribus exsiccari possunt: *stercus bubulum calidum* illitum, probat *Aët.* sicut & sequens *Origani festucam* accendito, & verrucæ admoveto, ut non incendatur, sed fumum suscipiat. *Soleas veteramentarias* & *cucurbitam* exurito, & locis priùs vino lotis, inspergito. Si maligni non sint, *thymi* resecentur, dein *galla* trita, & *alumen* scissum imponatur, cum *thure*, aut *stomoma* cum *rosarum flore*, & *cytinis siccis*. Si maligni sint, cave à sectione, ut docet *Aëtius*. Laudatur præterea pulvis *ochræ*, & *sabinæ*, *lac tithymali*, vel *ficus*, *ærugo*, cum *sulphure vivo*, *trochisci de asphodelo*, aut de *calce vivâ Fernelii*. Aqua ex *sarmentis viridibus ustis* destillans, etiam commendatur, sicut & *sapo niger*, cum *sale usto*.

Sed præterea in uteri collo, & cervice venæ, quæ in has partes desinunt, crassiore & fæculento sanguine repletæ, intumescunt, & eminentias ani hæmorrhoidibus persimiles efficiunt, quas ideò uteri *hæmorrhoidas* Medici vocant, eademque accidentia inducunt, quæ reliquæ in ano ortæ, solent inducere, & præterea sterilitatem. Interdum dolent, interdum verò doloris expertes sunt, nunc cæcæ sunt, nunc sanguinem profundunt per brevia intervalla, nonnunquam etiam per longiora, raró per statuta tempora. *Aëtius* illarum tria facit genera, solo situ differentia, nam vel in orificio uteri, vel in collo, vel in pudendo consistunt; sed propriè vocari ità debent, quando sunt in pudendo, aliàs, fluentes hæmorrhoides à fluentibus menstruis non distinguerentur, cùm enim menstrua virginibus ex cervicis venis profundantur. Unde non potuit *Mercurialis* hæmorrhoides à menstruis fluentibus secernere; scribit etiam fluxum menstruorum habere periodos, & esse sine dolore. At hoc non est perpetuò verum, sæpè enim menstrua fluunt inordinatè, & cum dolore, nec tamen vocari potest fluxus ille hæmorrhoidalis. Si igitur pudendi venæ intumescant, & sanguinem stillatim cum dolore profundant, sunt hæmorrhoides uteri, ut rectè docet *Rodericus à Castro*.

Suntque variæ illarum differentiæ, vel mites sunt, vel malignæ, vel inflam-

inflammatæ, vel abſque inflammatione, vel cæcæ, vel apertæ, aliæ morales, aliæ verrucales, aliæ veſicales ſunt, & aliæ plures differentiæ, ſicut & hæmorrhoidum ani.

Fiunt autem, quando craſſior & fæculentus ſanguis extra menſtrui tempus ad eas confluit, qui, niſi evacuetur, craſſeſcit, unde tument, & interdum inflammantur; ſuccedunt inflammationibus, rhagadibus, & partui laborioſo evocato, ad ejuſmodi partes ſanguine.

Tactu autem deprehendi poſſunt, meliùs tamen per dioptram inſpiciuntur, tuberculum eminet ſubrubrum & cruentum, ſanguisque guttatim exit ſine ullo ordine, ſine periodo, cum laſſitudine, pallore, macie, interdumque gravi dolore, & lumborum, tempore purgationis magnâ gravitate. Fœminæ colorem fæculento ſanguini, aut humori perſimilem habent, aliquando pallidus color eas apprehendit, ex frequentibus ſanguinis vacuationibus, nonnunquam laſſitudine, aut imbecillitate detinentur.

Eas autem moderatè fluere bonum eſt, à multis enim morbis præſervare poſſunt; cæcæ autem, dolentes, malignæ, duræ, aſperæ, grandes, curatu ſunt valdè difficiles. *Aëtius* varicoſas & malignas dimittere ſuadet, reliquas non aliter curare, quàm quæ in ſede ſunt. Duras quidem, & modicum ſanguinis fundentes, neque vaſis annexas ſtatim amputare; Eas verò quæ multum ſanguinis emittunt, circa baſin undique ſcarificare, & volſellâ elevatas funiculo conſtringere, & paulatim reſecare, ac medicamentum ſiccum inſpergere. Sed hæ curandi rationes in ejuſmodi parte valdè periculoſæ ſunt. *Hippocrates* aliam medendi viam citra Chirurgiam proponit, docetque quomodo hæmorrhoidas uteri exſiccare oporteat, *lib. de hæmorrh.* Initio locum fovet aquâ calidâ, ut duritiem emolliat, & dolorem leniat. In aquâ illâ calidâ res odoratas incoquit, ut uterum deorſum alliciat, tùm medicamentum dat quòd in uterum immittat, & hæmorrhoidibus ſuperponat, ut reſiccatæ decidant; fit autem ex *myricâ, ſpumâ argenti, gallâ*, quibus contritis addit *vinum album, oleum*, & *adipem anſeris*, quod medicamentum vim habet deſiccandi, detergendi, & adſtringendi. *Aëtius* ad uteri hæmorrhoidas exſiccandas aptiſſima eſſe dicit medicamenta *Hippocratis*, quæ ad ani hæmorrhoidas deſcribuntur; hucque referri debent univerſalibus præmiſſis, bonâ ſcilicet victus ratione, venæ ſectione, & purgatione, de quibus loco citato diximus; dolor ſi urgeat, leniendus erit, fotibus ex decocto *malvæ, alth. verbaſci, parietar. viol. chamæm. ſem. lini, fœnugr. unguento*

guento ex oleo sem. lini, violaceo, nenupharino, amygd. dulc. de vitellis ovorum, cum *axung. anatis, gallinæ, cerâ*, & *croco*. Cataplasma ex micâ panis in lacte cocta, etiam confert. ℞ *mucilag. seminis cyton. alth. ana* ℥ j, *olei violati*, & de *vitell. ovor. ana* ℥ ß, *croci* ʒ j, *ceræ* ℥ ß, *far. hord.* ℥ j. *fiat catapl.* In magnâ doloris acerbitate *unguentum populeum*, & *narcotica* possunt admoveri, ut *hyosciamus, opium*, &c. Quod si dolor inflammationi & distensioni junctus sit, narcoticis abstinendum, & solis relaxantibus utendum. Pessus ex *philonio* dissoluto in *oleo rosaceo* dolorem lenit. ℞ *olei nenuph. de papav. ungu. popul. ana* ℥ ß, *vitell. ovi* N. j, *croci* ʒ j, *ceræ* parum. Fiat linimentum. ℞ *rad. lilior.* ℥ j, *folior. malvæ, papav. albi, hyosc. ana* M. j, *flor. chamam. meliloti, anethi, ana* P. ij, *sem. lini, fœnug. ana* ʒ ij. Coque ad mollitiem. Adde *far. hord.* ℥ j, *axung. gallinæ* ℥ j ß, *opii grana* x, *croci* ʒ j. Misce, fiat catapl.

Dolore sedato, si cæcæ sint, exsiccantibus utendum est, citra mordacitatem, ut *cerußâ. litharg. plumbo usto, bolo armenâ, terrâ lemniâ, tuthiâ, acaciâ, alumine*, &c. ℞ *cerussæ, litharg. plumbi usti & loti ana* ʒ j; cum *melle* fiat unguentum; probatum ab *Arnoldo Villanovano*. Sequentia probat *Aët. Spodium & rosas siccas terito & inspergito, aut acaciam vino austero tritam, aut terram lemniam cum aceto illitam, aut stibium cum thure, rosis rubris, malicorio, balaust. spodio*. Aliud ad hæmorrhoidas efficacius. ℞ *succi mandrag. alum. acac. ana* ʒ ij; cum vino fiant pastilli, eosque vino dilutos illinito. Addi poterit *rubricæ sinopicæ, sandicis ana* ʒ j. ℞ *diphrygis* ʒ vj, *cerussæ, litharg. plumbi usti & loti, succi hypoc. ana* ʒ iij. Excipe *succo cicutæ*, & cum *vino* adhibe.

Si valdè tumeant, ad vacuandum humorem, emollientia & discutientia prosunt, ut fotus ex *malvâ, pariet. verbasco, primulâ veris*, & similibus: Quæ si non sufficiant, aperiendæ sunt, vel applicatis hæmorrhoidibus, vel locum fricando foliis *ficus*, aut *cepæ*, aut *parietariâ*, aut *panno aspero*, & aliis; quæ *Cap. de hæmorrhoidibus* autores recensent. Scalpello autem eas aperire, periculosum est, ne mala ulcera fiant, aut insignis hæmorrhagia sequatur.

Si inflammatæ sint, remediis ad phlegmonem utendum est, revellentibus, evacuantibus, & topicis initio repellentibus, post demùm resolventibus, sicut alibi à nobis dictum.

Si nimium fluant, compescendæ sunt iis, quæ ad immoderatum menstruorum fluxum scripsimus, venâ in brachio sectâ, ligaturis dolorificis, cucurbitulis superioribus partibus applicatis, fotibus adstringentibus ex decocto

decocto *rosar. balaust. sumach*, *alum. myrti*, in aquâ chalibeatâ facto; linimentis ex *oleo myrtil. bolo armenâ*, *thure*, *sangu. dracon.* & similibus adstringentibus. Istis nihil proficientibus, quidam eas causticis urunt, sed iste modus minùs tutus est ob exquisitum partis sensum, quare potiùs adstringentibus id præstandum.

Cap. V.

De Scabritie Pudendi, Ulceribus, Rhagadibus, Gangræna.

Uteri osculum & cervicem sæpè affligunt pustulæ quædam leviter extuberantes, cum pruritu & furfuribus, fiuntque ex humoribus adustis, acribus, biliosis, & malignis, ut in iis quæ lue venereâ infectæ sunt, unde fiunt curatu contumaces, dolorosæ, malignæ, contagiosæ. Facilè ægrotantis relatione cognoscuntur, referre enim potest se pruritu & asperitate quâdam cum dolore affligi, tum etiam per dioptran visu dignosci possunt. Curantur 1, optimâ diætâ, euchymâ & refrigerante, vitatis omnibus acribus, acidis, salsis: 2. sanguinis missione, & redundantis caçochymiæ purgatione, præmissâ priùs præparatione, ex iis quæ atræ bili conveniunt, ut *borragine*, *cichor. fumar. viol. epithymo*, &c. Si lues venerea adsit, propriis illius morbi remediis utendum, ut decocto *gaiaci*, *chinæ*, *sarsæparillæ*, vix enim aliàs tuta curatio sperari potest, sed curatæ repullulant. Topica quòd spectat, fotus & lotiones conveniunt ex *oxylapatho*, *fumar. scabiosâ*, *helen. malvâ*, & similibus, litus ex butyro cum sulphure, aut unguento enulato: ℞ *olei ros.* ℥ j ß, *vitel. ovi N. j*, *butyri recentis* ℥ j, *litharg.* ℥ ß, *nitri* ʒ j. Misceantur omnia in mortario plumbeo donec nigrescant, & locus affectus inungatur. Si contumax morbus est, acrioribus utendum erit, ut *flore æris*, *sublimato*, *auripigmento*, &c. ℞ *vini albi*, *aquæ rosf. plantag. ana* ℥ iij, *nitri alum. ana* ʒ j, *viridis æris grana vj*, *mercurii sublimati grana iiij*. Bulliant simul, & hujusmodi aquâ pars affecta tangatur; quòd si acrior videatur, postea aut butyro recenti, aut lactis cremore inungatur, aut emplast. diachylon apponatur. Sequens unguentum valdè commendat *Rodericus à Castro*, ℞ *radic. enulæ camp.* ℥ iiij. *Coqu. in s. q. aquæ, cum pauco aceto ad mollitiem*, dein contundantur, & transmittantur per setaceum, & adde *axungiæ suillæ sine sale* ℥ iij, *succi ebuli, & fumar. ana* ℥ j ß, *mercurii salivâ jejuni extincti*

tincti ℥ ß, *cerussæ*, *litharg. ana* ℥ j, *sulph. vivi* ʒ j ß. Agitentur per horam, pulveres sensim commiscendo. Commendat quoque collyrium *Lanfranci*, quæ *Guido* ante probaverat, & non multum differt hoc unguentum ab enulato. *Rhagades* quoque sicut & in ano in hâc parte fieri solent, fissuræ sunt sive rimæ, aut ulcuscula oblonga, parva, iis similia, quæ in digitis manuum ac pedum post ingentia frigora supervenire solent. Fiunt inter rugas partis illius, cum paucâ aut nullâ sanie; quæ si fricentur, sanguinem fundunt, suntque interdum superficiariæ, interdum profundæ & callosæ, ubi diuturnæ fuerint, & sæpe tumori cuidam aut insigni elevationi conjunctæ, cum siccitate & duritie, interdum quoque cancrosæ sunt. Nascuntur autem ex humoris acris affluxu, aut condylomatum inflammatione & distensione ruptâ cute, tum à longis & fœdis fluoribus uterinis, nonnunquam ex difficili partu, aut immoderato & violento coïtu, unde cutis disrumpitur.

Cognosci possunt tùm per dioptram, tùm quia coïtum absque dolore non sustinet mulier, sed aliquid cruoris effundit. Causæ si externæ fuerint ut coïtus, & partus laboriosus ac fœdus, relatione cognoscitur; pariter si inflammatio adsit aut condyloma, suis signis innotescent; aliàs, solus humorum acrium affluxus accusandus est. Rebelle malum est, præsertim antiquum, quòd non cedit, sed sæpiùs repullulat & renascitur.

Conveniunt autem ad earum curationem fotus ex decocto *scabiosæ, fumar. lupuli, rosʃ. tapsi barb. myrti. malvæ, alth. hord. lapat.* tùm quoque *butyrum recens* sine *sale, pomata, oleum violat. rosat. de sem. lini*, aut de *vitellis ovorum*, ductum in mortario plumbeo, pistillo plumbeo, ad mellis crassitiem; addere potes *æsypum, succum portul.* cum *pulvere gallar.* Tùm etiam *unguent. rosac. diapomphol. de cerussâ, de plumbo, de litharg.* & similia. ℞ *succor. plantag. portul. consol. ana* ℥ j, *succi solani, sempervivi lact. ana* ℥ ß, *olei rosati, myrtil. ana* ℥ ij, *litharg.* ℥ ß, *cerussæ lotæ* ʒ iij, *plumbi usti, antimon. tutbiæ, boli arm. ana* ʒ j. Agitentur in mortario plumbeo, pistillo plumbeo ad formam nutriti; vel decoquantur prædicta in oleis ad succorum consumptionem, & cum cerâ, fiat unguent. *Vitellum ovi* assatum cum lacte muliebri, & cerato rosaceo subactum imponatur, ubi fervor & cancri suspicio est: ℞ *unguent. citrini* ℥ j, *aloës, myrrhæ, thuris, mastich. ana* ʒ j, *balaust.* ℈ j, cum *oleo rosato*, fiat ungu. in mortario plumbeo. Unguent. pompholigos, vel divinum, dissolutum in oleo rosaceo, cum pauco alumine. *Aëtius* sequentia laudat composita ex pompholige,

M 2 stibio,

stibio, plumbo usto, aut ex stibio, acaciâ, litharg. ℞ *litharg. cerussæ, plumbi usti, ana* ℥ ß, *stibii* ʒ j, *tuthiæ, cadmiæ, ana* ℈ ij, *cum vino vel oleo myrtino* tere & serva: Adde si vis, ceram & adipem anserinum. ℞ *aloës, opii, stibii, myrrhæ, ana* ʒ j, *thuris, ærug. ana* ʒ ß; excipe *passo*, aut *oleo myrtino*. *Rodericus à Castro* sequentibus utitur: ℞ *olei rosati* ℥ ij, *pulveris myrobalan. citrin.* ʒ iiij, *ceræ q. s.* M. Valet etiam ad fissuras mammarum; vel ex *mucilag. sem.citon.* cum *plumbo usto*, & *oleo rosʃ. omphacino*: ℞ *olei ovorum de sem. lini ana* ʒ x, *adipis hircini, tereb. ana* ʒ iij, *thuris, mastich. ana* ʒ ß, *res. pini* ʒ j, *aloës* ʒ ij, *succor. tapsi barb. plantag. caudæ equinæ ana* ℥ j. Coque ad succorum consumptionem; tum adde *litharg.* ℥ ß, *cerussæ* ℥ j, *plumbi usti, tuthiæ ana* ℥ ß. Misce in mortario plumbeo per horas duas ad coloris mutationem.

Sed præterea ad curationem considerandum est, utrum sint profundæ, an superficiales tantùm; callosæ, an sine duritie; recentes, an inveteratæ, nam recentes sanguinolentæ, aut à causis externis, ut partu laborioso excitatæ, solis adstringentibus & glutinantibus indigent, ut fotu ex *decocto plantag. rosar. aristoloc. cum bolo arm. sang. dracon. cortice thuris*; ex quibus cum *albumine ovi, lanâ*, vel *bombyce* exceptis, fiant pessaria. Fit unguent. ex *melle, vino rubro austero*, & *vitellis ovorum*, coctis in pulticulæ formam; lenit enim dolores, deterget, modicè adstringit: Si verò non ab externâ causâ, sed ab humorum acrium affluxu fiant, victus ratio & humorum idonea catharsis præcedere debent topicorum admotionem. Si adsit condyloma, priùs curari debet, ut suo loco dictum est. Si pruritus adfuerit & siccitas, fovendus locus est humectantibus, ut decocto *malvar. sem. lini. jusculo capitis vervecis, mucilag. sem. psyllii, citon. pomatâ, butyro recenti*. Si ardor conjungatur, addi poterunt unguent. popul. album caphuratum, aut diapomphol. ℞ *unguent. popul.* ℥ j, *camph.* ℈ ij, *cerussæ lotæ* ℈ j, *cum albumine ovi, aut lacte mulieb. Fiat unguent.* Pomata etiam valdè prodest. Si sint callosæ, curentur emollientibus, ut *oleo liliorum, medullâ, cervinâ, tereb.* & aliis, quæ dicta sunt *Cap. de condylom.* deinde atterendus callus est, vel ferro, vel causticis medicamentis; deinde renovato ulcere, ejus curatio procuranda, quòd in ejusmodi parte valde difficile est, ob exquisitum illius sensum, nervosam naturam, & excrementorum continuum affluxum. Si metus sit cancri, prædicta conveniunt ex succis *portul. plantag. psyllii, solani*, & aliis cancro convenientibus. Si verò sint malignæ ex lue venereâ, adde prædictis pulverem *Joannis de Vigo*, aut *sublimat.* vel tangantur aquâ *Fernelii* ad ulcera.

Ulcera cervicis uteri quod ſpectat, illis eadem curatio debetur, ac ulceribus ipſius uteri, de quibus ſuo loco agemus, quamvis ſæpius in cervice quàm in ipſo utero ulcera contingant.

Sed contingit interdum, ut inflammationi, ulceribus, aliisque affectibus, gangræna ſuccedat, unde totus etiam uterus corruptus fuit, & ſponte excidit, aut ſectione ablatus fuit, ut refert *Roſſetus lib. de partu Ceſar.* & *Scenckius in Obſervat.* Facile autem pars hæc ob caliditatem & humiditatem, ac excrementorum, quorum receptaculum eſt, copiam putreſcit, & quoniam liberè non perſpirat, gangrænam incurrit, & procedente malo, etiam ſphacelum, ſive abſolutam mortificationem. Fit autem ex cauſis omnibus, quæ calorem partis nativum extinguere valent: quales ſunt primò magna humorum ſive calidorum, ſive frigidorum copia, eaque tanta, ut partis inſitum calorem obruat, & ſuffocet, ut in magnis inflammationibus, tumoribus, abſceſſibus, cùm plus ad partem affluit, quàm coquere & permutare poſſit, ſed maximè, ſi aliquis in curatione error admiſſus fuerit: II. venenata humorum & maligna qualitas, ut in cancro, & ulceribus mali moris, maximè, ſi importunis remediis curentur: III. aëris frigida intemperies, nam frigidum nervoſis partibus inimicum, unde uterus procidens aëris appulſu alteratur, nigreſcit, & tandem emoritur: IV. medicamenta aut narcotica, quæ calorem extingunt, aut nimium calida, ut cauſtica & ſeptica, quæ eundem deſtruunt: V. contuſio, obſtructio, arctior ligatura verrucarum, clitoridis quando hæc curatio contingit, ſpiritus vitalis influxum prohibent, unde innatus ſenſim perit & exolvitur. Potiſſimum autem in collo pudendi provenit ex inflammatione, cancro, & ulceribus malè curatis.

Signa ſunt calor primo inſolitus cum febre lentâ, partis color lividus, nigreſcens, mollis, cadaveroſus, cum ſenſus deperditione; adſunt quidam horrores & tremores corporis, animi deliquia, partis fœtor. Malum graviſſimum, cui niſi citò adhibeantur remedia, vicinas primum partes, dein univerſum corpus putrefacit & extinguit, mortemque affert.

Ad curationem ſiſtenda primum putredo eſt, & quod corruptum eſt, auferendum, & ſymptomata mitiganda. Arctior ligatura ſolvenda eſt, materia venenata alexipharmacis corrigenda, dein pars decoctis calidis abluenda, ex *melil. chamam. abſynthio, & theriacâ cum aquâ vitæ,* non omiſſis interea levibus inciſionibus. Humoris copia purgatione aut venæ

venæ ſectione tollenda; deinde abluatur pars *decocto plantag. ſolani*, aut eorum *ſucco* cum *aceto*: Ad evacuationem autem humoris in parte contenti, & partis difflationem, ſcarificetur uſque ad partem ſanam, & poſtea abluatur, vel *aquâ ſalsâ*, vel *decocto abſynt. lupin. myrrhæ*, in lixivio facto, vel *ægyptiaco* cum *aquâ vitæ*, vel ſolâ *aquâ vitæ*, in cujus ℥ j ß *cholcotaris* ℈ ß diſſolvatur, vel ℈ j: dein ſcarificationibus ſuperponatur *ægyptiacum* linteolis exceptum, aut cataplaſma ex *farinis fabarum, orobi, lupinorum*, coctis in *oxymel*. quòd efficacius erit, ſi addamus *aloën, maſtichem, myrrham, ſal commune, mel roſatum, aquam vitæ*, nam putrefactionem prohibet, exſiccat, dolorem ſedat, partem roborat. Si malum contumax eſt, uti poterimus *trochiſcis Andron.* vel *ſublimato* diſſoluto *in vino* aut *melle roſato*, ſemper imponendo catapl. ex *farinis*. Verùm in ejuſmodi parte ejuſmodi acria minùs conveniunt, præſtat prioribus uti; quibus ſi malum non cedat, pars corrupta amputanda eſt, aut ſectione, aut uſtione, uſque ad carnem ſanam, ut Cap. *de gangræna* dicemus. Demum cor cardiacis roborandum eſt, ut *theriacâ, mithrid. pulvere diamarg. de gemmis*, & ſimilibus, tum internis, tùm externis alibi recenſitis.

Cap. VI.

De Uteri Intemperiebus.

Uterum variæ intemperies occupant, de quibus hoc loco agendum, quoniam ipſius facultates lædunt, aut menſtruorum vacuationem, aut conceptionem, aut fœtus geſtationem. Sunt autem variæ, ſimplices, vel compoſitæ, ſolitariæ, aut cum materiâ. A calidâ autem ducemus initium, quæ ad omnes uteri actiones promovendas & conſervandas efficaciſſima eſt, quamdiu naturæ limites non excedit; aliàs conceptioni nocet, ſeminis calorem diſſipando. Quibuſdam autem naturalis eſt, aliis autem uſu rerum calefacientium, alimentorum & medicamentorum contingit, ut vini generoſioris, ciborum calidorum, & piperatorum, exercitiis laboribus, venere multâ, & aliis ejuſmodi.

Signa autem intemperierum uteri, à quatuor fontibus deſumemus, menſtruorum diſpoſitione, veneris appetitu, conceptione, & pilorum naturâ.

Si igitur calida fuerit intemperies uteri, illius in corde & hepate ſigna elucebunt, quoniam totius corporis conſtitutio ſequi ſolet temperiem jecoris

jecoris & cordis. Præterea menſtrua ſunt pauca, craſſa, flava, aduſta, acria, & mordicantia. Pili in pube citò naſcuntur, magnus eſt veneris appetitus, bilisque copia magna eſt.

Contrariis ſignis frigida elucet, nam nec magnum eſt veneris deſiderium, nec magnus pilorum proventus, menſes pituitoſi, albi, aquoſi, craſſi, & ſæpe ſupprimuntur; color eſt pallidus, corpus torpidum, pulſus ſunt rariores, ſomni longi & profundi, pituitæ vomitus, & excretio, urina aquoſa, calida proſunt, frigida lædunt; cauſæ refrigerantes præceſſerunt, ut otium, quies, cibi, & medicamenta frigida: eſtque hæc magna ſterilitatis cauſa, non enim concipiunt quæ frigidos & ſpiſſos habent uteros, *5. aphor.* utplurimum pituitoſi humoris magnus ſimul adeſt proventus.

Humidus autem uterus cognoſcitur non ſolùm ex totius temperie, verùm etiam quia menſtrua ſunt copioſa, aquoſa, tenuia, loca muliebria valdè humida, frequenter abortum patiuntur, aut minùs commodè concipiunt, venere minùs delectantur. Præceſſerunt cauſæ refrigerantes, victus aquoſus, immodicus potus, vita ſedentaria, plerumque autem frigidæ conjungitur.

Siccitas uteri cognoſcitur: nam præter ſigna temperiei totius, adeſt ſiccitas locorum, & ardor, paucitas & craſſities excrementorum, ac ſeminis, venerem appetunt, ſed eâ citò ſatiantur, adſunt in inferiori labio ſciſſuræ. Adſunt cauſæ exſiccantes, ut labores, vigiliæ, vacuationes, exercitationes, inflammationes illarum partium, menſtruorum defectus, & aliæ cauſæ, quæ ſiccam intemperiem poſſunt inducere, pulſus velox, urina coloratior, corporis vividus color. Compoſitarum intemperierum compoſita ſunt ſigna, quæ ex ſimplicibus facilè colligi poſſunt.

Omnes ejuſmodi intemperies, ut docet *Hippoc. 5. aphor. 62.* ſterilitatem inducere poſſunt, & præterea etiam alia plurima incommoda, circa menſtruorum purgationem, & fœtus geſtationem, nam calidæ menſes habent pravos, difficiles, inordinatos, furore uterino interdum corripiuntur, aut fiunt tandem hypochondriacæ. Frigidæ verò menſium obſtructiones ſæpiſſimè patiuntur, & fiunt ſteriles, ſicut humidæ & nimium ſiccæ. Difficillimè autem ſiccitas emendatur, reliquæ minùs curatu ſunt difficiles, quamvis quælibet illarum ſi diu duraverit, ægrè curetur.

Curantur autem ſingulæ ſuis contrariis, potiſſimùm ratione victus.

Ubi

Ubi notandum 1, remediis esse utendum diu & constanter, nam intemperies omnis longo tempore introducitur, ideò non nisi temporis diuturnitate emendatur. 2. In omnibus uteri affectibus noxium esse acetum, ut docent *Hippoc.* & *Galen. 3. acut.* Cur autem acetum ventriculo minùs quàm utero noceat, rationem reddit *Avenzoar*, 1. quia ventriculus longo tempore, & ciborum assuetudine, contrahit callum quendam, unde minùs offenditur, uterus verò minùs assuetus læditur: 2. quia stomachus magis carnosus est quàm uterus, unde minùs percipit aceti acrimoniam: 3. quia ventriculus humoribus crassis oblinitur, qui aceti punctionem retundunt. Verumtamen forsan si acetum merum ipsi utero inderetur, fieri posset, ut pars ejusmodi nervosa & valdè sensilis, maximè læderetur: At ex assumptis medicamentis, in quibus parum aceti admiscetur, non ita læditur, quia ventriculo primùm excepta aceti vires retunduntur, antequam ad uterum perveniant.

Calidæ igitur intemperiei frigida conveniunt, ut sunt ea, quæ bilem temperant, jecur, cerebrum, & reliquas partes refrigerant, cavendo semper ne nimium refrigeremus, quia uterus cùm sit nervosus, frigidis valdè offenditur. Vena si opus sit, secetur, humor biliosus temperetur primum, dein purgetur. Extrinsecus balneis aquæ dulcis utatur, renes ungat *cerato refrigerante Gal. unguent. rosaceo*, & similibus. Victus ratio refrigerans sit & humectans, sed maximè vitet venerem, quæ uterum calefacit.

Sicca pariter curatu difficillima est, & humectantia postulat; victus sit euchymus, eupeptos, humectans; vitet aërem nimis fervidum, curas, vigilias, inediam, animi pathemata, labores immoderatos. Sed aër sit humidus, somnus longior; carnes sint juniorum animalium, pingues, ut *hœdor. agnorum, porcellorum, vitulor. gallinar.* & similes, ex quibus jufcula fieri possunt alterata *malvâ, altheâ, violis, passulis, borrag.* &c. Ova recentia, & omnium maximè *lac, caseus recens, fructus horai*, & etiam *amygd. pineæ, dactyli.* Potus sit aqua hordei, vinum tenue, aquosum, cerevisia tenuior, & aliis utatur, quæ hecticæ conveniunt, nam huic intemperiei macies conjuncta est. Extrinsecus conveniunt fotus, insessiones, balnea tepida, quibus incoxerint *malva, borrago, buglos. branca urs. semen lini, fœnugr. arietum capita*, vel *intestina.* Post inungatur *oleis amygd. dulc. viol. but. recenti*, & aliis humectantibus. Sed coitus maximè prodest, (nisi calida adsit intemperies) nam uterus humectationis ejusmodi defectu oberrans, in corpore plurimorũ symptomatũ causa evadit.

Frigida intemperies calefacientia postulat. Victus ratio talis sit: *aër calidus, vigiliæ longiores, cibi* potiùs *assi,* quàm *elixi, carnes avicularum montanarum, perdicum, caponum*, &c. Vitentur *pisces legumina, lacticinia, fructus horai,* & recentes: Sed conveniunt *passulæ, ficus, semina anisi, carui, fœnic. apii, smyrnii, coriand. cinnam. caryoph.* & quæcunque uterum calefacere possunt. Potus sit *vinum* generosum. Uterum autem calefaciunt omnia quæ suppressos menses movent, quæ recensuimus *Cap. de menstruorum suppressione,* sed inter ea maximè prosunt sequentia, quæ etiam uterum roborant.

Radices; *Calami aromat. pimpinel. galangæ, cyperi, bistortæ, costi, Angel. Imperat. levistici.*

Folia; *Betonicæ, salviæ, rosmar. major. melanthii, melissæ, lauri.*

Flores; *Rosmar. salviæ, beton. lavend.*

Aromata; *Nux moschata, caryop. macis, spica nardi, schœnant. cubebæ, zedoaria, benjoin.*

Gummi; *Styrax, thus, mastiche.*

Ex animalibus; *Moschus, zibet. castor.*

Marina; *Succinum, corallus, ambra.*

Aquæ ex prædictis simplicibus; *cœlestis, imperialis, mariæ, sp. castorei.*

Conservæ; *Florum beton. anthos, salviæ.*

Condita; *Acorus conditus, nux moschata, nuces virides, myrobal. satyr. eryng.*

Confectiones; *Tryphera magna sine opio, theriaca, mithridat. electuaria, diamosc. diambra, aromaticum rosat. de gemmis, diagalang.*

Trochisci; *Galliæ & Aliptæ moscatæ.*

Externa; *Oleum nardinum, myrtinum, emplast. pro matrice, contra rupturam, de mastiche.* Ex quibus fieri possunt variæ medicamentorum formulæ, & primo aquæ. ℞ *zedoar. macis, cinnam. galangæ, nucis moscatæ, cubebar. cardam. ana* ℥ *j, garyophill. zinzib. piperis, ana* ℥ ß, *folior. menthæ, melissæ, salv. major. lavend. matricariæ, artem. rosmar. puleg. ana M. j.* contundantur omnia, & infundantur in *vini hispanici* ℔ *vj*, per dies quatuor, dein distillentur lento igne ad medias; sic enim totus spiritus extillabit. Reliquum effundatur, & lento igne exsiccetur ad melleam crassitiem, & fiet extractum hystericum.

In eundem finem fieri possunt syrupi, & apozemata: ℞ *rad. valer. fœnic. rubiæ, eryng. enulæ camp. cyperi, galangæ ana* ℥ ß, *angel.* ℨ *ij, fol. chamæd. major. puleg. calamint. orig. sabinæ, matricar. summit. thymi, lavend. ana*

ana M. j. *artemisiæ* M. ß, *sem. anisi*, *sesel. ligustici*, *dauci*, *petros. ana* ʒ j, *ciceerum rubror.* P. j. *flor. stœchad. lavend. anthos ana* P. j. fiat decoctio ad ℔ ij. Colat. adde *syrupi de artemisia* ℥ iij, *sacchari* ℔ ß: fiat apozema, cujus dosis sit ad ℥ iij, ter in die. ℞ *schœnanthi* ʒ ij. coque in *aquâ artemis.* fiat potio in duas doses. ℞ *granor. junip.* ʒ ij, *angel.* ʒ j, *matricar.* M. j, *puleg. major. ana* M. ß, *sem. anisi, carui, dauci, petros. ana* ʒ j, *nucis moscat. zedoar. ana* ʒ ß: Contundantur omnia, & includantur sacculo raro, & infundantur in vini albi, aut cerevisiæ quantitate sufficienti, per dies aliquot, & sumat haustum singulis diebus, aut ex prædictis fiat decoctio, cujus bibat colaturam. ℞ *syrupi de artemis.* ℥ iij, *mellis anthos* ℥ j, *decocti origani, rubiæ* ℥ iiij, *aquæ cinnam.* ℥ j. Fiat Julep, cujus dosis sit ℥ j ß.

Post hæc, si pituita simul admista sit, vacuari poterit phlegmagogis, ut *agar. turbith, diaphœn. diacarth. pilul. aureis cochiis*, & similibus. Vomitus quoque convenire poterit ex diasaro *Fernelii*, & aliis, & hæc quoties opus erit, repetantur. Post redeat ad usum calefacientium & exsiccantium. ℞ *conser. flor. anth. zinzib. cond. corticis citri, & satyr. cond. ana* ℥ ß, *cons. melissæ* ℥ j, *pulveris aromat. ros. diamosc. diamb. ana* ʒ ß, *sem. fraxini, sesel. ana* ℈ j, *galang. nucis moscat. ana* ʒ ß, *ras. ebor.* ʒ j, cum syrupo conservat. corticis citri, fiat electuar. ℞ *pleresarchont. lætif. gal. ana* ʒ ß, *sacchari, aquâ melissæ dissol.* ℥ ij, *olei cinnam. guttas duas*; fiat tabellæ. Sed præterea laudantur sudorifica, ex decoctis *gaiaci, chinæ, sassafras, sarsæpar.* ac similibus; quorum præparandi modum alibi explicavimus.

Externis quoque utendum, ut balneis sulphureis naturalibus, vel arte paratis. ℞ *folior. lavend. lauri, orig. calamint. pulegii, matricar. ana* M. ij, *folior. rutæ, artem. salv. tanaceti, ana* M. iij, *rad. angel. aristol. cyperi ana* ℥ ß. fiat decoctio pro fotu partium, cum sacculis, & spongiis. Ex eodem decocto possunt fieri evaporationes, & injectiones in uterum, ac etiam auctâ dosi simplicium, semicupia, & balnea. Post inungantur *oleis lilior. irin. rutac. laurin. macis, nucis moscat.* & similibus. ℞ *gummi carannæ aquâ vitæ dissol.* ℥ j, *styrac. liquid. thuris, mastic. ana* ℥ ß, *pulveris aromat. ros.* ʒ j ß, *ladani* ℥ j, *ol. lilior. albor. irini, nucis moschat. ana* ℥ ß, *olei stillat. caryoph. cinnam. ana guttas* xij, *ceræ q. s. fiat emplast.* Deinde fiant suffitus, de quibus multa diximus *Cap. de suppress. menst.* ℞ *galliæ vel aliptæ moschatæ* ℈ ß, *styrac. benjoini, ligni aloës, calami arom. ana* ʒ j, *macis, caryoph. cinnam. ana* ℈ j, *baccar. lauri, succini, mastich. ana* ʒ j, *thuris* ℈ ij, *myrrhæ* ʒ ß. Excipiantur *ladano*, vel *mucilagine gummi tragacant.* fiant trochisci carbo-

carbonibus injiciendi, quorum fumum utero mulier excipiat. Ex iiſdem medicamentis fieri poſſunt peſſaria, vel peſſarium commune, ex lanâ linteo involutâ, mergatur in prædictis oleis, aut balſamo peruviano, liquidambar, cum ſpicâ, & indatur utero. ℞ *thuris, maſtich. caryoph. ſpicæ, nucis moſc. ligni aloës ana* ʒ j, *nucis cupreſſi calami arom, ana* ʒ ß, *myrrhæ* ℈ ij, *benjoini, aloës, hepat. bdellii ana* ʒ ß. Excipiantur *ſucco mercur.* & pannis lineis ſimul involutis, fiat peſſarium, quòd cum filo coxæ alligetur, & intra uterum immittatur.

Humidam intemperiem quod ſpectat, iiſdem curatur quibus frigida intemperies, ut purgationibus, balneis, decoctis ſudorificis, &c. quare hæc ſufficiant.

CAP. VII.

DE UTERI HYDROPE.

UTerum ab aquâ & flatibus intumeſcere nonnunquam, dubium eſſe non debet, cùm id *Hippocrat. Aëtii, Aret. Avicennæ,* & aliorum authoritas, experientia ſatis frequens, & multorum hiſtoriæ perſuadeant, qui affectus *uterinus hydrops* appellatur. Eſt hydrops quidam univerſalis, qui vel totum corporis habitum occupat, vel à causâ communi toti corpori, ut jecoris vitio proficiſcitur. Alius eſt particularis, ut pulmonum, capitis, uteri, & aliarum partium cavitate quâdam præditarum.

Fit autem in utero hydrops, vel à pituitâ frigidâ & lentâ, quæ in propriâ uteri ſubſtantiâ œdematoſum quendam tumorem facit, & anaſarcam repræſentat, vel fit ab humore aquoſo, uterum inſtar utris implente, aſciti reſpondens, vel à flatu & tympanitis ſpeciem refert: de quo ſequent. Cap. dicemus.

Colligitur autem aqua, vel in tunicis uteri, vel in ipſius cavitate. De cavitate dubium eſt. Cùm enim os uteri pervium ſit, & continuus per illum effluxus eſſe poſſit, aqua facilè effluere poteſt, unde neque uteri tumor, neque alia fient ſymptomata. *Aëtius cap. 79. ſerm. 4. tetrab. 4.* hanc videns difficultatem, ſcripſit in veſiculis hydatidibus aquam hanc contineri, ſicut de hydrope diximus. Refert *Maurit. Cordæus*, inſignis *Hipp.* interpres, *com. in lib. j, γυναικ.*, ſe vidiſſe mulierem, cujus uterus erat refertus multis veſiculis aquâ citrinâ minimeque fœtente plenis; & *Gal.* in jecore tales veſicas hydatides fieri affirmat, quas pariter *Mercur.*

in ove deprehendit: easdem *Plater us* in *observat.* & alii viderunt; & quidem cùm aqua perpetuò fluat, nisi alieno termino coërceatur, non magis in uteri capacitate, quàm in perforato aut rimam habente dolio contineri potest. Verùm etsi negandum non sit, aquam illam potiùs vesiculis, quàm cavitate contineri, id tamen non est perpetuum, sed sæpè contingit eam cavitate concludi. Quòd si dicas, facilè per os uteri effluxuram, respondet *Massaria ex Gal. 14. de usu part.* collum uteri eo tantùm tempore patens esse, cùm semen intro fertur, vel embryo ejicitur, alio verò tempore clausum esse, rugas habere plexus, & contorsiones, quæ multùm ad hoc faciunt, ne quæ utero continentur, effluant. Sed præterea contingit, interdum coarctari internum uteri osculum præter naturam, adeò ut isti materiæ nullus patere possit exitus, quod fit per illius contorsiones, aut tumores scirrhosos, osculum claudentes. *Vesalius lib. 5. Anat.* refert, se mulierem secuisse *Augustæ Vindelicorum*, in cujus uteri cavitate aquæ sexaginta Augustanæ mensuræ repertæ sunt, integris omnibus visceribus; illi autem uteri collum miris modis occalluerat. *Scenckius in Observat. lib. 4.* insignem hydropis uterini historiam refert, in quo uteri ambitus tres ulnas excederet, & educta aqua tanta fuit illius capacitas, ut puerum annorum decem continere potuerit. Aderat autem tumor maximus in internâ orificii parte, qui aquæ exitum impediebat. Contingit etiam interdum in uteri cavitate membranam quandam generari, quæ aquam istam instar utris contineat. Refert *Valleriola lib. 1. Observat. 10.* mulierem quandam, quæ gravidam sese putabat, ingentem globum membranosum peperisse, bullis pellucidis aquoso humore refertis plenum: Et ejusmodi membranas rejectas se vidisse, refert *Platerus, lib. 1. Observat.* in conceptus defectu: & *lib. 3. in anim. excret.* duas ejusmodi historias recenset. Et probabile est fieri ejusmodi membranam ex inchoatâ generatione, quæ absolvi non potuit, creditque *Mercatus*, hanc esse unicam causam, cur aqua ex utero non effluat, quia scilicet membranâ continetur. Non putat autem vesiculas in propriâ uteri substantiâ fieri, quia sic ulceratus & corruptus foret uterus, si tot vesiculis scateret, sed vult generari pelliculam quandam, quæ postea ejusmodi humore repleatur, & hoc sæpè contingit in iis, quæ hoc hydrope laborantes, postea concipiunt, quoniam aqua aut propriâ membranâ, aut vesiculis concluditur. Aliàs vix diu contineri in utero poterit. Sic refert *Fernel.* historiam mulieris, quæ hoc hydrope laborans, singulis mensibus pelves sex, octove, aquâ ferventissimâ complebat,

dum totus uterus subsideret; collecta autem proximo mense par colluvies, stato tempore profluebat. Sed præterea quidam volunt à grumis sanguinis orificium uteri obstrui. Verùm ut rectè observat *Varandæus*, sanguis ejusmodi statim putrescit, & gravia symptomata excitat, unde longius in utero contineri non potest, & propterea diutiùs aquam in utero coërcere non potest.

Causa. Aëtius loco citato, hujus affectus causam tantùm esse voluit mensium suppressionem, & impeditam imprægnationem. Veriùs tamen est, hujus sicut & alterius hydropis causam esse imbecillum calorem, aliudve vitium tum jecoris, aut lienis, tum ipsius uteri: Atque sicut *Aëtio* concedendum est ex suppressione mensium fieri; ità quoque non negandum, ex immoderatis mensium vacuationibus, abortu, partu difficili, reliquisque uteri laboribus posse contingere. Itaque causæ omnes *Cap. de hydrope* recensitæ, etiam hunc hydropem facere possunt, sive primariò, sive secundariò laborante utero. Nam vel gignitur aqua in ipso utero, ex ipsius debilitate, ob abortus, partus, menstruorum nimium effluxum, aut eorundem suppressionem, uteri refrigerationem, ab aëre, aquis, balneis, potu, cibis refrigerantibus, aliisque causis, uterum debilitantibus. Vel aliunde ad uterum defertur ob jecoris & lienis vitium. Lien cùm rarus sit & spongiosus, aquam ad se trahit, & interdum in uterum exonerat, ut dicit *Hippoc. 1. γυναικ.* & *4. de morbis.*

Signa. Signa sunt abdominis tumor, gravitas, & sonitus, quasi fluctuantis aquæ. *Menses*, inquit *Hippoc. 1. γυναικ. pauciores & pravi fiunt, & ante tempus deficiunt, imus venter intumescit, mammæ solidæ molles fiunt, & lac malum. Vteri osculum ad tactum gracile & humidum apparet. Cum tempore dolor magis occupat imum ventrem, lumbos, laterum mollitudinem, & inguina.* Adsunt igitur tumor, murmura, rugitus, in ambulando gravitas, spirandi difficultas, conceptus, & menses vel impediuntur, aut absque ordine prodeunt pravi, pauci, loturæ carnium similes, dolor lumbos, hypochondria, ventrem, inguina occupat, rigor adest, & sæpè febris, color pallidus, oculi subtumidi, crura & coxæ in œdema intumescunt. Sed cùm hydrops hic, & ascitem, & naturalem conceptum repræsentet, signa distinguentia sunt proponenda. Utriusque hydropis signa sunt adeò inter se similia, ut distinguere sit admodum difficile, signaque multa traduntur, quæ non sunt necessaria; ut quòd in hydrope ventris, plerum-

rumque hepar affectum est, color faciei pallidus, aut lividus: in uterino verò fœmina boni est coloris, & cætera sana sunt, quòd non est semper verum; nam etiam hic potest hepar esse affectum, & mulier pallida; sed si venter præter naturam intumescat, & naturalem faciei colorem, actionumque integritatem mulier servet, verisimile est non esse hunc ventris ascitem, sed non retrò commeat consequentia; nam sæpè quæ uterino hydrope laborant, decolores fiunt, & toto corpore morbosæ. Ideò addunt alii in hydrope hoc, tumorem esse minorem, & magis in inferiore abdominis parte, jecoris & lienis affecti signa non apparere, quæ pariter non sunt necessaria; nam historiæ prædictæ ex *Vesalio*, & *Scenckio*, aliorumque plurimæ observationes ostendunt tantum esse hunc hydropem, ut alter major esse non potuerit; nam vix unquam in ventris hydrope plures sexaginta Augustanis mensuris inventæ sunt, quarum singulæ tres libras capiunt, & aliæ historiæ ostendunt totum abdomen occupasse; & inquit *Scenck. in observat.* prædictâ, uteri fuisse tantam molem, ut solus totum ventrem inferiorem occuparet. Cùm igitur possit uterinus hydrops esse magnus, ascites verò parvus, signa prædicta non sunt necessaria. Certiora ideò sunt sequentia: Si uterus aliquo morbo proprio, vel per consensum laboret, & incipiat abdomen tumescere inferiori parte, in quâ situs est uterus, suspicio est esse illius hydropem, cùm in alio tumor incipiat à superiore parte, actiones etiam hepatis in hoc magis læsæ, apparent, & citiùs coloris florem amittunt mulieres, partibusque superioribus extenuantur, sitis magis urget, & si vacuatio quædam humoris aquosi per uterum fiat, certiùs innotescet inter utrumque differentia. Demum observant alii, non esse tantam fluctuationem quando aqua utero coërcetur, quàm in abdominis ascite; sæpè tamen uterque hydrops conjungitur.

A conceptu autem etiam difficulter distinguitur, faciliùs quidem si mulier sit sana, ut si nullo præcedente aut sequente morbo, menstrua retineantur, si à nonnullis cibis abhorreat, & aliena appetat, mulier concepit, & fœtus suo tempore se prodit. Si verò mulier priùs malè fuerit affecta, tumor adsit inferiore abdominis parte, aliaque adsint symptomata, de quibus diximus, hydrope potiùs laborat. Sed hæc sunt admodum conjecturalia, & Medicos sæpè fallunt. Sæpè enim mulieres admodum valetudinariæ concipiunt, & in uteri hydrope menses etiam supprimuntur, & ostendit satis frequens experientia, plurimas quæ sibi ipsis, Medicis, & obstetricibus, gravidæ videbantur, deceptas fuisse, & contra,

contra. Sed præterea contingere poteſt, ſimul cum graviditate adeſſe hydropem, ut rectè ſcribit *Aëtius*, & nos ipſi vidimus, viderunt & alii. Id tamen à quibuſdam vertitur in dubium; nam inter cauſas ſterilitatis hydrops recenſetur. Scribit *Hippoc.* ſi mulier in utero habeat, & ſequatur hydrops, corrumpi fœtum; nam ſicut in terrâ lutosâ generari, aut nutriri planta nequit, ſic nec in utero aquis referto. Dicit *Varand.* poſſe quidem ſemen retineri per aliquod tempus, & inchoari conceptionem, ad perfectionem autem nunquam pervenire, nam embryonem per novem menſes cum tantâ aquarum copiâ in utero poſſe retineri & nutriri, impoſſibile judicat. Quòd quidem frequentiùs contingit, non eſt tamen perpetuum, nam fœtum cum uteri hydrope ad maturitatem perductum fuiſſe, ſupra diximus. Dicit *Mercurialis*, poſſe hydropem ſequi conceptum, quoniam fœtus ſuis membranis concluſus, ab aquâ ſuccedente minùs afficitur; Hydropem autem præcedere conceptum, putat eſſe impoſſibile, quia os uteri clauſum eſt; & quia ſicut plantæ in aquâ non gignuntur, ſic nec animalia in aquoſo utero. Aliud igitur eſt gravidam hydrope corripi; aliud, hydropicam gravidam fieri, cùm priùs fieri poſſit, poſterius autem hoc ſit impoſſibile. Fieri tamen poteſt, ut etiam hydrops conceptum præcedat, ſi uteri ſubſtantia incolumis ſit, & aqua veſiculis quibuſdam aut membranâ contineatur.

Igitur ſigna quæ graviditatem ab hydrope hoc diſtingunt, valdè ſunt conjecturalia, & incerta: ſi gravida decolor ſit, & valetudinaria, hæc tamen lucem aliquam nobis præbere poſſunt, 1. quia in hydrope tumor extenditur juxta ventris amplitudinem, nec acuminatus eſt & faſtigioſus, ut in fœtus geſtatione: 2. in graviditate, grandeſcente fœtu, melius habent mulieres; contra, in ejuſmodi præter naturam affectibus, pejus in dies habent, & ſymptomata intenduntur: 3. poſt tertium & quartum menſem motus quidam uniformis, non autem quaſi palpitans, infantem prodit, ſed certiùs multò, ſi poſt decimum menſem nullus partus ſequatur: 4. in gravidis mammæ ſolidiores ſunt, & rotundiores, lacte plenæ; in aliis verò molles, decolores, & omni alibili ſucco deſtitutæ: 5. ſi mulier ſit adultior, & ætatem ſuperaverit, conceptioni idoneam, ſimulque venter intumeſcat, veriſimile eſt illam hydrope laborare: 6. ſi menſes fluant, pravi ſunt, pauci fœtidi, nullum ordinem ſervantes.

A molâ diſcernitur; quia majus pondus adeſt, & dum corpus in alterutrum latus convertitur, molas quædam ſimul in idem latus quaſi deci-

decidens, persentitur. Ab emphysemate verò, quia non fluctuatio, sed renitentia sentitur, & si percutiatur venter, tympani quasi sonum edit. Ab inflammatione quoque, quia febris adest, & dolor intensior. A scirrho quoque, quia durior est hydrope, qui digitis cedit, & quasi in foveam deprimitur.

Partem affectam uterum esse, nemo dubitat; An autem primariò vel secundariò afficiatur; an humor in membranis, vel cavitate contineatur, distinguendum. Secundariò uterum laborare, verisimile erit, si totius corporis, aut alterius partis, malè affectæ signa præcesserint, ut sunt febres acutæ, hæmorrhagiæ immoderatæ, insignes capitis dolores, rheumatismi, ventriculi cruditates, lien aut hepar induratum, & similia, cum quibus inceperit affectus, aut cum illis augeatur & mitescat, totius corporis color sit vitiatus, uterus per sympathiam laborat. Sed si prædicta abfuerint, præcesserintque particulares uteri affectus, ut partus laboriosi, abortus, mensium suppressiones, nimiæ profusiones, ulcera, tumores, color faciei bonus sit, reliquum corpus sanum & incolume, proprio vitio, & idiopathi**s uterus laborat, quanquam procedente malo, reliquum corpus tandem malè afficiatur, & coloris vivacitas pereat.

An autem in cavitate vel membranis contineatur, dignoscere difficile est. In cavitate autem humor contentus fluctuationem, tumoremque majorem parit, quam in membranis, atque etiam interdum ex pudendo aqua effluit, ut ex prædictâ *Fernelii* historiâ patet. In tunicis quidem dolor major est, tumorque minor, minusque adstringitur internum uteri orificium, ut contrectanti obstetrici patebit.

Morbus est curatu difficilis, & periculosus, sæpenumero in verum hydropē desinens, & ad interitum ducens mulierem, nisi sponte aqua ex utero effluat, quòd contingit, si in ipsius cavitate contineatur. Conceptum impedit; & si quandoque hydropica simul & gravida quæpiam reperiatur, qualem memini me vidisse: prius gravida facta est, quàm hydrope correpta, quia in aquoso utero semen extinguitur, atque etiam fœtus genitus ab aquâ putrescente necatur, unde sequitur abortus, & sæpè matris interitus, quamvis mulierem viderim, quæ cum hydrope fœtum ad legitimum tempus gestarit, quæ superveniente partu hydrope liberata, passa est postea recidivam. *Prognostica.*

II. Si humor hunc hydropem faciens, pravus sit, putris, copiosus, symptomata gravia inferat, partes nobiles in consensum trahat, aut ex

ipsarum quodam contumaci vitio originem habeat, periculosior, diuturnior, & curatu difficilior morbus redditur, sicut si febris succedat, & sitis ægrotantem infestet, ex *Hippocrate*.

Curatio. AB alterius hydropis therapiâ non multum differt; primò purgandum est universum corpus, aqua utero contenta vacuanda est, uterus roborandus, causæ submovendæ, ut menses suppressi, vel immodici, hepatis, aut lienis vitium, dolor si adsit, leniendus.

Ad vacuationem universi corporis, laudant *Avicennas*, *Paulus*, *Aëtius*, venæ sectionem, in partibus inferioribus, quæ tamen meo judicio periculosa est, propter copiam crudorum humorum, cum quibus vires vix possunt consistere; unde *Galenus* in sola anasarcâ, ubi ex suppressione menstruorum aut hæmorrhoidum facta fuit, venæ sectionem probat; in ascite aut tympanite nequaquam. Verumtamen si ex mensium suppressione, hydrops ejusmodi originem habuerit, & recens sit, viresque sint integræ, vena commodè aperiri poterit, aliàs abstinere melius est, quia calor valde est imminutus, obstructiones adsunt ab humore frigido, virium dejectio, & metus hydropis ascitis; itaque prætermissâ missione sanguinis, corpus purgandum phlegmagogis & hydragogis, præparatis prius humoribus *syrupis de beton. de stœch. de artemisiâ, de hyssopo, melle ros. oxym.* &c. cum decocto *hyss. puleg. orig. calam. nepetæ, artemis. melissæ, angel. rubiæ, ligust. sabinæ*, & similium. Purgant autem *agaricus, turbith, elater. mechoac. succus ireos, semen ebuli, soldan. jalap, bryon. gummi gutta, diaphœn. diacart. pilulæ cochiæ*, & alia ejusmodi. Clysteres quoque acriores, & vomitus sæpiùs repetiti, conveniunt. Fieri igitur possunt syrupi, magistrales, apozemata, electuaria, & similia.

Aquam autem ex utero, commodè educunt diuretica, semina *dauci, petros. rad. gentianæ, rubiæ, dialacca, diacurcuma*, &c. ℞ *rad. ireos* ℥ ß, *azari* ʒ ij, *gentianæ* ʒ j, *sem. dauci, smyrnii, ameos, milii solis ana* ʒ j. *folior. sabinæ, matricar. calamint. puleg. orig. saxif. hyssopi, ana* M. j, *spicæ nardi* ʒ ß. fiat decoctio ad ℔ j ß. Adde *sacch.* vel *mellis* quantitate satis, *salis, absynt.* ʒ ß. fiat apoze. Hæc enim uterum calefaciunt, exsiccant, roborant; humores, vel per urinas, vel etiam insensibiliter vacuant, sicut & sudorifica, quæ calore suo humores resolvunt.

Pessaria ad eundem usum & injectiones in uterum fieri possunt. Fiant pessaria ex *succo mercur. ciclam. esulæ, nigellæ, cumini, colocynt. nitri, helleb.* Quidam testantur ʒ ß *helleb. albi*, lanâ exceptam, & utero impositam,
aquas

aquas ducere. Ex elaterio quoque utiliter fieri potest. ℞ *nitri* ℈ ß, *colocynt. elleb. ana* ʒ j, *mellis q. s.* fiat collyrium, sive pessarium, & indatur secundum artem ex *Mercuriali*. Poterunt addi *semen cumini, myrrha, esula, mechoac. agar. elat. pilulæ cochiæ*, & alia ejusmodi. ℞ *rad. azari, ligust. ana* ʒ iij, *fol. puleg. calam. sabinæ, orig. hyssop. ana* M. j, *spicæ nardi* ℈ j, *sem. anisi, cumini ana* ʒ j. fiat decoct. ad ℔ ß. Colaturæ adde *olei irini* ℥ j, *elat.* ℈ j. Misce, fiat injectio in uterum.

Topica externa varia sunt, thermæ sulphureæ, & nitrosæ, quæ potu, insessu, injectione, balneo prodesse possunt. Balnea artificiosa calefacientia, & siccantia, ex decocto *laureolæ, ebuli, artem. fol.* & *baccar. lauri*, & aliorum ejusmodi, quæ coqui possunt in lixivio ex cineribus sarmentorum, & cum filtris applicari. Post venter inungatur *oleo laurino, lilior. anisi, ebuli, irino, angel. carui*: Emplastra ex foliis & radic. *ebuli, cucum. asin. far. lupin. stercore bubulo, cochleis ustis*; quibus quidam addunt *cantharides, aquam vitæ*: sed emplast. de *baccis lauri*, insignem habet hâc in re, prærogativam. Quidam etiam *dropaces* laudant, & *sinapismos*. Alii etiam fonticulos in cruribus, vel brachiis, ut humor ille paulatim exhauriatur, qui, etsi ex uteri cavitate humorem vacuare nequeant, prohibent tamen, ne novus aliundè affluat. Uterus deinde roborandus est, exercitiis, frictionibus, suffitibus, liniment. fomentis, balneis, & similibus jam dictis, *theriacâ, mithridat. dianiso, diagal. diacinnam.* cum *conf. anth. eryng. acori*, & oleis distillatis, *anisi, caryoph.* & similibus. Quidam probant aquam distillatam *Nicotianæ*, per aliquot dies cum *sacchara* sumptam, aut *vinum chalibeatum*.

Sed si vesiculis humor contineatur, vix prædicta prodesse poterunt, nisi rumpantur ut aqua effluat. Eas autem rumpunt, vomitus, sternutatio, validum exercitium, violenta purgatio, emplastra valdè aperientia, & alia ejusmodi: Quibus ruptis, præcedentia remedia convenire possunt. Dolor si adsit, leniendus est, decocto *chamam.* quòd commendant *Amatus*, & *Forestus*, tum fotu anodyno ex *malvâ, alth. chamam. sem. lini, fœnugr.* & aliis. Victus ratio sit, qualis frigidis affectibus convenit, vitatis aquosis, frigidis, dyspeptis, cœlo frigidiori, pluvioso, austrino, somno diuturniori, & similibus, *Cap. de frigid. uteri intemp.* recensitis.

CAP. VIII.

DE EMPHYSEMATE UTERI.

NOn tantùm aqua, ſed etiam flatus in utero quandoque colliguntur, qui ipſum & vicinas partes diſtendentes, naturalis conceptus ſpeciem referunt, ſicut ſatis frequens oſtendit experientia. Mulier quædam juvencula, dum ſe gravidam putaret, lapſo partus tempore, uſu fotus ſtatim venter detumuit, reſolutis flatibus; aliis etiam ſenſibiliter flatus erumpunt. Colliguntur autem ejuſmodi flatus, aut poſt, aut ante partum. Poſt partum quidem, ſi fœtu emiſſo, ab aëris frigore noxam perſentiant, maximè ſi partus fuerit difficilis & laborioſus, ſiquidem tunc uteri cervix aperta eſt, aëremque frigidum facilè admittit: ob id mulieres quædam faſciis ventrem comprimunt, ut uterus in ſe concidat, nec aërem recipiat. Sic poſt uſum balnei, ſtuphæ, aut poſt menſtruam purgationem, ſi aëri frigido ſeſe exponant, inflatio contingere poteſt.

Ex interiori verò causâ flatus generantur ex humoribus frigidis, pituitoſis, ab imbecillo calore in halitum ſolutis, ſive uterus per idiopathiam, ob intemperiem frigidiorem, aut per conſenſum aliarum partium laboret: Interdum enim jecoris, ſplenis, ventriculi frigidior intemperies, aut depravata victus ratio plurimos flatus generat, qui deinde facilè utero communicantur. Cùm autem in virginibus rariùs hic affectus contingat, etiam inter cauſas commodè recenſeri debet vitioſa conceptio, unde quidam molam flatuoſam vocant; Semen morboſum & infœcundum ab utero in flatus vertitur, & affluente aliquâ ſanguinis portiunculâ fovetur, cùm ob imbecillitatem virtutis plaſticæ, in partes corporis mutari non poſſit, in flatum ſolvitur, menſes enim hic etiam ſupprimuntur, ut in vero conceptu. Cauſa igitur generalis, eſt uteri calor debilis, aut victus ratio flatuum parens. Debilitatur autem calor, aut ob externum frigus quòd ingreditur uterum, aut ex abortu, difficili partu, menſtruorum ſuppreſſione, eorundem purgatione, ſi frigidus aër intrò ſubeat, aut uteri percuſſione.

Iſti autem flatus, ut monent *Paulus* & *Aëtius*, quandoque uteri cavitate continentur, quandoque autem in anguſtis meatibus, uteriq; ſubſtantiâ. Quando cavitate continentur, neceſſe eſt os uteri clauſum eſſe, ne flatus erumpat, ſicut in molâ & falsâ conceptione fieri ſolet, ſicut diximus ſuperiori Cap. Si verò ſit in uteri ſubſtantiâ, poteſt illius os eſſe apertum.

Sunt

Sunt tumor, & dolor pectinis, & imi ventris, dolorque ad ſeptum transverſum, ſtomachumque interdum aſcendit, modò ad lumbos, & inguina deſcendit: Digito percuſſus venter tympani ſonum edit; ſi valdè intumuerit, agitato corpore, ſonitus interdum auditur, flatusque è cervice manifeſto quandoque prorumpit. Præterea ex *Hippocrat.* pedes intumeſcunt, color vitiatur, mulier anhelat, & ſi ambulaverit, rectâ cervice ſpirare cogitur, menſes quoque ſupprimuntur. Et quidam interdum motus quaſi palpitantis infantis perſentitur, unde plurimæ ſe gravidas eſſe crediderunt, & vix in principio diſtingui poſſunt. In inflatione tamen percuſſus venter tympani ſonum edit, interdum creſcit & decreſcit, veræ graviditatis ſigna omnia non adſunt, contrà quàm fit in verâ conceptione. Sed ſi mola adſit, gravitas quædam adeſt & duricies; & cùm in latera vertuntur, pondus quoddam ſimul moveri perſentitur, quandoque etiam cum molâ ipsâ flatus conjunguntur. *Signa.*

Ab hydrope verò diſcernitur, quòd in emphyſemate dolor ſit pungens ob naturam partis membranoſæ, magis tenſus, minùs gravis quàm in hydrope, venter percuſſus tympani ſonum edit, uterus modò attollitur, modò deprimitur, flatusque ex utero interdum erumpunt. Sed quòd de dolore pungente diximus, non eſt ſemper verum, niſi uterus adeò repleatur, ut extendi ulterius nequeat, aliàs in graviditate & hydrope dolor, etiam pungens fieret, ex diſtenſione partis membranoſæ.

Affectus pariter hic adeò affinis eſt tympaniti, ut ab eo vix diſtingui poſſit; ſed in inflatione tumor minùs extenſus eſt, nec in totum abdomen diffunditur, vires minùs languent, ſitis minùs urget, minor eſt corporis macies, quæ tamen non ſunt ſemper vera; poteſt enim quidam tympanites eſſe adeò levis, & emphyſema uteri adeò grave, ut omnia in illo graviora, quàm in tympanite appareant.

A flatibus autem inteſtinorum diſtinguitur facilius, nam dolores colici adſunt, venter ſupprimitur, non adeſt corporis color fœdus, nec menſes retinentur; contrà autem utero inflato, pedes & cava oculorum intumeſcunt, color vitiatur, menſes retinentur, non fit conceptus, anhelitus adeſt difficultas, poſt cibum magis affligitur, triſtiorque evadit.

Flatus hos eſſe in cavitate, non in tunicis, oſtendit, quòd quando volvitur mulier, ſonitus quidam auditur, qualis in torminibus inteſtinorum, quòd tamen non eſt neceſſarium; ſi enim totum uterum repleant, quantumlibet mulier moveatur, flatus non agitabuntur, & ſic nullum ſonum edent, ſicut nec aër veſicâ contentus, ullum ſonum facit.

In inteſtinis autem, flatus per varias illorum partes agitantur, unde borborygmi. Veriora igitur ſunt ſequentia; quando in uteri ſubſtantiâ flatus ſunt, dolores ſunt graviores ob partis membranoſæ divulſionem, nec ſonitus adeſt, nec tantus tumor, venter percuſſus minùs reſonat.

Prognoſtica. MAlum hoc non eſt ſuâ naturâ lethale, poteſt tamen eſſe diuturnum, quicquid contrà quidam ſcripſerint, ſicut & tympanites; quæ enim ratio hunc chronicum & curatu contumacem facit, eadem & illum facere poteſt, & videre licet mulieres per annos plures hoc morbo conflictatas. Facilius autem curatur, ſi in uteri cavo, quàm in anguſtiis flatus contineantur, poſſunt enim aperto uteri ore interno erumpere. Sic qui ob cruditatem ſenſim gignuntur in utero, vel toto corpore minùs moleſtare ſolent.

Niſi autem curentur, aliorum morborum poſſunt eſſe origo. Quòd ſi aliquando à balneo, ſtuphâ, aut poſt abortum accidant, ſterilitatem facere poſſunt, propterea quòd partes relaxatas, & calefactas, aër frigidus, vitiat, labefactat, condenſat.

Curatio. CUm flatus utero contineantur, diſcutiendi ſunt, materia illorum cauſa vacuanda, intemperies corrigenda, uterus roborandus. A purgatione totius corporis incipiendum, & quia flatus ex materiâ pituitosâ originem habent, hæc primum præparanda eſt, dein purganda; ſed primùm leniatur alvus *hierâ ſimplici*, *pilul. aleph. melle roſato*. Clyſteribus quoque ex decocto *artemiſ. chamæm. anet. ſem. aniſi*, *fœnic.* In quo diſſolve *bened.* ℥ j, *hieræ* ℥ ß, *olei irini* ℥ ij, *vitellum ovi* N. j, *ſalis parum*; fiat clyſter.

Præparantia ſunt, *ſyr. de menthâ*, *de artemiſiâ*, *de quinque rad. mel roſ. cum decocto artem. puleg. calam. artem. ſeminis fœnic. ameos*, *rutæ*, & ſimilium.

Purgantia ſunt, *diaph. hiera*, *bened. trochiſci*, *aland. pil. cochiæ*, *fœtidæ*, & alia phlegmagoga. Venæ ſectioni hic locus non eſt, niſi ex lochiorum aut menſtruorum ſuppreſſione malum contingat.

Ad diſcutiendos flatus, & uterum roborandum, ſunt plurima interna & externa; ℞ *ſpicæ*, *ſchœnant. ana* ℥ ß. Coque in *aquâ artemiſ.* in cujus ℥ *iij* diſſolve *mellis roſ.* ℥ ß; valdè commendatur à *Favent.* Addi poſſunt *nux moſchata*, & *ſemen aniſi*. Sequens ab eodem laudatur; ℞ *nucis moſc. macis*, *cinnam. ana* ℨ ß, *caryophil.* ℈ ß. coqu. in *pomo dulci* cum

ſaccharo,

ſaccharo, & qualibet horâ mulieri dari poterit. Quòd ſi dolor intenſior fuerit, addatur *opii* granum unum: Decoctum pariter ex *lavendulâ*, non leviter prodeſt. ℞ *rad. matricar.* ℥ ß, *nucis moſc.* ʒ ij, *baccar. junip.* M. j, *baccar. lauri* M. ß, *ſem. carui, ameos, rutæ ana* ʒ j, *flor. roſmar.* P. ij. Coque in *vino albo*, de quo manè & veſperi hauſtum ſumat. Decoctum *florum chamæm.* calidum hauſtum commendant *Amatus* & *Foreſtus*. *Myrrham* ex vino potam quidam laudant. ℞ *corticis citri conditi, rad. eryngii conditæ, ana* ℥ j, *conſ. anthos* ʒ iij, *pulveris aromat. roſ. diagal. diacymini ana* ℈ j, *caryoph.* ℈ ß, *ſemin. dauci* ℈ j ß, *caſtorei* ℈ ij, cum *ſyrupo de artem.* fiat electuar. cujus doſis ſit ad quantitatem avellanæ. Proprietate prodeſſe creduntur coagulum leporinum, uterus leporis ſiccatus, & in pulverem redactus ad drach. j, cum vino hippocratico. Sequens opiata pro ſecreto habetur: ℞ *conſ. flor. anth.* ℥ ij, *corticis citri conditi* ℥ j, *coag. leporis, uteri leporini exſiccati, ana* ʒ iij, *rad. ſatyrion.* ʒ j. Miſce, fiat electuar. ℞ *conſervæ meliſſæ* ℥ j, *conſer. flor. arant.* ʒ vj, *ſpecierum diagal.* ʒ ß, *oleor. carui, aniſi, cinnam. diſtillator. ana guttas duas, confect. alchermes* ʒ ß, cum *ſyr. de corticibus citri*, fiat electuar. *Aquæ cæleſtis, imperialis*, & aliæ ejuſmodi conveniunt. ℞ *galangæ, piper. cinnam. zinzib. caryoph. nucis moſc. ana* ʒ ij, *rad. angel.* ℥ ß, *coſti* ʒ iij, *zedoar.* ʒ ij, *baccar. lauri, junip. cubeb. ana* ʒ ij, *folior. calamint. rutæ, ſalv. ana* M. j, *vini hiſpanici q. ſ.* diſtillentur. Poſtquam vini pars media extillarit, quòd in fundo cucurbitæ remanet, coletur per manicam *Hippoc.* & ſenſim exſiccetur ad extracti conſiſtentiam. ℞ *zedoar. caryoph. ana* ℈ j, *cinnam.* ʒ ß, *galang. coſti ana* ℈ ij, *ſem. dauci* ʒ ß, *cumini* ℈ j, *caſtor.* ℈ ß, *ſacchari* ℥ ij; fiat pulvis: vel *ſaccharum* diſſolvatur in *aquâ artemiſ.* & fiant tabellæ. *Olei terebint. guttæ iij* dentur cum cochleari uno *aquæ theriacalis*; vel ʒ ß *mithridatii*, aut *theriacæ Andromachi.* vel *diateſſaron* cum *aquâ cinnam.* *Aquæ thermales* conveniunt potu & inſeſſu, ſicut & ſudorifica, humores vacuant, flatus diſcutiunt, corpus roborant.

Externa ſunt balnea, fotus, inunctiones, clyſteres uterini, peſſaria, ſuffitus. ℞ *marrubii, thymi, puleg. calamint. rutæ, artemiſ. chamæm. melil. ana* M. ij, *parietar. majoranæ, abſynt. matricar. hederæ terreſt. abrot. nepetæ, orig. ſerpilli ana* M. j, *ſeminis cumini, aniſi, dauci, lini, fœnugr. anet. baccar. lauri ana* ℥ ß; fiat decoctio pro fotu, balneo, clyſtere. Et quidem fotus fiant cum filtris, veſicis, ſpongiis, vel ſacculis. Clyſteribus addatur *hiera, benedicta, oleum irinum, laurin.* & ſimilia. Poſt inungatur *oleis de abſynt. rutae. nardino, aneth. cum vino, balſamo, liquidambar, aquâ vitæ*, & ſimilibus.

milibus. ℞ *oleorum nard. aneth. rutac. ana* ℔ ß, *caryoph. macis, galang. ſpicæ, piperis, ana* ʒ j, *ſem. cumini, carui, ana* ʒ ij, *caſtor.* ʒ j, *terebint. venetæ* ℥ j. Infundantur omnia ſimul per aliquot dies: poſt adde *aquæ vitæ* ℥ vj: coquantur in duplici vaſe ad aquæ conſumptionem, & hoc oleo venter liniatur, vel in uterum injiciatur. Vel ℞ *oleor. ceræ, terebint. ana* ℥ ß, *olei ſtillat. ſuccini, rutæ ana* ʒ j, *ceræ* ℥ j; fiat liniment. Addi poterit *theriacæ* ℥ ß, & pauca *aqua vitæ*. *Balſam. Guidonis, Fioravant. Hollerii*, & aliorum, prodeſſe poterit. Apponi quoque poteſt emplaſt. ſtomachicum, vel de *baccis lauri*, vel quòd ſuperiori Cap. deſcripſimus: ℞ *bdellii, gummi ammon. ana* ʒ j, *caryoph. coſti, cinnam. ana* ʒ ß, *ſem. rutæ, agni caſti, caßiæ ligneæ ana* ℈ ij, *calaminthæ, abrot. ana* ʒ ß, *olei rutacei* ℥ j ß, *tereb. ceræ ana q. ſ.* Miſce, fiat ceratum; laudat maximè *Favent.* Si interiora vulvæ ſequenti unguento liniantur: ℞ *oleor. ſeſam. ſambucini, ana* ℥ ß, *moſchi gr. x, ambræ gr. iij*; diſſolvantur in oleo prædicto, fiat litus. Sacculi ex *milio* & *ſale* torrefactis flatus abſumunt; adde ſemina calida majora & minora, aut herbas prædictas carminantes. Ex *ſale, cumino, ſurfuribus, aniſo*, ſufficere poſſunt. *Majoranam, origan.* ſacculo parvo incluſa, ventri appone.

Cataplaſma fiat ex ſtercore vaccæ, cum pulveribus carminantibus: ℞ *ſtercoris vaccæ* aut *capræ* ℔ ß, *pulv. cumini* ℥ j, *ſem. aniſi, apii ana* ʒ j ß, *mellis cocti* parum, *aquæ vitæ* guttas aliquot; fiat cataplaſma. ℞ *theriacæ* ℥ j, *olei laurini* ℥ ß, *pulveris cumini, baccar. lauri, ana* ʒ ij, *ſalis* ʒ j; fiat cataplaſ. Laudant *Aëtius* & *Paulus* cataplaſ. ex *ficubus, nitro, rutâ, abſynt*, & perſeverante malo, *dropaces, ſinapiſmos* ex *ſinapi*, & *caricis*. Cucurbitula magna umbilico vel inguinibus admota prodeſt.

Peſſaria ex benedictâ, & aliis diſcutientibus, ut *orig. nitro, cumino*, valdè ſunt ex uſu. ℞ *ficuum ping.* ℥ ß, *cumini, nitri, ana* ʒ ß, *orig.* ʒ j, *mellis q. ſ.* fiat peſſar. Secundum *Aët.* fieri poſſunt ex *tereb. nitro, galbano, iride, œſypo, felle taurino, cumino*. ℞ *bdellii* ʒ ij, *orig. cumini ana* ʒ ß, *rutæ, nitri ana* ʒ j; excipiantur *melle*, fiat peſſarium. Suffitus fiant ex *galliâ moſcatâ, ligno aloës, myrrhâ, ladano, baccis lauri, cinnamomo*. Ex *nuce moſcatâ* valdè commendatur à *Solenandro*. Suffitus tamen *Aëtius* non adeò probat, quia capitis dolorem faciunt, ex *aphor.*

Si à partu fiat inflatio, non opus eſt purgantibus, quia ſufficit purgatio illa naturalis lochiorum, quæ ſi ritè non ſuccedat, juvanda eſt peſſariis attrahentibus, cucurbitulis coxis appoſitis, aliiſque remediis ad ſuppreſſa lochia dicendis. Ventrem faſcia comprimere eſt optimum, & apponere

ponere fotus, cataplasmata, sacculos, &c. de quibus jam diximus. Pellis ovis recens mactatæ, aqua vitæ irrorata, & umbilico apposita, prodest. ℞ *galbani, terebint. ana* ℥ j, *butyri maialis, pingued. gallinæ, ana* ʒ vj. Misce, & umbilico appone.

Victus ratio sit attenuans, incidens, discutiens, unde in aëre calido & sicco versetur mulier, & totum corpus calidum servet. Cibi sint calidi sicci, vitatis omnibus crudis, flatulentis, & crapulâ, nam cibi potusque parcimoniâ valdè prodest; vinum quoque malvaticum & hippocraticum optimum est, sicut & usus pulveris digestivi post singulos pastus.

Cap. IX.

De Inflammatione Uteri.

INflammationis nomine non phlogosin, sed tumorem intelligimus systrophicum, à sanguine incalescente & putrescente genitum, sive humor est sincerus, à quo phlegmone exquisita, sive aliis humoribus permistus, unde phlegmone eresipelatodes, œdematodes, scirrhodes. Ubi notandum, œdemata rarò in utero fieri, quia ipsius substantia membranosa pituitam non admittit. Non est tamen dubitandum, quin interdum fiant œdemata & scirrhi, si materia viscida, tenax, & crassa fuerit; sed frequentius fiunt in collo ipsius uteri, quàm in ejus fundo & substantiâ.

Laborat autem uterus vel dextrâ sui parte, vel sinistrâ, vel in anteriori, vel posteriori, vel secundum se totum, quòd si quandoque contingit, periculosus morbus & lethalis redditur.

FIt autem sicut & aliæ inflammationes, ex affluxu tenuioris & fervidioris sanguinis non in uteri capacitatem, sed in illius substantiam effusi, qui illic collectus, putrescens inflammationem parit. Fluit autem sanguis vel attractus, vel transmissus. Attrahunt calor & dolor, ut ictus, casus, coïtus, partus difficilis, abortus, disruptio quam facit obstetrix in partu, dum nimis violenter secundinam trahit, cucurbitularum, aut medicamentorum calidiorum appositio, exercitatio, & ambulatio longior, flatuum multitudo, uteri ulcera, & dolores, importuna fœtus gestatio. Hæc enim & similia sanguinem ad uterum alliciunt; qui, si in substantiam effundatur, phlegmonem facit. Et hæc citiùs *Causæ.*

 fiunt,

fiunt, si menstrua supprimantur, aut lochia, quando fluentibus mensibus, aut statim post partum, ex aëris circumstantis frigiditate, aut aliis de causis, retinentur. Transmittitur autem, quando copiosior est & calidior, & simul causæ prædictæ attrahentes accedunt, victus ratio sanguinem calefaciens & multiplicans, aër fervidior inflammans, frigidior repellens, maximè si fluentibus, aut jam fluxuris mensibus occurrat; totius corporis, vel uteri temperies calidior, ejusdem laxitas, viarum amplitudo, immodica exercitatio, equitatio violentior, nimius coïtus & intempestivus, ira, timor, & alia pathemata, pessaria acriora, cathartica valentiora. His enim de causis humores inflammantur, & ad partem ocyus commoventur. Arabum quidam ex semine retento fieri voluerunt, sed malè; sperma enim semper effunditur in uteri vel vaginæ cavitatem, non in substantiam. Quod si retentum putrescat, suffocationem potiùs quam inflammationem parit, nisi dicamus, semine putrescente & incalescente, vicinas partes, & uterum phlogosin concipere, ut in furore uterino interdum contingit, & ex calore sanguinem allici, qui tumorem facit, non autem ipsum sperma partem illam in tumorem elevare.

Signa. VEl sunt ipsius affectus, vel partis affectæ, vel temporum. Dignoscitur autem inflammatio ex tumore, distensione, gravitate, & dolore pubis, imi ventris, & lumborum, & si digitus immittatur, invenitur os uteri durum, clausum & retractum, ardensque, *aphor. 54. libr. 5.* In gravidis quidem clauditur, sed sine duritie & dolore, *aphor. 51.* ejusdem. Ardor quoque adest, & febris acuta de naturâ lipyriæ, cum horrore inæquali & inordinato, propter retractionem caloris ad interiora vi inflammationis, maximè si suppuret, tunc enim augeri solent omnia symptomata. Uteri cervix, si inspiciatur, rubicunda & fervens apparebit. Observandum autem hæc illustriora esse in illâ phlegmone, quæ totum corpus uteri occupat; minùs autem in illâ, quæ est in cervice, aut partibus lateralibus, quamvis enim uterus per arterias satis amplas, facilè cor in sui consensum trahat, si tamen inflammatio parva sit, & in cervice, ardorem quidem & tumorem in parte faciet, non autem febrem ardentem, ut docet *Hippoc. 2. pror.* Minor quoque febris erit, si phlegmone sit œdematodes, aut scirrhodes, sicut & eadem fortior redditur, si sit eresipelatodes. Multa præterea symptomata hunc morbum sequi possunt, quoniam consentit omnibus partibus per venas, arterias,

terias & nervos. Sequi igitur possunt capitis dolores, colli, maxillarum, syncipitis, oculorum, maximè in ipsorum radicibus, digitorum, brachii, cervicis convulsiones, extremorum perfrigerationes, deliria, inquietudines, stomachi afflictiones, singultus, pulsus parvi densi, animi deliquium, urinæ & stercorum suppressio, ob magnitudinem inflammationis partes vicinas constringentis, lingua arida, sicca, nausea, vomitus, aliaque multa ejusmodi, quæ non morbum, sed ipsius magnitudinem ostendunt. Adsunt autem in omni, ventris inferioris, coxarum, lumborum, inguinum, fœmorum, tumor, ardor, distensio, gravitas, & interdum ob septi transversi compressionem; si magna est inflammatio, sequitur suffocatio; si minor sit, magna spirandi difficultas, unde pleuritidem imitatur ob consensum uteri cum septo transverso & claviculâ. Pritonæo etenim uterus tegitur, & eo solo firmatur & retinetur à parte superiore: quare si in magnam molem accrescat, & vehementius distendatur, trahit peritonæum & pleuram, propter unionem illam peritonæi & pleuræ, quæ fit in diaphragmate.

Et hæc quidem magis apparent, si uterus totus inflammetur, quòd valdè rarum est, tunc etiam uterus undequaque dolet: Parte verò illius aliquâ inflammatâ, dolor in eâ percipitur. Anteriore igitur parte affectâ, si sit in fundo, dolor partes umbilico vicinas & pubem occupat, cum tumore, ita ut contactum formident. Urinæ stillicidium & difficultas presfâ vesicâ consequuntur. In posteriore parte lumbos & renes dolor vexabit, stercus compresso recto intestino retinetur. Lateribus inflammatis, tensio circa inguina, gravitas circa crura, cum motus difficultate supervenit; claudicant enim, & in coxam è directo, gravans dolor incidit, *6. de loc. aff. cap. 4.* Si in uteri ore inflammatio fuerit, tactu percipi poterit immisso in uteri cervicem digito; quæcunque pars prematur, vehementer dolet, atque durum, clausum & fervidum, os deprehenditur, & retractum in eam partem quæ inflammatur, ob quam causam os & collum ejus pervertitur.

Causarum varietas ex symptomatum vehementiâ percipitur; nam si bilis admista sit, omnia sunt vehementiora, febris ardor, vigiliæ, sitis; vehementissima sunt omnia, si sit atra bilis; sed si sanguis solus dominetur, mitiora sunt; sed mitissima, si phlegmone sit œdematodes vel scirrhodes.

Difficilè autem est, ab affectibus intestini recti, & vesicæ, hunc affectum distinguere, adeò sunt inter se omnia similia. Verùm utero affecto,

fecto, ipſius actiones magis lædantur, menſtrua vel ſupprimuntur, vel diminutè prodeunt cum dolore, anxietate, torminibus, imò quidam fœtidi ichores ſolent ex uteri phlegmone profluere, & genitalia irrigare.

Prognoſtica. I. OMnis uteri inflammatio, morbus eſt acutus & lethalis, & quo major, eò deterior, ut in omnibus inflammationibus, ut ſi totum uterum occupet, aut magnam ejus partem. Minùs periculoſa quæ eſt in cervice, quàm quæ eſt in profundioribus partibus; eſt enim cervix carnoſior, & minùs gravibus obnoxia ſymptomatis, & remedia faciliùs admittit. Pariter quò graviora ſunt ſymptomata, eò deterior morbus eſt, & contrà.

In muliere gravidâ ſicut & ereſipelas, lethalis eſt, *5. aphor. 43.*

II. Si urina alvusque fluant, multum demitur de periculo, ſicut ſi alia ceſſent ſymptomata; nam quando contingunt ephidroſes, pulſus parvi, denſi, animi deliquium, exolutio, in propinquo mors eſt.

III. Ereſipelatoſa periculoſior eſt, propter fervorem & ſymptomatum gravitatem, ſed facilius patitur diaphoreſin. Phlegmonoſa autem faciliùs vertitur in ſuppuratum, cum magno ægrotantis diſcrimine, & ſæpè ob magnam ſanguinis putredinem non in pus, ſed in gangrænam vertitur. Quibus autem ſuppuratio contingit, diutiùs protrahitur vita, ſed ulcus ſuccedit diuturnum, & fermè immedicabile, à quo hecticæ vel hydropicæ fiunt, & tandem pereunt.

IV. Solvitur autem ut reliquæ inflammationes diaphoreſi, quæ commodior & tutior via eſt propter materiæ & loci calorem. Interdum in pus & ſaniem vertitur, abſceſſumque parit, tunc prædicta omnia ſigna, dolor ſcilicet, pulſatio, febris, invaleſcunt, febres fiunt inordinatæ cum horrore, & omnia ſymptomata intenduntur, facto autem pure miteſcunt. Sed vomicâ erumpente dolores acres, lancinantes, & pungentes redeunt, urina & alvus ſupprimuntur, nonnunquam tumor in pube eminet, & veluti exundationis ſenſus adeſt, cùm abſceſſus major fuerit, ex *Paulo*. Quòd ſi factus abſceſſus verſus exteriora rumpatur, pus effundetur in capacitatem ventris, & abdomen diſtendet: Sed ſi parte internâ in ipſam uteri cavitatem rumpatur, per collum uteri vacuari poterit, ſed remanebit in utero ulcus magnum & ſordidum, cui vel hydrops, vel tabes ſuccedet. In cervice autem diſruptus abſceſſus interdum per illam expurgatur, interdum per veſicam, interdum per

rectum

rectum intestinum, tuncque simul fæcis aliquid per uterum vacuatur, fitque uteri fistula. Tandem nonnunquam in scirrhum vertitur & duritiem, tunc dolor, febris & symptomata minuuntur, remanentibus tumore, renitentiâ, duritie, gravitate, motu difficili crurum, totius corporis segnitie, & tandem in hydropem desinit, vixque unquam curatur, ut Cap. sequente dicemus.

Curatio.

CUratur autem primò affluxum humorum prohibendo, quòd fit revellentibus, derivantibus, repellentibus, temperantibus: 2. id quòd affluxit vacuantibus, quòd fiet vel diaphoresi, vel suppuratione. Victus tenuis sit, refrigerans, & facilis digestionis. Aër sit temperatus, ne frigidior humores ad interiora repellat, & diaphoresin prohibeat, & calidior inflammet, humorumque fluxiones concitet, sit odoratus & obscurior, lux enim humores agitat, nimia obscuritas ad interiora ciet, unde fluxio major. In principio minùs dormiendum, nam somno retrahuntur humores ad partem affectam, quòd omnibus internis inflammationibus commune est, *6. epid. com. 4. t. 17.* Sit summa corporis & animi tranquillitas, nam exercitia partium inferiorum, ut crurum, maximè nocent, sicut & ira, mœror, tristitia: Partes tamen superiores commodè perfricantur, ut fluoris ad uterum impetus revellatur. Cibus sit in principio morbi tenuissimus, virium tamen habitâ ratione, ut natura genio suo defraudata sanguinem avidius retineat, ita ut quidam solam inediam per triduum præscribant; alii ptisanâ tantùm utantur, sed nostra ætas illas veterum abstinentias ferre non potest; itaque minus tenuis victus esse debet, & eupeptos, ut sunt *cremor, ptisana, avenatum, amygdalat.* Juscula carnium herbis refrigerantibus alterata, ut *oxal. lact. portul. borrag. atrip. endiv.* & similibus; carnes ipsæ *pullorum, avicularum,* cum *omphacio, succo limonum, granator.* &c. *Vinum* non bibat, sed *aquam hordei, cerevisiam tenuiorem, syr. violat. granat.* cum *aquis acetos. endiv.* & similibus; quæ tamen nimis frigidæ non bibantur, nam frigus humorum diaphoresin prohibet, eosque magis impingit in parte. Quare etiamsi ratione febris, frigida convenire videatur, in internis tamen inflammationibus, ut pleuritide, hepatide, eam meritò formidamus. Alvus libera servetur clysteribus refrigerantibus & mollientibus, ut decocto communi & emolliente, jusculo pulli herbis refrigerantibus alterato, sero lactis, aut decocto hordei, in quorum ℔ j dissolve *cassia extracta, sacch. albi ana* ℥ j, *olei violati* ℥ ij; fiat clyster.

Reliquam curationem quod ſpectat, à venæ ſectione ea erit inchoanda. Secetur autem baſilica ad revulſionem, & plenitudinis vacuationem: Etſi enim quidam ſecent venas inferiores, tamen quia harum ſectio ſanguinem ad partem affectam ducit, ut in ſuppreſſione menſtruorum diximus, ideo abſtinebimus ſaltem in principio, ne malum ex majori ad partem fluxione augeatur. Sed ubi fluxio jam quievit, poterit commodè ad cauſæ conjunctæ vacuationem ſecari vena poplitis, vel malleoli: Ratio id ſuadet; nam in principio inflammationis revellendum eſt ab utero, ergo ſecandæ ſunt venæ ſuperiores. 2. In uteri inflammatione non ſunt movendi menſes; ergo non oportet ſecare venas inferiores, ut docet *Gal. 13. meth.* ubi vult, revellendum eſſe ad partes diſtantes, nam periculoſum eſt utero inflammato ſanguinem ad locum affectum ducere. Idem ſtatuunt *Paulus*, *Aëtius*, *Avicenna*. Quòd ſi *Galenus* alibi docet, ſecandas eſſe venas pedum, intelligi debet de affectibus uteri, in quibus non eſt opus revulſione: Etſi enim ex venis pedum magna etiam vacuatio fieri poſſit, tamen non vacuationem ſolam, ſed etiam revulſionem facere oportet, ut docet *Gal. 2. ad Glaucon. cap. 2.* Itaque in principio baſilica, poſtea ad vacuationem & derivationem ſaphena ſecetur. Sed ſi nulla ſanguinis plenitudo adfuerit, ſitque inflammatio parva, à ſaphenâ auſpicari non erit inutile, poteritque venæ ſectio iterari, pro ratione virium, habitus corporis, & reliquarum circumſtantiarum. In prægnante venæ ſectio malleoli ſemper eſt periculoſa, ſanguis autem pro viribus ægrotantis detrahatur. Quòd ſi aut vires, aut ætas, aut aliud quippiam ſanguinis miſſioni repugnet, cucurbitulæ apponantur mammis ad majorem revulſionem, poſtea coxis, natibus, ad derivationem.

Si quædam adſit cacochymia, vacuetur blandis catharticis, ut *caſſiâ*, *tamarindis*, *mannâ*, cum decocto florum & fructuum cordial. *ſyr. roſ. ſol. cathol.* &c. vitatis ſemper vehementioribus, quæ inflammationibus internis maximè in principio nocent, ex *Hipp.*; ſicut & diuretica, menſes moventia, & vomitoria, quamvis his uſus ſit *Avicen.* nam valentiora corpus nimis agitant, inflammationem exacerbant; mitiora parùm, aut nihil omnino conferunt, ut advertit *Varandæus.*

Ad temperationem dari poſſunt *ſerum lactis, ſyr. viol. de cichor. de acetoſâ*, cum aquis frigidis, decocto hordei, fiantque julepi, apozemata, emulſiones, & ſimilia, bili frænandæ dicata; & ſi vigiliæ nimium urgeant, leviora addi poterunt ſomnifera, ut ſimul dolores conſopiant.

Interea

Interea topicis utendum primò refrigerantibus & temperantibus, non autem valdè adſtringentibus & repellentibus; nam ejuſmodi repellentia partibus externis admota, tantùm abeſt, ut à parte affectâ repellant, quin potiùs in illam humores detrudunt; ſint igitur modicè repellentia, & anodyna. Ubi advertit *Varand.* ſolere interdum mulieres decipi, & flatus accuſare, qui dolorem ejuſmodi concitent, ad quos diſcutiendos calefacientibus utuntur, quibus malum exaſperatur, cùm potiùs contraria methodus inſtituenda foret.

Liniantur igitur venter, pubes, perinæum *oleo roſato, violato, unguento roſato Meſue, cerato Gal.* Epithemata fiant ex aquis *roſar. cichor. plantag. oxalid. umbilici veneris, polyg. ſempervivi, portul. nymph. cum aceto, bolo armenâ, ſangu. draconis,* & ſimiſibus. Sed injectiones in uterum, ſi ægra virgo non fuerit, commodiores ſunt; primùm repellentes, ut prædictum epithema injiciatur, vel *oleum roſ. myrti,* cum pauco aceto. Quòd ſi ſuccos herbarum frigidarum, ut *plantag. nymph. folior. vitis* addamus, erit efficacius medicamentum. Decocto loco ſuccorum, vel cum ſuccis uſurpantur: Vel fiat cataplaſ. à *Galeno* præſcriptum 1. *ad Glauc.* adverſus inflammationes, quòd paratur è ſucco *ſempervivi, ſapâ, vino auſtero, farinâ hord. balauſt.* vel *cortice granat.* ℞ *folior. plantag. burſæ paſtor. polyg. myrti, lactuc. nymph. ana M. j, lent.* ℥ j, *ſem. ſumach, gallar. ana* ʒ ij, *roſar. balauſt. ana P. j*; fiat decoctio; cujus portio aliqua injiciatur per metrenchyten, cum *oleo myrtino.* Reſiduum contundatur, cui adde *farinæ hordei* quantum ſatis, fiat cataplaſma, applicandum inter umbilicum & pectinem. Vel injiciatur *lac recens* mulctum cum *butyro,* eſt enim anodynum. Clyſteres quoque ejuſdem virtutis in alvum injecti proſunt; nam fotus vice utero incumbunt, ſive repellant, ſive diſcutiant, modò magna ipſorum non ſit quantitas, ne uterum comprimant, & dolores augeant. Peſſaria fiant ex prædictis herbis contuſis, aut ſucco earundem, cum oleo roſaceo & aceto.

In morbi incremento, repellentibus digerentia ſunt admiſcenda, quæ etiam ſimul dolorem ſedare poſſint: ℞ *folior. althææ, malvæ, violar. ana M. j, ſolani, plantag. ana M.* ß, *flor. chamæm. melil. roſar. violar. ana P. j*; fiat decoctio in lacte, quæ in uterum injiciatur. Magma contundatur, adde *micæ panis albi* ℥ ij, *farinæ hordei, ſemin. lini ana* ℥ j, ß, *olei roſ.* ℥ ij; fiat cataplaſ. Sicut & illud quòd dicitur de *micâ panis,* cum *oleo chamæm.* & pauco *croco,* erit utiliſſimum. *Lac* quoque *muliebre* cum *albumine ovi* in uterum injiciatur. Si virgo fuerit, ex prædictis fieri poterit balneum, in quo

in quo ſedeat ad umbilicum uſque. In ſummâ doloris acerbitate aliquid *opii* peſſariis addi poteſt, cum *vitello ovi*, & pauco *croco*, vel cum *philonio romano*, excepto cotone, quòd tamen calidius quàm par eſt, mihi videtur. Poſtquam conſtiterit defluxio, & dolor fuerit remiſſus, quæ potentius digerunt, ſint ex uſu; nam longior uſus, repellentium ſcirrhum inducere poteſt: ℞ *rad. althææ, lilior. ana quart. j, malvæ M. j, artemiſiæ, matricar. puleg. ſalv. violar. marrub. ana M. ß, florum chamæm. melil. anethi ana P. j*; fiat decoctio pro fotu, balneo, injectione, aut magma contundatur; cui adde *farinæ fabar. ſem. lini, lupin. hord. ana ℥ j, pingued. porci, anatis, ana ℥ ß, oleor. anethi, liliorum ana ℥ j*; fiat cataplaſma. ℞ *aquæ ſampſuchi ℥ iij, olei lilior. ℥ ij*, fiat injectio in uterum. Inunctiones fieri poſſunt ex *unguent. reſumpt. diachylo, emplaſt. de meliloto* cum *oleo irino, aneth.* & ſimilibus. ℞ *ſucci chamæm. matricar. ana ℥ j, emplaſt. de meliloto ℔ ß.* Miſce, & applicentur, ut vult *Favent.* qui etiam laudat ſequens: ℞ *ſucci alth. ireos, matric. ana ℥ j, bdellii, opopan. galbani, ana ʒ j ß*: diſſolvantur gummi cum ſuccis, dein adde *pulveris zedoariæ, galangæ, ana ʒ j, nucis moſc. ligni aloës, ſem. ameos, ana ʒ ß, axungiæ, anſeris, anatis ana ℥ j, ceræ q. ſ.* fiat unguentum. Peſſaria fiant ex *medullâ cervinâ, axungiâ, œſypo, vitello ovi, butyro, terebint.* & *mucilag. fœnugræc.* ex *Aëtio.* ℞ *ovorum aſſator. vitellos vj, medullæ cervinæ, croci, œſypi ana ʒ ij, ceræ albæ, terebint. adipis anſeris ana ʒ j.* Miſce, & uſus tempore peſſo excipito, & ſubdito, ex *Aëtio.* Tetrapharmacum ad uteri inflammationes commodè diluitur & ſubditur, aut infunditur roſaceo dilutum. *Emplaſt. baſil. diachyli, unguent. nardini, adipis gallinacei, ana* partes æquales liquefacito; adde *croci ʒ j, mucilag. ſem lini, fœnugr. ana ℥ ß, adipis anſerini ℥ j, panis albi ℥ ij.* Miſceantur ſimul & utitor: ex eodem. Si horum uſu levior pars reddatur, ſymptomata remittantur, ut dolor, pulſatio, tumor, in eorum uſu perſiſtendum, ſignum enim eſt humorem reſolvi. Sed ſi contra omnia augeantur, ſignum eſt ad ſuppurationem tendere, quòd etiamſi minùs ſit ſalutare, juvanda tamen erit ſuppuratio fotu ex hydrelæo, ung. baſilico, decocto ficuum, cum farinâ tritici, *axung. gallinæ, oleo lilior. butyro, terebinthina*, & aliis ſuppurantibus alibi deſcribendis, cataplaſmatis & unguentis, peſſariis.

Pure facto abſceſſus aperiendus eſt ſcalpello quidem, ſi ſit in orificio uteri, remediis verò, ſi intus lateat, quòd fiet, ſi præſcriptis remediis ſtercus columbinum & fermentum addantur. ℞ *decocti caricar. rutæ q. ſ.* Contundantur; adde *fermenti, ireos, ſtercoris columb. ana ℥ ß, nitri ʒ j,*

adipis

adipis anserini ℥ ß, fiat cataplas. ℞ *capar. sub cineribus coctarum* ℥ ij, *fermenti acris* ℥ ß, *stercoris columb.* ʒ j ß, *saponis nigri* ℥ ß. Misce, fiat cataplasma. ℞ *mellis, fermenti ana* ℥ j, *stercoris columb. caricar. contusar. ana* ℥ ß, *pulveris ireos, terebint. nitri ana* ʒ ß; fiat pessarium. Tussis quoque, sternutatio, corporis concussio, cucurbitulæ, injectiones detergentes, tumoris eruptionem juvant: sed vomica solet spontè aperiri. Rupto abscessu dolor minuitur, tumor subsidet, pus excernitur, vel per alvum, vel per urinas, vel per uterum, quòd omnium optimum est, vel inter peritonæum & intestina effunditur. Si per urinas pus expurgetur, succurrendum erit lactis potu, emulsione seminum quatuor frigidorum majorum, cum aquâ hordei, & syrupo violato, ad detergendum & exulcerationem impediendam. Si verò per intestina exeat, juvandus motus est clysteribus detergentibus, ex *decocto hordei*, *sero lactis*, cum *melle rosat. sacchara rubro, vitellis ovorum*, vitatis semper oleosis. Si per sinum uteri expurgetur, commodissimum illud est; sed ulcus detergendum injectione *mellis rosati, decocti hord. seri lactis, melicrati*, cum *syrup. rosarum siccarum*; dein consolidetur, sicuti *Cap. de ulceribus uteri* dicemus. Si verò inter peritonæum & intestina abscessus disrumpatur, tumor vel scalpello, vel cauterio aperiatur, ex *Aëtio*, & humore excreto curatio ut in reliquis ulceribus perficiatur. Quæcunque sit ejusmodi disruptio semper mala est. Si verò in scirrhum tumor degeneret, scilicet, si neque resolvatur, neque suppuret, curatio sequenti Capite describetur.

Eresipelas quoque etiam utero contingit, ex affluxu biliosi humoris, ob causas illum copiosiùs generantes. Suntque omnia accidentia sæviora, quam in phlegmone, febris, horror, sitis, linguæ nigredo, corporis inquietudo & jactatio, partium exteriorum refrigeratio, dolor pungens & lancinans, qui capiti, lumbis & præcordiis etiam communicatur; succeduntque interdum respiratio difficilis, animi deliquium, sudatiuncula, tremor, phrenitis, & alia ejusmodi; quæ si contingant exitialem affectum demonstrant. Morbus naturâ suâ in quibuslibet lethalis, sed maximè in prægnantibus, *aph. 43. lib. 5.*

Curatio eadem quæ inflammationis, aut febris ardentis, nam vena secanda est, humor purgandus, & temperandus julepis, & aliis. Sed gravidæ minùs ferunt purgationes, phlebotomiam & inediam, quare hæc omnia tunc erunt moderanda. Topica sint refrigerantia, ut fotus, aut semicupia ex decocto *solani plantag.* & similium; quibus si dolor valdè urgeat, addi possunt *hyoscyamus, papaver, mandrag. coriand.* fiantque ex ejus-

ex ejusmodi decoctis injectiones in uterum. Sed semper cavendum, ne uterum nimis refrigeremus; linimenta & pessaria ejusdem virtutis fieri possunt. Fervore sedato, resolventibus uti optimum, facilè enim eresipelas per resolutionem terminatur, ut decocto *chamameli*, *anethi*, *melil. sem. lini*, & similium, quòd decoctum insessibus, injectionibus, & suffumigiis idoneum est. Pessaria fiant ex mucilaginibus *sem. lini*, *fœnugræc. alth.* cum *pingued. porci*, *anatis*, *gallinæ*, *croco*, *butyro*, & aliis jam in phlegmone recensitis.

CAP. X.

DE SCIRRHO UTERI.

SCirrhus tumorem durum in qualibet parte significat, qui interdum in utero contingit, atque vel illum totum, vel partem ejus quampiam occupat, tantusque interdum est, ut humanum caput æquasse observarit *Paræus*, estque vel exquisitus & indolens, vel spurius cum aliquo dolore. Et huc referri debet sceleroma, de quo *Paulus* & *Aëtius*, estque uteri quædam durities sine tumore & dolore. Sub scirrhorum genere inquit *Paulus*, *comprehenditur durities circa vulvæ cervicem, tumorem quidem repræsentans, sed minùs quàm scirrhus tactui renitentem, & cum mediocri dolore*, quæ videtur esse scirrhus non exquisitus.

Causæ. FIt autem vel ex inflammatione malè curata, quæ neque resolutione, neque suppuratione potuit terminari, sed vel repellentium importuno usu, fuit indurata, vel validioribus discutientibus exsiccata: vel fit primariò ex humore melancholico crasso & terrestri, per substantiam uteri effuso, & illic concrescente: Unde quæcunque hunc humorem generant, hujus morbi occasio esse possunt, ut temperamentum melancholicum, ætas inclinans, prava victus ratio, ut in iis quæ picâ laborant, mœrores diuturni, menstruorum suppressiones, maximè quæ ex uteri refrigeratione contingunt, labores magni in partu, & aborsu, hepatis, lienis, mesenterii viscerumque obstructiones. Quòd si humor quispiam biliosus, vel sanguineus simul permisceatur, scirrhus erit nothus, qui aliquem dolorem admistum habet.

Signa. SIgna sunt tumor durus, tactui resistens sine dolore, & stantibus gravitatis cujusdam sensus in pudenda incumbit, ambulatio fit difficilis,

lis, crurum, totiusque corporis segnities adest, venter tandem intumescit, extenuantur crura, inquit *Avicenna*, & si praecedente inflammatione tumor remaneat, sedato dolore, & febre extincta, scirrhosis facta fuit, menses supprimuntur, quamvis interdum absque ordine redeant. Si sit in cervice, poterit digitis explorari, coïtus impeditur, sedentibus aut decumbentibus rectum intestinum premitur; & quae de dignotione partium affectarum in uteri phlegmone diximus, huc referri possunt, sunt enim signa communia. A molâ vix distingui potest, nisi quòd in scirrho mulier magis attenuatur, mammae gracilescunt, & lacte destituuntur, neque dum stat, devolvitur tumor ad os pubis, neque cùm decumbit, movetur de latere in latus, ut mola, quae si firmiter utero annexa sit, haec signa incerta sunt.

Rebelle malum est, quòd medicamentis vix cedit, praesertim ubi fuerit confirmatum, & hydropem parit, saepe in cancrum degenerat, si calidioribus remediis exacerbetur. Siccitas enim illa scirrhi vix potest emendari, calor ipse nativus elanguescit, & ipsa remedia emollientia huic affectui dicata putredinem inducere possunt, unde cancer excitatur. Circa collum tamen faciliùs curatur, quàm in fundo, inquit *Aëtius*. *Prognostica.*

Ad curationem institutâ priùs optimâ victus ratione qualis melancholicis convenit, tumor emolliendus est & resolvendus, causa antecedens vacuanda. Vena secanda est ex *Paulo* & *Aëtio*, si sanguis simul peccarit; Humor praeparandus & purgandus est melanagogis, ut saepiùs alibi diximus; nec inutile fuerit vomitoria ex *croco metallorum* praescribere, & helleborismum ac haemorrhoidum apertionem, & fonticulos in brachiis, & inter alterantia usum chalybis, qui maximè convenit omnibus affectibus melancholicis. *Curatio.*

Topica quod spectat, non debent esse repellentia, ne humorem magis impingant, nec simpliciter emollientia, metu putredinis, nec valde attenuantia & resolventia, ne humor magis exsiccetur, aut accendatur, & in atram bilem degeneret, sed simul emollientia & resolventia, unde ejusmodi remedia vel simul permisceri, vel alternatim usurpari debent. Fiant igitur fotus, linimenta, emplastra, injectiones, pessaria, suffitus, admistis semper hystericis; ut quatuor *remollientia, artemis. matricar.* cum *omaso* bulliant, & decoctum saepè injiciatur, in quo dissolvi

poterunt *olea lilior. amygd. amarar. de myrrhâ, de ſtyrace, unguent. de altheâ.* ℞ *radic. lilior. alth. cucum. agreſtis ana quart. j, artemiſ. nepetæ, malvæ, violariæ, brancæ urſinæ, ana M. j, ficuum Par: x, ſemin. lini, fœnugræc ana* ʒ ij, *flor. chamæm. melil. geniſtæ, ſamb. ana P. j,* fiat decoctio in hydrelæo vel jure capitum vervecis, pro ſemicupio, fotu, injectione. Ex reſidentiâ transmiſsâ per ſetaceum, fiat cataplaſma cum *butyro recenti, pinguedine gallinæ, pulvere ireos florent. farinâ ſeminis lini, croco,* &c. Poſt fotum fiat unguentum ex *oleo cappar. lilior. amygd. butyro recenti, emplaſt. diachyl. de meliloto, de mucilag. de ranis,* &c. In declinatione digerentia addi poſſunt, ut *puleg. calamint. matricaria, radix bryon. nitrum, cuminum.* ℞ *opopan. bdellii, ammon. galbani ana* ʒ iij, *ſtyrac. myrrhæ, thuris ana* ʒ ij, *radic. ireos* ʒ j, *croci* ʒ ß; diſſolvantur lacrimæ in *oleo liliorum* & *vino,* adde *terebint.* & *ceræ q. ſ.* fiat unguent. aut his linteo involutis peſſus, qui filo alligatus demittatur in uterum. ℞ *mucilag. ſem. fœnugr. lini, ungu. dialth. ana* ℥ ß, *pulveris ireos* ʒ ij, *croci* ℈ ij, *olei cappar. & lilior. ana* ℥ ß, *ceræ q. ſ.* fiat liniment. Lutum thermarum appoſitum conferre dicitur; ℞ *reſinæ, ceræ, fermenti, ana* ℔ *j, ammon. galbani, opopan. ana* ℥ ij, *muriæ q. ſ.* Coquantur omnia, fiat emplaſt. commendatur ab *Aëtio*, ſicut & ſequ. ℞ *ærug. floris ſalis, thuris ana* ℥ j, *irid. ariſtol. ana* ℥ ß, *tereb.* ℥ iij, *colophon. litharg. ceruſſ. ana* ℥ j, *olei* ℔ ß, *panis ſilig. radicis alth.* coctæ, & per ſetaceum transmiſſæ ℥ iij, *axungiæ anſeris* ℥ ij. Miſce, fiat emplaſt. ℞ *ceræ, reſ. pini, picis, nitri, bacc. lauri, adipis taurini, ammon. ana;* Miſ. coquantur ſimul ad emplaſtri conſiſtentiam. Plura videantur apud *Aëtium.* Peſſi ex iiſdem rebus fieri poſſunt, ex *terebint. iride, myrrhâ, œſypo,* &c. Valet peſſus aureus dictus. ℞ *ceræ, olei nard. medullæ cervinæ ana* ℥ j, *butyri, nitri ana* ʒ iij, *galbani, myrrhæ, thuris ana* ʒ j, *tereb. picis, ammon. ana* ʒ ij. Miſce, fiat peſſarium ex *Aëtio.* Suffitus lapidis pyritis accenſi, & aceto irrorati, ad omnes ſcirrhos prodeſſe dicitur.

Si ſcirrhus pituitam admiſtam habeat, tutius digerentibus uti poſſumus. Si verò ſit bilis, vel ſanguinis particeps, temperatoria eſſe debent topica; fiat cataplaſ. ex *farinis fabar.* & *hord.* coctis in *oxymel.* addito *oleo viol.* & *roſac.* & ſedanda prius inflammatio eſt, antequam validis reſolventibus utamur.

CAP.

Cap. XI.

De Cancro Uteri.

CArcinoma etiam in utero fieri poteſt, ex humore atrabilario, qui vi caloris efferatur & excandeſcit, & ſæpè ſcirrhus, ut diximus, in cancrum vertitur, ſi humor aduratur, fiunt enim ambo à materiâ melancholicâ, ſed ſcirrhus à frigidâ nondum aduſtâ, vel pituitâ craſsâ, cancer verò ab aduſtâ: Unde quæcunque humores ejuſmodi generare poſſunt, ut temperies atrabilaria, ætas inclinans, victus ratio craſſior, & ſanguinem adurens, mœror, timor, triſtitia, & alia ejuſmodi huic morbo occaſionem dare poſſunt. Eſt autem duplex; non ulceratus, vel ulceratus: Ille ab humoribus magis temperatis & mitioribus; hic verò ab aduſtis & corruptis generatur. Ille pariter magis in uteri corpore; hic verò in cervice fit.

SIgna ſunt quædam cum ſcirrho communia, ut durities, gravitas, renitentia, ſed præterea adeſt inſignis dolor, quaſi acuum per intervalla pungentium, circa inguina, ſummum ventrem, pectinem & lumbos; & ſi tumor uteri ſpeculo videri poſſit, apparet inæqualis, tuberoſus, lividus & nigricans, aut valdè rubicundus, cum quibuſdam venarum propaginibus, quaſi radicibus quibus parti firmiter adhæret. Scirrhum autem in cancrum mutari cognoſcimus, ſi qui tumor priùs indolens erat, dolere incipiat, ob humoris putredinem, calorem, & incendium. Exulceratus autem cognoſcitur, quia omnia exacerbantur ex majori humoris feritate, effluitque è vulvâ humor tenuis, graveolens, fulvus nigricans, fæcibus vini non abſimilis, imo etiam aliquando ſanguis eroſis vaſis majoribus, adſuntque febricula, inquietudo, ſymptomata. nauſea, pudendorum ardor, cibi faſtidium, aliaque efferati humoris Volunt *Paulus* & *Aëtius*, interdum albicantia eſſe ejuſmodi ulcera, quòd ut rectè advertit *Mercur.* falſum eſt, ſive materiam exeuntem ſpectes, ſive ulceris ipſius & cutis colorem, hæc enim ſunt livida, nigra, aut ex nigro & rubro miſta. *Signa.*

CAncer autem niſi curetur totus, cum omnibus ſuis radicibus redit, quare cùm id in utero fieri nequeat, incurabilis eſt. Cùm incipit, negligitur, & vix etiam cognoſcitur, quia magnam non adfert moleſtiam; *Curatio.*

ſtiam; increſcens autem poſtea curari nequit, mitiora ſpernit, gravioribus exacerbatur, & in utero vix illi remedia applicari poſſunt; quare conſilio *Hippocratis* cancros occultos non curare meliùs eſt, quia curati citiùs interficiunt, niſi in partibus illis, in quibus radicitùs poſſunt extirpari. Ulceratus autem pejor eſt non ulcerato, & citiùs interficit. Hic notandum eſt, tantum eſſe inter mammas & uterum conſenſum, ut unius partis cancer alteri communicetur, & curatus in mammis, ſæpè in utero repullulet, ut multorum experientia obſervavit. Equitis uxor cancrum habebat in mammâ ſiniſtra, cui ſimilis alter exortus eſt in utero, & hinc periit.

Cura. CUm igitur verè curari nequeat, totus curationis ſcopus in eo conſiſtit, ut dolorem mitigemus, exulcerationem prohibeamus, ſi nondum ſit ulceratus, aut exulcerati ſaltem incrementum: Quòd fiet primò victus ratione idoneâ, quæ cum melancholico & atrabilario humore pugnet, ſitque cibus eupeptus, euchymus, refrigerans & humectans, vitatis omnibus quæ ſanguinem accendere poſſunt, & melancholiam generare, ut vinum generoſum, acrium eſus, & alimenti copia ex *Paulo*, utpote quibus cibi citò corrumpantur. Sanguis mittatur ex brachio, vel ex poplite, hæmorrhoides aperiantur, quæ atrum ſanguinem vacuant, frequens fiat purgatio, quæ non multùm calefaciat, ſed blandè vacuet atram bilem, ex *cathol. diaſennâ, confect. hamech, ſyr. de pomis, ſero lactis*, in quo fumaria, & lupulus maduerit, & aliis. Uſus confectionis alchermes, cancrorum fluviatilium, ſmaragdi, & lapidis bezoar proprietate quâdam conferre creditur, quòd non eſt credendum.

Topica levia eſſe debent & blandientia, nam fortibus & mordacibus irritatur, moderatè refrigerantia & adſtringentia, ut *olea roſ. omphac. viol. myrtill. de vitellis ovorum, ſucci ſolani, plantag. polyg. ſempervivi, ſcabioſæ, agrimon. lac muliebre, unguent. diapomphol. de plumbo, de ceruſſâ*, quæ utrique cancro conveniunt; diſſolvi etiam poſſunt cum ſuccis prædictis, & injici in uterum; cavendo ſemper ab omnibus acribus, attrahentibus, digerentibus, ut ſunt *lacryma, thus, myrrha, galban. aſſa fœtida, cinnam. ſpica*, & hujuſmodi; nam ut docet *Rhazes*, uterus cancroſus nec clyſteres, nec ſuppoſitoria, aut alia ſuſtinere poteſt, quæ nimis ſint acria, aut calida.

Peſſus ex plumbo prædictis ſuccis inebriato indatur utero. *Oleum ovorum* in mortario plumbeo cum piſtillo plumbeo agitetur donec craſ-

ſeſcat,

ſeſcat, & plumbi colorem contrahat, utrique cancro convenit, ſicut & *ſuccus ſolani* pariter in ſimili mortario ſubactus. Demum metallica diligenter lævigata & abluta, quæ citra morſum refrigerant & exſiccant, addi poſſunt, ut *antimon. tuth. plumbum*, *ceruſſa*, *ſal ſaturni*, ut ex iis parentur unguenta, cum *ſuccis, oleis prædictis, cerâ*, & *ſevo hircino*, nam reliquæ axungiæ putrefaciunt, cinis quoque cancrorum fluviatilium reliquis permiſtus prodeſſe creditur. ℞ *ſucci ſolani*, aut aquæ ejuſdem, *ſucci ſempervivi ana* ℥ ij, *plumbi uſti & loti* ʒ ij, *ſacchari ſaturni* ʒ j, *tuthiæ præpar.* ʒ j ß; agitentur diu in mortario plumbeo, fiat linimentum, aut etiam injectio. ℞ *ſucci plantag. portul. ſolani ana* ℥ ij, *mucilag. ſem. pſyllii* ℥ j, *olei myrtill. roſacei ana* ℥ j ß. *olei vitellor. ovor.* ℥ j; agitentur ſimul in mortario plumbeo ad coloris mutationem; dein adde *ceruſſæ lotæ*, *litharg. plumbi uſti & loti ana* ʒ ij, *tuthiæ præpar.* ʒ j, *camph.* ℈ j, fiat linimentum; quòd ſi dilutius fuerit, aut cum lacte muliebri, poterit injici. *Paulus* & *Aëtius* laudant ſequ. ℞ *litharg.* ℥ iij, *thuris maſculi*, *œſypi*, *butyri recentis*, *ceræ ana* ℥ j, *roſacei* ℥ j ß, fiat unguent. item lithargyrum cum ſucco ſeridis. ℞ *boli armenæ* ℥ j, *lapid. calaminar.* ℥ ß, *ſucci arnogloſ. burſæ paſtor. aceti ana* ℥ j, *oleor. myrt. roſacei ana* ℥ ß, *ceræ albæ q. ſ.* fiat unguentum in mortario. Pauperibus paretur cataplaſma ex *ſucco arnogloſ.* & *ſtercore humano ſicco* in pulverem redacto, cum *oleo ranarum*, vel *ovorum*. Decoctum *herbæ roberti*, *ſcabioſ. verbaſci*, *millefolii* cum prædictis injectum confert, nam quidam herbam *Roberti* ſumptam & admotam commendant, ſicut & ranas lotas, coctas & contuſas, forma cataplaſmatis applicatas vel injectas. Carnibus pullorum gallinaceorum appoſitis & ſæpiùs mutatis, cancrum in facie curatum fuiſſe, refert *Maurit. Cordæus* j γυναικ. Si prædictis dolor non ceſſerit, utendum eſt anodynis, ut lacte injecto, aut decocto *malvar. nymph. papav. coriand. viridis*; ex quibus contuſis fieri poterit cataplaſ. vel *unguent. ex oleo papav. nenuph. hyoſc. mandrag.* cum paucâ *camphorâ*, *mucylag. pſyllii*. Folia & capita *papaveris albi* contundantur & applicentur. Injectio ex *oleis ovorum* & *roſaceo* prodeſt. Si his dolor non ceſſerit, ſignum eſt exulcerari, tunc metallicorum major quantitas addenda eſt, & poſt levem deterſionem ex *lacte aſinino*, vel *ſero lactis* magis adſtringentibus utendum eſt. ℞ *conſolidæ ſarracenicæ*, *conſol. majoris & minoris*, *plantag. ſempervivi*, *ſanamundæ*, *millefol. portul. pimpin. herbæ Roberti*, *veron. lanceol. lactucæ*, *ana M. j.* fiat decoctio pro fotu & injectione cum vitello ovi, & lacte recenter mulcto. Quidam tandem etiam cauſticis, utuntur, ut *oleo antimon. auripigm. plumbi, tro-*

bi, trochiscis andronis, de arsenico, & aliis, quæ ad nomas describuntur, quibus tamen in utero parte sensus adeò exquisiti utendum non est, sed potiùs honesta fuga, ut ait *Varand.* capescenda, malum enim incurabile est.

CAP. XII.

DE ULCERIBUS ET FISTULIS UTERI.

IN utero fieri possunt ulcera, sicut & in aliis partibus, quamvis sæpiùs in collo quòd carnosum est, quàm in ipsius fundo fieri soleant. Suntque eorum variæ differentiæ; nam vel lævia sunt & superficialia, parùm à scabie & pruritu differentia, quæ tantùm interiorem pelliculam corradunt, & ad aphtas referuntur ab *Hippocrate.* Vel sunt profunda, sordida, inflammata, depascentia & cancrosa, ac fistulosa; sæpè autem in utero sordida fiunt, quia locus ille excrementis & putredini patet. Illisque competere possunt aliæ ulcerum differentiæ, de quibus *lib. de ulceribus* ubundè dicemus: ut ulcus vel est primarium, quòd nullo prægresso in parte illâ morbo exoritur, vel secundarium, quòd aliis morbis succedit: 2. vel est rotundum, sinuosum, oblongum, aut alterius figuræ: 3. vel solitarium, vel cum causis suis complicatum, ut phlegmone, veneno, contagio, humorum affluxu, aut cum symptomatibus, ut convulsione, dolore, &c. 4. vel orificium & cervicem, vel fundum occupat, vel externam superficiem, vel internam; Abscessus enim uteri in varias partes disrumpuntur, in intestina, vesicam, cavum abdominis, vel in coxam & inguina, *aphor. 47. sect. 5. Si uterus in coxam vergens suppuretur, necesse est* ἔμμοτον *fieri*, id est, ulcus profundum, sinuosum in inguine, quòd per μότους seu turundas curari postulet.

Causæ. FIunt autem vel post alios morbos, ut inflammationem in abscessum conversam, quo disrupto, ulcus manet sordidum; vel primariò ex affluxu humorum acrium, ut post fluxus muliebres acres; post gonorrhœam, partum difficilem, violentam partus extractionem, aut ejus in utero corruptionem, lochiorum suppressionem, menstruorum in utero putrefactionem, unde uterus pessima ulcera incurrit, maximè si cacochyma sit mulier, & excrementis biliosis, exustis, salsis, acribus plena, ex quibus in uterum confluentibus, fiunt varii fluxus, diuturni, malè olentes, à quibus uteri substantia corroditur. Externis quoque de causis fiunt,

fiunt, ut violento & sæpiùs repetito concubitu, ut in meretricibus solet ex attritu harum partium, aut puellis tenerioribus per vim defloratis, aut ex contagione luis venereæ, aut acri & erodenti pessario, vel injectione, diureticis vehementioribus, aut menses moventibus. *Avicenna* addit casum, contusionem, verùm non immediatè, sed tantùm quia sanguinem & humores acres alliciunt, inflammationem & abscessus pariunt, quibus disruptis, ulcus remanet.

Cognoscitur autem facilè ex dolore acri & pungente, qui exacerbatur concubitu, injecto liquore detergente, aut pessario acriori: 2. ex sanie effluente, quæ varia est substantiâ, quantitate, colore interdum fœtida, interdum odoris expers, quamque à muliebri fluore discernere difficile est. Propriè autem ulcus cognoscitur ex causis præcedentibus, sensu doloris, qui ab acri injectione qualis ex vino, aut ex hydromelite est, refricatur, ægramque horrores inordinati sæpè fatigant, doloresque adsunt inguinum, lumborum, sincipitis; menstrua si quæ fluunt, purulenta sunt & olida. Simplex *excoriatio* percipitur ex ardore, punctione, & serosæ cujusdam materiæ effluxu. *Benignum* ulcus ostendet pus paucum, album, læve & æquale, à quibus notis quò magis recesserit, eò pejus est, ut si serosum, viride, nigrum, putidum fuerit. Si dolor fuerit vehemens cum pulsatione, saniesque sit similis loturæ carnium, & fœtens, ulcus est virulentum: Si sit viridis, livida, mali coloris, cum fœtore & cruciatu, ulcus est depascens & malignum: Si fuerit spissa, glutinosa, vini fæci similis, ulcus est cancrosum: Si ardor febrisque adfuerint, ulcus est inflammatum. Causæ externæ, ut acre medicamentum, partus difficilis, &c. ex ægrotantis relatione cognoscuntur; tùm pariter si præcesserit inflammatio, fluor uterinus, gonorrhœa, lochiorum suppressio, facilè cognosci poterit ex sedulâ interrogatione Medici. Præcipuè autem si ex lue venereâ contractum sit, gonorrhœa virulenta præcessit, aut etiam adhuc perseverat, & reliqua ejusdem morbi signa adsunt. Humorem pariter sanies effluens, corporis constitutio, ac præcedens victus ratio patefacit; ut si sit sanies rubicunda cum ardore & febre, inflammationem, citrina cum ardore & dolore magno bilem, serosa & tenuis sine dolore magno pituitam, nigricans, viridis aut livida, melancholiam arguit. Pars affecta si sit collum uteri facilè per dioptram, aut immisso longo pessario dignoscetur. Si sit profundior ex signis prædictis, aut injectâ in uterum quâdam injectione acri. *Signa.*

Prognostica. ULcus omne uteri periculosum est, nullumque contemnendum, ob partis affectæ præstantiam, nervosam naturam, & excrementorum affluentium copiam, unde ulcus difficulter consolidatur, & sæpè putredinem concipit, malignumque evadit. Quo autem ulcus erit profundius & majus, majoribusque symptomatis stipatum, eò deterius erit. In collo tamen interdum curari potest, difficilius verò si sit sordidum, virulentum, depascens, & antiquum.

II. Ulcus uteri in sene difficiliùs, in juvencula ipsâ raro sanescit, quia pars est spermatica, fluentibus excrementis continuò madens, hydropem immedicabilem tandem accersens.

III. Ab ejusmodi ulceribus mulier tandem fit sterilis, quia uterus obductâ cicatrice, neque semen excipere, neque compl&ti, neque fovere poterit, nisi fortè exulceratâ parte sinistrâ, dextra concipiat, aut contra.

IV. Quamvis autem utplurimum ejusmodi ulcera curatu impossibilia sint; habemus tamen historias quarundam, in quibus ejusmodi ulcera sponte & vi naturæ curata sunt, iterumque conceperunt. Apud *Rossetum de partu cæsareo* extant plurimæ ejusmodi historiæ. *Pharmacopœi* uxori abscessus uteri apertus fuit in abdomine, & intra trimestre spatium curata fuit, iterumque concepit; pluresque historiæ illic legi possunt. *Gradiniani* in agro *Burdigalensi* mulier quædam per abscessum abdominis duorum fœtuum ossa excrevit, & diu postea incolumis vixit, cujus historiam suo loco describemus. Quare de sanatione non est semper desperandum.

Curatio. AD curationem considerandæ sunt causæ omnes & symptomata, nam superficiale ulcus à causâ externâ genitum, ut violento coïtu, solis glutinantibus curatur. Si autem adsit intemperies, inflammatio, humorum affluxus, hæc omnia priùs tollenda, dolor demulcendus, antequam ad peculiarem ulceris curationem accedamus; Sed maximè spectandum, an à lue venereâ generetur, illi enim peculiaria conveniunt Alexipharmaca. Sedulò igitur curationi incumbendum, ne ulcera putrida fiant, maligna & cancrosa. Curantur autem generalibus totius corporis vacuationibus, deinde detergentibus, mox exsiccantibus & consolidantibus.

Victus ratio sit paululum refrigerans, sed magis exsiccans. Aër sit in passivis siccus, in activis temperatus; nam sicut frigidus ulceribus mordax, sic nimium calidus humores inflammat, & acriores reddit. Som-

nus moderatus ſit, & ſuper latera, non ſupinus, in lecto molli, ſed non nimium calido, metu inflammationis. Quies utilior eſt motu & exercitatione, niſi fortè frictiones partium ſuperiorum ad revellendum inſtituantur. Animi pathemata, ira præcipuè & mœrores vitentur, quia humores nimis agitant & commovent. Cibus ſit exſiccans, eupeptos, & oligotrophos, niſi ſimul corpus contabeſcat. Vitentur igitur omnia dyſpepta, cacochyma, acria, ſalſa, piperata frixa, acida; nam ſi acetum utero ſemper nocet, maximè quando ulceratur. Ideo omnia aceto condita vitanda ſunt, ſicut & *cæpe, allia, braßica, caſeus acrior, vinum generoſum*, cujus loco aqua bibatur, aut decoctum *hord. glicirrhizæ, acetoſæ*, & ſimilium. Conveniunt autem carnes delicatæ, juniorum animalium elixæ potiùs quàm aſſæ, *cremor, ptiſanæ, ova recentia, lac, paſſulæ; amygd. piſtacia*. *Piſces* autem & *juſcula* quia nimis humectant, relinquantur. Alvus ſit modicè fluida, omnes excretiones naturales provocentur præter menſtrua & urinas; quæ ſi ſponte vi naturæ profluant, bonum eſt; medicamentis autem provocari non debent, quia calida ſunt, & humores ad partem affectam ducunt; omnia munda ſint, linteola, veſtes. Balnea humida vitanda, ne pars nimium relaxetur, niſi adſit tabes. Sudorifica tamen imperamus, ad humorem exſiccandum, ut dicemus inferiùs.

Victu inſtituto, ſi corpus fuerit plethoricum, & ulcus inflammatum, vena ſecanda eſt baſilica aut mediana, ad revulſionem, dein etiam ſaphena ad derivationem, totiesque repeti poterit phlebotomia, quoties ex uſu eſſe videbitur. Tum etiam frictiones fieri poſſunt & ligaturæ ſuperiorum partium, cucurbitulæ quoque ſub mammis applicari ad revulſionem. Cacochymia tollatur blandis catharticis, ut *ſyr. roſato, caſſia, mannâ, diapruno*, & ſimilibus vitatis valentioribus, diagridiatis, diureticis, & menſtrua provocantibus, quia humores ad partem affectam commovent, niſi diſruptus abſceſſus per alvum aut urinas expurgetur, tunc enim & diureticis & clyſteribus uti poterimus, ſed levioribus & refrigerantibus, ut ſupra diximus, quales ſunt emulſiones refrigerantes ex *amygd. ſemin. papaver. lactucæ, frigidis majoribus*, & ſimilibus. Vomitus ad diverſionem humorum utiliſſimus eſt.

Humores quoque temperari poſſunt & alterari, julepis idoneis, apozematis vulnerariis. ℞ *rad. & foliorum conſol. majoris M. ij, polyp. querni, paſſul. liquir. ana ℥ j, folior. plantag. vincæpervincæ, acetoſ. ſaniculæ, capilli vener. alchym. veron. herbæ roberti, calend. bugulæ ana M. j, verbenæ, dentis leon. agri-*

agrimon. pimpin. millefol. centinod. ana M j ß, sem. frigid. major. ʒ ij, flor. hyper. P. j. fiat decoctio: cui adde *sacchari* q. s. Cujus sumat ℥ *iiij* singulis vicibus, bis terve in die. Decoctum catapultarum potum etiam proderit, sicut si urget febris, & magna adest saniei copia, seri magna quantitas; aut aquarum Spadensium usus utilis erit. Quòd si tabes simul accedat, *lac* cum *sacchàro rosato* sicut & in phtisi, valdè proderit. Ostendit experientia, decocta *chinæ, sarsaparillæ, guaiaci, sassafras*, omnibus internis ulceribus exsiccandis valdè prodesse, maximè si adsit luis venereæ suspicio. Tale jusculum præscribit *Varandæus*; ℞ *rad. chinæ per taleolas dissectæ ʒ iij, agrimon. pimpin. borrag. acetosæ, centinod. plantag. ana* P. j, *uvar. corinth. sem. coriand. ana* P. ß, *santali rubri ʒ ij.* Decoquantur omnia cum pullo gallinaceo, donec contabescant, quo jusculo bis singulis diebus utatur, continuando per viginti aut plures dies.

His præmissis, ad particularem ulceris curationem veniendum, quæ fit detergentibus & exsiccantibus, multum autem resiccantia hic affectus postulat, tùm ob partis naturam siccam, tum ob excrementorum quibus obnoxia est copiam. Sed quia multa possunt ulceris curationem remorari, ut dolor, inflammatio, excrementorum proventus, ea priùs sunt removenda.

Dolor igitur primùm sedandus est, tùm ob molestiam, tùm quia humorum fluxum commovet, ideò detergentia in hoc casu sine morsu esse debent, ut aquæ tepidæ frequens perfusio & injectio, aut *seri lactis*, vel decocti *hord.* & *ros.* cum pauco *sacchàro*; & *melle rosato*. Prodest *oleum de vitellis ovorum*, ex *Avenz.* sicut & syr. refrigerantes *de nymph. de papav. endiviâ* conveniunt, *lac* infunditur & apponitur, sicut & *album ovi*, agitatum cum *mucillag. psyllii*, & emulsionibus *sem. frigid.* & *papav.* aut *aquâ hordei* cum *succo hyosciami*, nam in extremo dolore *opio* & *narcoticis* uti, non erit inutile, sterilitatem quidem inducere possunt, non autem mortem, ut docet *Mercurialis*. Scio non semper sterilitatem facere, possunt tamen longo usu. *Paulus* præscribit medicamen ex *croco, ovis, rosaceo, adipe anserino, cervi medullâ*, sed hæc pinguia dolorem quidem sedare possunt, sed ulceri nocent.

Sedato dolore, si sola fuerit excoriatio, leviora adstringentia sufficiunt, ut decoctum *balaust. rosar. siccar. plant. portul. lentium*, & similium.

Si verò sordidum ulcus fuerit, validioribus detergentibus erit utendum. Verbi gratiâ, decoquantur simul *agrimon. marrub. absynt.* in *sero lactis* vel *hydromel.* In colat. dissolve *mel rosat. syr. de rosis siccis, de absyn-*

thio.

thio. Aqua catapultarum dicta, optimè deterget & exsiccat, sicut & aquæ thermales injectæ & potæ, dummodo ulcus non sit à lue venereâ. Si hæc non sufficiant, valentiora sunt *urina pueri impubis*, *lixivium cineris sarmentor. ficus*, addito *melle rosato*, decoctum *lentium*, *ceterach*, *apii*, *absynth. agrimon. centaur. min. fabar. lupin. orobi*, *aristoloc. gentian. ireos*, *artemis.* & similium, quæ magis detergent. Et si adhuc magis detergendum sit, in his parum *ægyptiaci*, aut *unguent. Apostolor.* dissolvimus, quando scil. ulcus est obductum multo pure & carne putridâ. ℞ *apii cum toto M. iij*, *agrimon. absynth. verbasci*, *ros. siccar. ana P. j*, *hord. fabar. lent. ana* P. ß, *ireos* ℥ *ij*, fiat decoctio, in cujus ℔ j dissolve *mellis rosati* ℥ *ij*, *aloës*, *myrrhæ ana* ʒ *ij*, *ægyptiaci* ʒ *j*; Misce, fiat injectio. Vel addere possumus aliquid *mercurii*, *collyrii Lanfranci*; & si ulcus remediis pateat, poterit leviter tangi *aqua Fernelii* ad ulcera, vel *aquâ calcis*, quæ etiam ad id laudatur; exsiccat enim & absterget, sicut & *aqua aluminosa*. Applicari quoque possunt pessarii formâ unguenta detergentia, ut mundificativum de *apio*, cum *thure*, *myrrhâ*, *aloë*. ℞ *tereb.* ℥ ß, *succi apii*, *mellis rosf. ana* ℥ *ij*, *pulveris ireos*, *orobi*, *ana* ʒ *j*. Misceantur simul, & bombace excepta includantur linteo, & fiat pessarium. Si ulcus serpens sit, & nomades magis adstringentia conveniunt; ℞ *rad. aristoloc. irid. centaur. ana* ℥ *j*, *symph. hyperic. pedis columb. herbæ roberti*, *agrimon. plantag. solani ana M. j*, *sumach*, *glandium*, *gallar. virid. baccar. myrti*, *ana* ʒ *ij*, *rosar. rubr. balaust. ana P. j*, *flor. anthos P. ij*, fiat decoctio, in quâ dissolve *mellis rosf.* ℥ *ij* ß, *aluminis* ℥ ß, quâ foveatur ulcus. Superimponi possunt emplastra vel cataplasmata ejusdem virtutis, circa pubem vel perinæum, quorum virtus ad interiora usque feratur. Si fuerint à lue venereâ, propriis illius morbi alexipharmacis est utendum, & si fuerint in collo uteri, tangantur *aquâ secundâ*, *oleo mercur. sulph. vitrioli*, sed cautè, & tantùm cæteris prius tentatis, ob sensum partis exquisitum.

Ulcere sufficienter deterso, quòd cognoscitur si quòd effluit paucum est, æquale album, odoris expers, ad exsiccantia veniendum, quæ quidem multum exsiccent, sed sine morsu, nam acria valdè uterus probè detersus non sustinet. Ideò prædictis injectionibus addere possumus *aloën*, *iridem*, *trochiscos albos Rhaz. unguent. diapomphol. de cerussâ*, *de plumbo*, & alia metallica potenter resiccantia. ℞ *litharg. sarcocol. pomphol. ana* ʒ *j*, *thuris* ʒ *j* ß, *cerussæ*, *sang. dracon ana* ʒ ß, *olei rosati* ℥ *j* ß, *ceræ q. s.* Fiat linimentum, quo, si tangi ulcera possint, illinantur; si verò sint profundiora, dissolvatur in *succo plantag.* & in uterum injiciatur. *Faven-*

tinus sequens laudat; ℞ *lactis mulieb.* ℥ iiij, *olei rosati completi* ℥ ij, *tuth. præpar.* ℥ ß, *aloës* ʒ ij. Ducantur omnia in mortario plumbeo ad consistentiam unguenti, cujus portio dissolvatur in *aquâ hordei*, & injiciatur. Vel ℞ *unguent. de tuth.* ℥ ij, *lactis ovilli* ℥ viij; dissolvantur, & fiat injectio. ℞ *pulveris myrrhæ, aloës, sang. dracon. ireos ana* ʒ j; dissolvantur in *lacte bubulo*, aut decocto *agrimoniæ, beton. consolidæ majoris, bursæ pastor.* & simil. fiat decoctio adstringens ex *rad. bistortæ, cortice granat. ligno sancto, nucibus cupressi, gallis, foliis plantag. tapsi, polygoni, caudæ equinæ, consolidæ majoris, pimpin. rubi, quercus, saniculæ, millefol. glandium, florum rosar. balaust.* &c. quæ decoquantur in *aquâ chalybeatâ*, in cujus ℔ j dissolve *trochisc. albor. Rhazis. tutbiæ præparatæ ana* ʒ ij, *syr. de rosis siccis, & myrtillor.* fiat injectio. Ex *aquâ aluminosâ* injectio utilissima est, cui etiam addi poterit *saccharum Saturni*; Balnea quoque ex prædicto decocto convenient.

Si hæc non prosint, tentandum erit partem fumigiis exsiccare; fiant autem ex sarcoticis, & fuliginem generantibus, ut *lacrymis, resinis, cortice thuris, hypocystide, ladano, sandarac.* ℞ *thuris, mastich. ladani, myrrhæ, styracis rub. ana* ʒ iij, *lapidis pyritis, auripigm. ana* ʒ ij. Excipiantur *terebinthinâ* pro suffitu. Si ulcus pendeat à lue venereâ, adde *cinnab.* ℥ j. Odoratius erit sequens; ℞ *corticis thuris, mastic. gummi hederæ, junip. ana* ʒ ij, *benjoini, styracis calamitæ, ladani puri ana* ℥ ß, *irid. florent. caryoph. ana* ʒ ij, *nucis moscatæ, myrrhæ ana* ʒ j, *rosar. rubrar.* ʒ iij, *cinnab.* ʒ j ß, *carbonis salicis* ℥ ij. Excipiantur *terebinthinâ*, fiant trochisci. Notandum autem ejusmodi fumos sub fistulâ non durare, vel fistulam accendere, ita ut ferri non possit, ideò in modum aviculæ cypriæ, formanda putat *Massaria*. ℞ *styracis, calam. ireos, thuris ana* ℥ j, *benjoini* ℥ ß, *myrrhæ, croci ana* ℥ ij, *cinnab.* ℥ j ß, *ladani* ℥ ij, *carbon. salicis* ℔ j: Pulverisentur & cum *aquâ vitæ* fiant formulæ, quæ accensæ durabunt per horam unam, ut docet *Hercules Saxon.* Verùm hæc omnia pro variis circumstantiis erunt moderanda, in corporibus mollioribus & delicatis, ne dum nimis citò hunc affectum tollere cupimus, ægrotans in majus periculum conjiciatur.

Si ulcus fuerit in collo, & pessario possit attingi, faciliùs sanescet. Pessarium commune immersum in aliquo ex prædictis unguentis, indatur in vulvam, aut paretur pessus ex plumbo, quòd poterit involvi linteolo oblito unguento diapompholygos. ℞ *litharg. auri, tuth. præpar. cerussæ ana* ℥ ß, *plumbi pulveris, terræ sigill. boli armenæ, sangu. dracon. trochisc.*

chisc. albor. Rhaz. ana ℥ j, *antimon. & arug. aquâ rosarum lota ana* ℥ ß, *camph.* ℈ ij, *olei myrtill. q. s.* agitentur simul in mortario plumbeo, fiat unguent. quòd applicabitur cum pessario ad formam suppositorii. Renes ungantur *cerato Gal.* aut *santal.* aut *comitis.* cum *trochiscis de camphorâ.* In pertinaci ulcere ablationem matricis fieri posse muliere superstite, putant *Rossetus* & *Paulus*, ut dicemus suo loco.

Ulcera autem ejusmodi neglecta, aut malè curata, facilè fiunt fistulosa, sanies enim partes vicinas molliores facilè erodit, unde fiunt sinus, qui callo contracto fiunt fistulæ, modò simplices, modò altiùs penetrantes, & plures sinus habentes, quòd potissimum fieri solet in illo ulcere, quòd ex abscessu in coxam disrupto contingit, ut diximus ex *aph. Hippoc.* Facilè ex ulceris profunditate & callo cognoscitur, dolor nullus adest, nisi ad partem nervosam penetret, sanies multa effluit, alba & tenuis; si recens sit, crassa, viscida, & inæqualis; si antiqua, pauca & nigra cum dolore, ex nervo, pallida, tenuis, oleaginosa ex osse vitiato. Vesicam & intestina quandoque perforat, unde excrementorum alvi & urinæ per fistulam exitus. Malum est curatu valdè difficile, & fermè impossibile, sicut & omnis fistula, sed difficilius, si sit in fundo uteri, atque ad vesicam vel intestinum rectum penetraverit, aut quæ est antiqua & amfractuosa, aut cartilaginem, os, vel nervum lædit, aut est in corpore senili & cacochymo. Facilius autem quæ simplex est, in corpore juvenili, boni habitus, quæ oculis cerni potest, è quâ eximi potest caro mortua, quamvis in utero ob nervosam illius substantiam id tentare periculosum sit. Interdum autem melius est ejusmodi sinum relinquere, maximè si antiquus sit, & natura per illum excrementorum copiam vacuet: sufficit tunc corpus frequenter repurgare, injectionibus detergentibus & roborantibus uti, emplastrum divinum, vel diapalma imponere, quæ cura vulgo palliativa dicitur, non autem cicatrizantibus uti, nam sæpè osculum exterius clauditur, remanente sinu, unde cohibitus humor majores agit cuniculos.

Si curatio sperabilis est præmissâ optimâ victus ratione, & universalibus remediis, phlebotomiâ & catharsi, sudorifica & exsiccantia imperanda, ut apozema ex *guajaci* ℥ ij, quæ infundantur per horas 24 in aquæ fontanæ ℔ iij, adde *rad. filicis maris, gentianæ, aristol. ana* ℥ ß, *folior. plantag. agrimon. beton. alchimillæ, portul. scrophul. ana M.* j; fiat decoctio ad medias. Colaturæ adde *sacchari rosati* q. s. Misce, fiat apozema.

Topica quòd spectat, primò orificium si angustius sit, dilatandum est,

est, immissa spongiâ, linteolis benè convolutis, *rad. gentianæ, aristoloc. medullâ sambuci*, & aliis suo loco recensitis *Cap. de fistulâ*. Dein callus atterendus, ut dissitæ partes coalescere possint; sed priùs emolliatur *oleo lilior. butyro recenti, œsypo, cerâ, terebint.* & aliis. Callum autem atterunt, medicamenta, ferrum, ignis; qualia sunt *radix hellebori nigri, gentianæ, ægyptiacum, pulvis Ioh. de Vigo, sublimatum, arsenicum*, quæ vel infunduntur, vel per turundas immittuntur: *Æruginem* cum *sale armoniaco vino dilutam* infunde, aut *penicillo* illitam immittito. ℞ *sublimati grana xij, aquæ plantag.* ℥ *vj*; coqu. ad medias, valdè laudatur à *Fernel.* ad omnia ulcera: Vel ℞ *sublim.* ℈ ß, *arsenici viridis, æris ana* ℈ *j*: coqu. in *aqu. rosʃ.* & *plantaginis ana* ℥ *iiij, lixivii* ℥ *ij*; bulliant parum, dein colentur, fiat injectio, & orificium obturetur *cerâ* vel *gossipio*, ut callum facilius atterat. ℞ *decocti agrymon.* & *osmundæ regal.* ℔ ß, in quâ dissolve *ægyptiaci* ʒ ß, *sublimati* ℈ ß, fiat injectio; & post obturetur fistula emplast. *divino*, vel de *gratiâ Dei, diachalcit.* Si acria ejusmodi perferre mulier non potest, ut si fistula sit versus fundum, benigniora sufficient. Post horum usum *butyro, oleo amygd. dulc. unguent. resumptivo*, & similibus, emolliri debet, ut per se decidat. Secundò, callus abscindi potest per syringotomum, quòd tantum modo locum habet in exteriori fistulâ, nam in profundiori non potest scalpellum commodè adhiberi. Tertiò, quidam urunt, si virulenta, maligna & sordida sit fistula, maximè si in parte sit exteriore & pudendo, non autem in interiore. Fit autem ustio vel ferro ignito, vel causticis. ℞ *arsen. calcis vivæ, mellis ana* ℥ *ij, succi asphod.* ℥ *iij*: Coquantur in fictili, & pulverisentur, quo pulvere turundæ conspergantur. Circa partem autem repellentia apponantur, ut unguent. de bolo, & eschara digestivis medicamentis emolliatur ut decidat, ut *butyro, pinguedine, unguent. ros. tetraph.* & *ovi luteo*.

Postea si pus laudabile effluit, detergendum ulcus, decocto catapultarum, *hydrom. aquâ vitæ*, cum *melle rosato*: ℞ *tereb. aquæ vitæ ana* ℥ *j, succor. apii, agrimon. nicot. ana* ℥ ß, *mellis ros.* ℥ *j, pulveris aristol.* ʒ *ij*; coquantur & fiat unguent. Post sarcoticis est utendum, addendo *pulverem ireos, sarcocol. myrrhæ, thuris, aloës, sang. dracon.* & similium, quæ etiam vino dissolvi possunt & injici; ut ℞ *aquæ vitæ* ℥ *ij, mellis ros.* ℥ *j, myrrhæ, aloës, sarcocol. ana* ʒ *j* ß; ferveant parum, dein ulcus eluatur, & valdè commendatur à *Roder. à Castro*. Tandem cicatrix inducenda insperso *alumine*, vel *bolo*, &c. ac imposito diapalma, & aliis inter cicatrisantia alibi descriptis.

CAP.

Cap. XIII.

De Lumbricis Et Calculis In Utero Repertis.

Calculos in utero ſicut in renibus & veſicâ fieri poſſe ſcripſit *Aëtius tetrab. 4. libr. 4. cap. 98.* Scribit *Scenck. lib. 4.* mulieris cujuſdam uterum totum lapideum inventum fuiſſe, ponderis librarum ſeptem. Nota quoque eſt hiſtoria infantis in utero in lapidem verſi, quam vidit & deſcripſit *Alboſius* Medicus *Senonenſis*, & extat apud *Scenckium* & *Horat. Augen.* & *Sennertum*. Famula *dyſeridis 5. Epid.* in laryſsâ lapidem aſperum fuſi verticillum æquantem excrevit. Simul refert *Holler. c. 48.* ſe obſervaſſe in utero mulieris, cui diſſecandæ in Scholis præfuit. Idem refert *Fœſ.* in notis ad prædictam hiſtoriam famulæ dyſeridis: *In capite, inquit, & utero mulieris coaluiſſe calculos vidimus, cui diſſecandæ in ſcholis publicè præfuit Hollerius.* Eademque eſt haud-dubiè cujus meminit inter rara ad finem practicæ. Idem etiam ſe vidiſſe refert *Mercatus*, in muliere 70 annorum, vultque ejuſmodi lapides non eſſe ſolutos & liberos, aliàs facilè excernerentur, nec diutius morarentur, ut in utero famulæ dyſeridis. Neque mirum id eſſe videri debet, cùm omnibus fermè in locis calculi concreſcere poſſint, unde malè negat *Mercur.* poſſe in utero calculos fieri, tum quia non eſt in utero materia quæ ſit apta in lapidem durari, tum quia neceſſitas eſt, ut ex utero exeat, ſicut ſemen, niſi fiat conceptus, ejicitur. Verum hiſtoriis repugnare abſurdum eſt, quidni fierent in utero, ſicut & in aliis locis; adhærent autem uteri tunicis, unde non ſemper excerni poſſunt. Cauſæ ſunt eædem quæ calculi veſicæ, de quibus ſatis ſuo loco diximus; atque etiam pus in utero concretum & exſiccatum, libro de ſterilibus. Signa nulla certa ſunt, quæ à molâ, ſcirrho, & aliis diſtinguere poſſint, gravitas quidem cum duritie percipitur; ſed cùm id ſit etiam aliis commune, nihil certi oſtendit. Curatio per ſolam extractionem perficitur, præmiſſis emollientibus & lubricantibus clyſteribus, injectionibus, fomentis. Extrahendi modum deſcribit *Aëtius* loco citato, qui legi poterit. Digitos ſiniſtræ manus in anum immittit, dextrâ ventrem comprimit, donec calculus expellatur, quæ operatio inutilis eſt, niſi ſolutus ſit lapis. Lumbricos pariter excretos fuiſſe, refert *Benevenius*. *Aſcarides* quidem frequentius ſunt obſervati. Nec mirum eſt interdum eos in utero generari, cùm etiam in aliis partibus fieri poſſint ob cauſarum ſimilitudinem. Signa pariter illorum

S valdè

valdè incerta sunt, nisi exeant, & sic seipsos prodant, pruritus adest ventris & uteri, inquietudo molesta, aliaque ejusmodi intestinorum lumbricis communia, nulla specialia, unde reprehendi non debet Medicus, si quando rari ejusmodi affectus occurrunt, in eorum diagnosi decipiatur. Unde erravit *Mercatus*, quum scripsit non esse difficile uteri lumbricos nosse, & signa profert valdè incerta, ut sudores, tabem, imbecillitatem, febres inordinatas, quæ nec omnia simul, nec singula seorsim signa sunt lumbricorum. Curantur autem ope eorum quæ vermes necant, modò per clysteres uterinos & pessaria, ac fomentationes utero indantur, aliàs quæ ore sumuntur, vix eò penetrare possunt, & interea partibus aliis possunt nocere, de quibus plura diximus *Cap. de lumbricis*, quæ huc referri possunt. Fotum ex succo hederæ laudat *Cleopatra*, & pessarium ex radicibus iridis & rubi contusis pulverisatis, & cum succo mali granati permistis.

CAP. XIV.

DE ASCENSU UTERI, ET CONVULSIONE AD LATERA.

MIrabilis meo judicio affectus, & frequentissimus uteri motus, quo vel oberrat in epigastrio, vel ascendit, vel contorquetur ad latera, de cujus naturâ variæ sunt sententiæ. Fuit enim *Platonis* sententia in *Timæo* circa finem, uterum in corpore moveri & oberrare, tanquam animal in animali, unde tam varia fœminis symptomata contingunt. *Hippoc.* pariter uterum suâ sponte moveri ad hepar, & præcordia scripsit *lib. de nat. mulieb.* ut fruatur humore gratioso, cujus hepar fons est. Uterus enim nimium resiccatus ut sitim expleat, sursum fertur ad ἰκμαλέον fontem gratiosi humoris, simulque oppressione diaphragmatis & partium respirationi inservientium suffocationem parit, & nisi in pristinum locum citò revertatur, mulier suffocatur, huncque motum non in viduis tantùm, sed etiam in gravidis agnoscit. Probat autem suam sententiam *l.* περὶ γυναικ. Interdum, inquit, simulatque uteri hepar appetere ceperint, pituita è capite velut suffocato ad præcordia defluit, nonnunquam unà cum pituitæ defluxu ab hepate, uteri in suum locum feruntur & suffocatio cessat, quia nimirum humectantur adventu pituitæ, & pleni graviores descendunt. Stridor autem sive mur-

mur,

mur ab ipsis uteris concitatur, ubi ad suam sedem feruntur, & post illum descensum interdum venter humidior quàm priùs redditur, nam caput in ventrem partem pituitæ deponit, hæcque est *Hippoc.* sententia: quæ insuper etiam probari potest ex curatione & experientiâ quâ utitur eodem loco, & sæpiùs alibi; nam jubet fascia ventrem constringi, ne uterus sursum feratur, tum graveolentia naribus, suavia partibus inferioribus adhiberi, ut ad priorem locum redeat.

Hippocratem sequuntur plurimi Recentiores. Observarunt *Fernelius* & *Riolanus*, uterum nunc supra ad ventriculum, nunc ad dextram, nunc ad sinistram, totum convelli coactum in globum, quòd magis absurdum videri non debet quàm ejus prolapsus, quo totus fermè procidit. Causam sic explicat *Fernelius*. Quùm uteri laxiores sunt habenæ, quoties irritatur, sursum vel deorsum, aut in alterutrum latus se contorquet, ut, quòd inimicum est, fugiat, quòd jucundum sequatur, sive causæ internæ, sive externæ, molestia lacessatur. Quamvis autem sponte moveatur & oberret, non probat tamen *Platonis* sententiam, qui animal esse scripsit. Nam si ventriculus pars planè naturalis sine arbitrio & jussu nostro movetur, quum rei alienæ injuriâ lacessitus, magno impetu hanc vomitione repellit, aut quum fame inanitus jucundo cibo quasi gestiens occurrit, huncque ab ore vix præmansum eripit; quæ si in ventriculo conspicua sunt, cur non similiter in utero fient, quem scimus semen attrahere, novem mensibus continere, & maturum, quasi cognitione sit præditus, excludere. Unde miratur *Galenum* contra *Platonem* censuisse uterum nihil aut parum moveri, sed duntaxat à vinculis dum contrahuntur, & distenduntur. Non absurdum igitur est uterum ab aliquâ causâ internâ vel externâ irritatum, petulantes in corpore motus edere, unde etiam manu sæpe in locum suum deprimitur, idque non motu animali, sed naturali quodam instinctu. Quamvis enim partibus vicinis arctè connectatur, possunt tamen ligamenta illa fieri laxiora, & liberum utero motum relinquere. Si igitur similes quasi motus aliis partibus ut ventriculo & cordi concedimus, cur utero illos denegabimus, maximè cum omnium partium eædem non sint vires, pars una motum habere potest, quo aliæ caret, prout Creatoris sapientiæ visum fuerit. Hæc igitur erit insita proprietas uteri ut lacessitus moveri possit, non ulterius quidem quàm extendi ligamenta possint, quæ ideò longiora facta sunt, ut extendi & constringi possint. Eandemque sententiam sequuntur *Saxonia*, *Eustath. Rudius*, *Liebaut*. aliique quamplurimi recentiores

 doctis-

doctissimi. *Laurentius* quoque eandem sequi videtur, dum triplicem uteri motum constituit, unum naturalem, quando in suo loco manens, occurrit advenienti semini, & circa illum constringitur; alium convulsivum, quando repletis ligamentis in aliquod latus contorquetur; tertium mistum, quando à facultate sed lacessitâ movetur, ut cum ad hepar fertur. Priores quidem motus nemo negat, sed hic tertius est qui dubius est.

Galenus igitur *6. de locis aff. Hippoc.* & *Platon.* sententiam reprobat, de suffocatione ob motum uteri ad hepar, ut humectetur, falsum enim putat uterum exsiccatum simpliciter ad humorem moveri, nam cùm ex vicinis partibus habeat unde satietur, quid illum moveri opus erit? Deinde nôn aliâ viâ humorem à jecore trahere poterit, quàm per venæ cavæ ramos, qui ipsi inseruntur. Tractio autem ejusmodi ab idiosyncrasiâ partis sine ullo motu perficitur, sic ossa, jecur aliæque partes immotæ alimentum suum alliciunt. Nec valet quòd respondet *Capivac.* venas has per quas sanguis fertur ad uterum esse obstructas, unde siccatur uterus. Nunquam enim tanta est obstructio quæ nutritionem & sanguinis ad uterum commeatum impediat; effluxus quidem menstrualis prohibetur, sed non sanguinis affluxus saltem ad partis nutritionem, sicut in aliis partium obstructionibus videre est. Quin etiam si *Capivaccio* concederemus impediri commeatum sanguinis à venis ad uterum, non tamen sequitur illum debere ad hepar moveri, aut si moveretur, posse ab illo humorem attrahere, cùm vasa per quos ferri debet, obstructa sint. Addo ego causam illam quæ uterum exsiccavit & arefecit, sicut est magna vasorum inanitio, & labor immodicus, ex *Hippoc.* jecur ipsum & reliquas partes exsiccasse. Vult enim *Hippoc.* febrem ardentem fieri, quando jecur exsiccatum à nimio labore biliosos humores attrahit, ex venulis in majores venas. Scimus quoque ventriculum quando inediâ premitur, attrahere ad se humores ex venis mesaraicis, hepate, intestinis. Sicut ergo ejusmodi viscera loco non moventur ut attrahant, cùm primò facultate propriâ per vasa præstare soleant, cur id in utero statuemus? Deinde sentitur ejusmodi motus in illis, quæ bono corporis habitu præditæ, nullâ humorum penuriâ laborant. Non igitur eâ de causâ uterus moveri potest. Præterea quamvis aliquis uteri motus persentiatur, negat tamen *Galenus* posse illum ascendere ad hepar, ne vi quidem retractum, ut ex Anatome patere ait, fulcitur enim validis undique ligamentis, quæ ut rectè advertant *Anatomici*, vix supra os sa-

os sacrum extendi possunt. Tum vix sine dolore extendi membranæ & ligamenta possunt, quæ uterum tam firmiter connectunt: quòd si uterus ad cor ascenderet, transiret situm ventriculi, jecoris, diaphragmatis. Neque si symptomata quæ in hystericis affectibus contingunt, consideremus, possunt ea ab uteri motu fieri, etiamsi ipsi diaphragmati immediatè imponeretur, cùm neque ventriculus cibis distentus, atque in summâ graviditate maxima uteri amplitudo, etsi diaphragmati gravis sit, tamen ejusmodi symptomata non accersit. Quin etiam podicem & pudendum dolorificè retraheret & convelleret, iis enim firmiter annectitur. Valde familiare est in mulieribus, sive gravidis, sive antequam menses profluant, audire querelas de doloribus inguinum, lumborum, fœmorum, ob quandam distensionem ligamentorum uteri, etiam quando locum suum non mutat. Quantus persentiretur dolor, si adeò subito usque ad ventriculum moveri posset? Distendi enim supra modum ligamenta oporteret, aut rumpi, unde postea sequeretur procidentia, tàm citò siquidem redire non possunt ad naturalem constitutionem, quam citò in locum suum redire videtur, unde pondere suo necessariò laberetur, nec in loco suo quiesceret. Ex *Galeni* igitur sententiâ, uterus non mutat situm, nisi cùm procidit, venas solummodo intumescere putat, ligamenta tendi, & fieri breviora, sicque ad se uterum attrahere. Si enim superiora quibus spinæ alligatur, tendantur, tumeantque venæ superiores, ascendere creditur, & oppresso diaphragmate suffocationem hystericam facere. Si verò tendantur ligamenta inferiora, quibus coxis alligatur, videtur descendere, quemadmodum si alterutrius lateris ligamenta retrahantur, ad illud inclinat & convellitur, cùm tamen ex opinione *Galen.* undique fixus in eodem loco permaneat. Quæ sententia omnium verissima est. Superest igitur ut contrarias ratione solvamus.

Et primò quæ de ligamentorum laxitate afferunt, illorum sententiæ non favent, ostendunt enim extendi posse ligamenta, & sic uterum prolabi, non autem subitò ad diaphragma moveri, nam motus ille qui persentitur, subitò fit & solvitur, laxitas autem vinculorum sensim, unde uteri prolapsus pedetentim contingit, nec facilè postea redit in suum locum. Neque probè sequitur laxatis vinculis ad superiora ferri debere, sed potiùs ad inferiora; laxata enim & nimium humectata uterum firmiter continere ampliùs nequeunt.

Secundò, nec quicquam facit comparatio inter motus ventriculi, cordis & uteri, nam cor & ventriculus suas sedes non relinquunt, uterus autem

autem totus in alienam ſedem rapitur ex illorum opinione. Vel ſi ulla eſt ſimilitudo hæc eſſe debet; ſicut ventriculus famelicus cibum ex ore quaſi rapit, ita & uterus accedenti ſemini quaſi occurrit, in illis maximè quæ ſunt ſalaces, ſicque videtur ad inferiora deſcendere, quem motum ſupra diximus eſſe naturalem ex *Laurentio*, qualis & ille eſt quo fœtum maturum excutit, tanto interdum cum impetu, ut ſimul procidat. Ejuſmodi motum nec *Galenus*, nec quiſquam unquam negavit; ſed illum quo relicto priori loco, in alienum ſurſum rapitur.

Difficilius illud eſt quòd objiciunt, ſentiri interdum quandam molem pugni magnitudine, in globum coactam, quam uterum ipſum eſſe volunt *Fernelius*, *Riolanus*, *Rudius*, *Laurentius*, *Cordæus*, *Capivacc. Saxonia*, aliique quamplurimi, ſolentque mulieres abdomine faſciâ compreſſo eam repellere, aut manu in ſuum locum deprimere. Id eſſe verum cùm in plurimis, ac fermè omnibus hyſtericis mulieribus deprehenderim, quid ſit inveſtigandum eſt. Miſſis autem aliorum ſententiis, vaporem tetrum ex utero profectum aſcendentis uteri ſpeciem præbere crediderim; ſic ſæpè conquerentes audivi, tum viros tum mulieres, aliquid è ventriculo in fauces exurgere, quòd deglutitionem & reſpirationem etiam interdum impediat, quòdque abeat redeatque, qui haud dubiè vapor eſt noxius è ventriculo elatus. Vel ſunt partes interjacentes ab ipſo utero tetris vaporibus vexato, ſurſum compulſæ. *Johannes Riolanus* inſignis Anatomes Scriptor putat ejuſmodi motum fieri ab uteri tubâ & teſticulis ſemine putri turgentibus, ſcribitque ſe in hyſtericis deprehendiſſe teſtes pugno grandiores, tubamque uteri amplificatam & dilatatam; eſt enim fiſtuloſa, laxa, & ab omnibus partibus præterquam ab ipſo utero ſoluta, ſic & teſtes. Cùm igitur humoribus, ſemine, aut flatibus replentur, poſſunt in corpore oberrare, & ad ventriculum uſque aſcendere.

Difficillima omnium eſt ea ratio quæ ex odoribus deſumitur, nam ſuppoſiti ſuaves odores ſtatim uterum retrahunt, fœtidi propellunt; cujus rei ratio non eſt facilis explicatu, quamvis res ipſa ſit familiaris, non tantùm cacochymis, ſed etiam iis quæ aliàs bonâ valetudine fruuntur. *Laurentius lib. 7. quæſt. x.* fatetur, non ſub odoris ſpecie ab utero percipi, quia ſolum olfactus organum nares ſunt: Afficere autem ratione vaporum & materiæ tenuiſſimæ exhalantis, à quâ partes genitales cùm ſint acutiſſimi ſenſus, faciliimè afficiuntur. Bene-olentia quidem

quia

quia benè cocta & acuta sunt, cerebrum percellunt, ejusque membranas. In cerebri sympathiam trahitur uterus membranosus, quo affecto, qui priùs latitabant, tetri vapores suscitantur, & per arterias, aut alios cæcos ductus ad diaphragma, cor & cerebrum exspirant, hinc suffocatio. Quæ verò fœtida sunt, naturæ nostræ adversantur, quibus irritata natura cum tetris vaporibus, pravos in utero humores excutit, sicut pravâ humorum qualitate irritata crises molitur; quæ opinio magnas patitur difficultates. Nam si odorata naribus admota faciunt paroxysmum cerebrum percellendo, in cujus sympathiam uterus trahitur, illiusque vapores commoventur, cur non idem faciunt cùm orificio uteri admoventur, citiùs enim humores agitabunt, quia proximiora sunt. Pariter grave-olentia cerebrũ non minùs afficiunt, contrarium tamen affectum inducunt. Præterea omnia odorata, sive benè sive malè olentia, suo modo uterum afficiunt sumpta & admota, etiamsi olfactu non sentiantur. Quin etiam illico suffocationem vel tollunt, vel faciunt; At illico non possunt discutere crassos vapores paroxysmum facientes, nam iis submotis sæpè statim redintegratur. Odorata quidem naturæ grata sunt, fœtida ingrata; at nulla pars iis tam citò afficitur quàm uterus, qui illorum præsentiam non poterit quietè admittere, unde sine ullâ agitatione viri eadem perferunt. Quinimò certissimum est plurima esse quæ non minùs tenuem, acutum & resolventem vaporem emittunt quàm odorata, quibus tamen uterus, præcipuè ex solo olfactu, nullo modo commovetur, sed à solis odoratis.

Hinc igitur patet, uterum non ratione odoris, nec ob vaporum qualitatem discutientem ab illis affici: Ideo concludo fieri ratione motus cujusdam ipsius uteri, ob proprietatem quandam inexplicabilem, quam Natura singulis partibus inseruit, quâ quibusdam rebus gaudent, aliis adversantur, sicut hepar & splen dulcibus gaudent, etsi gustu careant; & quidem teter vapor non discutitur fœtidis, sed magis commovetur & augetur, & tamen fœtida illicò paroxysmum sedant, etiam assumpta, quamvis naribus non sentiantur. Proprietatem ergo latentem hic constituamus necesse est, quâ uterus alteratur, quæ solis inest odoratis, non quia calida sunt, resolventia, aut alterius notæ qualitatis, cùm multa ejusmodi alia sint, à quibus uterus nihil patitur, sed quia cum odoribus cohærent ejusmodi vapores, cum quibus uterus habet sympathiam. Sic fœtida naturæ nostræ inimica sunt, & in lipothymiâ extra hystericum affectum nocere possunt. In præfocatis tamen etiam animo linquenti-

bus

bus mirè juvant proprietate illâ occultâ & latente, quam sola nobis experientia demonstravit.

Vapores igitur illi qui à rebus odoratis exspirant, cerebro excepti, cum spiritibus commiscentur, & statim ad uterum perveniunt, qui si grati fuerint & familiares, uterum quasi commovent, unde simul vitiosi in ipso latitantes humores, qui forsan antea quieti erant, agitantur, & sursum in præcordia delati, plurima mala concitant. Si verò ingrati fuerint & fœtentes, ea uterus abhorret & refugit, unde humores ad inferiora potius repelluntur, sicque paroxysmus cessat, quâ de re etiam quædam *Cap. de suffocatione hystericâ* dicemus. Si quis qualitatem istam occultam non probat, (quæ quorundam est consuetudo) sed manifestam sibi dari postulat, in eâ investiganda quantum libuerit, laborare per me potest. Hæc nunc satis sint.

Causæ. VArii sunt igitur uteri motus, vel sursum ascendit, vel ad latera inclinat, vel deorsum procidit, quâ de re dicemus sequenti Capite. Familiare est apud *Hippocratem* legere uterum ferri ad caput, ad cor, ad ventriculum, ad vesicam, ad inguina, prout varias corporis partes afficit. Scribunt plurimi ascensum à strangulatu differre gravitate symptomatum, quòd in ascensu omnia sint mitiora, premitur mulier quodam præcordiorum dolore, spirandi difficultate, aut animi deliquio; at sine metu, sine delirio, aut alio symptomate graviore, quale in suffocatione hystericâ apparet, ut ex *Fernelio* transcribere solent. Qui non observant varios esse hystericæ passionis gradus, & hunc quem describunt esse mitissimum, specie tamen non differre à gravissimo, cùm ab his primùm incipere soleat; Falsum quoque est in ascensu quem vocant uteri non fieri interdum graviora prædictis symptomata; nam vidi plurimas inde & delirantes & convulsionibus jactatas, aliisque symptomatis valdè formidandis, quæ depresso in locum suum utero remittebantur. Et si *Hippocratem* consulamus, gravissima recenset ex motu uteri accidentia; ita ut hæc sit apud illum maxima causa omnium affectuum hystericorum. Causæ igitur variæ esse possunt, humores tetri ex semine vel sanguine corrupto in testibus vel tubâ uteri contenti, qui pravos vapores in varias partes exspirant, nam uterus ipse, quicquid plurimæ censeant, eò usque ferri nequit. Concitant ira, mœror, rerum odoratarum usus, ventositas, inflammatio, abscessus uteri, frigus pedum & lumborum. Sed alius est uteri ascensus qui ratione sui prædicta inferre non

potest,

poteſt, violenta ſcilicet retractio & quaſi convulſio vinculorum uteri, ex repletione venarum, arteriarum, vinculorum, quæ ideo breviora facta, ſimul uterum ſurſum convellunt. Quòd ſi non æqualiter utrinque vincula afficiantur, in alterutrum latus uterus contorquetur. Cauſa eſt repletio vinculorum, qualis ſæpiſſimè menſibus ſuppreſſis contingit, inde vaſa & ligamenta replentur, repleta turgent & extenduntur. Extenſa uterum retrahunt, ſurſum quidem, ſi undique æqualis ſit repletio, in aliquam verò partem, prout hæc vel illa fuerint magis repleta. Addunt alii tumorem vaſorum alicujus partis, qui non minùs quàm eorum repletio uterum ad ſe trahit. Tum quoque laxitatem & paralyſin vinculorum partis alicujus, unde in oppoſitam uterus declinat. Fit autem ejuſmodi laxitas vel frigido humore partem perfundente, aut à contuſione, caſu, ictu, aut infantis in aliquod latus declinantis pondere.

Signa ſunt quia mulier agitationem cujuſdam corporis globoſi in abdomine perſentit, cum quodam præcordiorum dolore, anguſtiâ, ſpirandi difficultate, poteſtque in ſuffocationem hyſtericam degenerare, aut varia excitare ſymptomata. *Signa.*

Siquidem aſcendat ad caput, fiunt dolores gravantes, vertigines, ſopores, deliria, interdum cum garrulitate, aliàs cum riſu, triſtitiâ, aut lacrymis, venæ ſub naſo & oculis dolent, ſpuma circa os apparet.

Ad cor verò ſi feratur, fiunt vomitus, deliquia cordis, palpitationes, orthopnœæ, ſuffocatio quaſi à veratro, crura frigeſcunt.

Si verò ſtomachum offendat, fiunt anorexiæ, nauſeæ, vomitus, ſtomachi dolores, caput & collum ſimul dolent.

Si verò ad hepar feratur, ſigna ſunt ex *Hippoc.* quòd voce privantur, totum corpus liveſcit, dentes conſeruntur, ſaliva in os decumbit. Ejuſmodi quidem ſigna omnia affectum hyſtericum demonſtrant, ſed rarò unica pars afficitur, ſæpiſſimè autem ſimul plures, unde eorum quæ jam recenſuimus, non pauca pluribus affectis partibus conveniunt.

Si verò ad latera convellatur, inguinis ac ſæpè coxendicis vehemens tunc dolor exercet, crus totum maximèque femur torpeſcit, ac friget, dolorque veſicam, inteſtinum, lumboſque exercet, quâ parte ſcilicet uterus inclinat gravitas illic, laſſitudo, interdumque tumor perſentitur, ut ſcripſit *Hippoc. in aphoriſmis. Si uterus in coxam vergens ſuppuretur, neceſſe eſt emmoton fieri,* menſes non apparent, nec puerperia, aut cum labore & torminibus prodeunt. Si retrò aut infra inclinat, torpor eſt, & utrius-

que cruris motus difficilis sæpe etiam prorsus intercipitur, & ingens vexat dolor, qui inter sedendum acuitur. Alvus etiam supprimitur, neque clysterem admittit, nisi genibus innitatur ægra, flatus retinentur, & hæc maximè si versus anum declinatio contigerit. At si ad pubem vergit, imus venter dolet, & usque ad pectinem dolor percipitur, urina interdum intercipitur, si uterus vesicam comprimat; ut videre licet apud *Aëtium*, ex quo hæc mutuati sumus. Affectus est satis frequens, & curatu difficilis, quique furorem uterinum tandem accersere potest.

Curatio. CUm ascendit si tactu deprehendi potest in propriam sedem manibus repellatur, fasciâ arctè ligetur abdomen, naribus admoveantur fœtida, ut *castoreum*, *assa fœtida*, supponantur autem odorata, sternutatio movenda, ambulandum fortiter. Cucurbitulæ imo ventri & coxis applicandæ, coïtus ab ascensu liberat, præsertim si penis liniatur *oleo moscatelino*, aut alio in quo *moschus* vel *zibetum* dissolutum fuerit. In aëre calido & libero collocetur, nam frigidus & ventosus utero est inimicus, frigusque pedum & lumborum maximè nocet. Ira & animi pathemata vitentur, clysteres carminantes imperentur.

Post paroxysmum si opus sit, venam secabis ex pede, ut si menses fuerint suppressi, per inferiora cacochymiam purgabis, vomitum utilissimum esse comperi. Mulier hujusmodi affectui valdè obnoxia, cùm sæpissimè rediret paroxysmus exhibito semel vomitorio per biennium postea immunis fuit. Post hæc partibus affectis prospiciendum cephalicis, cardiacis, stomachicis & cæteris, ut plenius explicabimus *Tract. de affectionibus hystericis*. Dolor si ingens fuerit leniendus, quia vires destruit, ideò pars inungatur *oleo lilior. amygd. dulcium, de semin. lini*, cum *axungiis*, aut fiant fotus, insessus, balnea ex *decocto artemis. alth. sem. lini, fœnugræci* & similium, ut dicemus *Cap. de uteri suffoc.* Si in aliquod latus uterus contorquetur, in oppositâ parte vena secetur, cucurbitulæ apponantur, in eandem recumbat, emplastrum pro matrice apponatur, aut ex *styrace, galbano, tacamahacâ, carannâ*, aut catapl. ex *porris frixis* in sartagine cum *oleo nucum*. Aut fotus fiat ex *foliis sambuci, artemis. myrti, majoranæ, lauri, hederæ, quercus*; aut suffitus ex *stercore vaccino* cum *resinâ*. His enim & similibus reducitur contortus uterus in suum locum. Poterit quoque obstetrix digito in anum immisso, uterum propellere, si longum satis digitum habuerit.

Cap. XV.

De Procidentia Uteri.

UTerus undiquaque vicinis partibus alligatur, ante, retro, ſurſum, deorſum, ad collum & inguina: nam corpus ipſius ſuperiore parte, anteriore & poſteriore liberum eſt, ut in fœtus accretione liberè poſſit dilatari. Hinc maximus uteri & aliarum partium conſenſus per venas, arterias, nervos, membranas, quibus firmatur & in ſuo loco retinetur, quibus affectis, ruptis ſcilicet & relaxatis, procidit deorſum verſus partes inferiores. Eſtque hic lapſus duplex, vel aſpectabilis, vel inaſpectabilis. Hic eſt quando uterus in ipſam cervicem prolabitur, viderique non poteſt, ſed relatione & tactu perſpici poteſt; cervicem enim non excedit, ſed in eâ cunctatur: Ille verò quando extra prominet, & ſi collum ſolum prolabatur, velut glans virilis apparet, qualem prolapſum nuperrimè vidi in pauperculâ muliere, in quâ collum uteri & ipſius oſculum glandem virilem referens, ad medium femur prominebat; & cùm nulla ſibi remedia cuperet adhiberi, ſponte ad ſuperiora rediit, ſed tamen malum ſæpè reverſum eſt; Oſculum igitur perverſum glandem virilem refert: Fundum verò uteri invertitur inſtar marſupii, aut chirothecæ, nec ſine inverſione prolabi poteſt, & magnitudinem ovi anſerini æmulatur.

Hinc tres prolapſus differentias authores faciunt. Prima cùm cervix prolabitur in orificium exterius, & ſecum uteri corpus paululum trahit. Secunda, quando uterus labitur in vaginam pudendi, ejusque cervix & oſculum prominet, tunc collum glandis virilis formam refert. Tertia, cùm uterus ipſe invertitur inſtar chirothecæ, & foras prominet è ſinu pudoris ovi anſerini, interdum ſtruthiocameſini magnitudine; naturaliter tamen uterus non eſt major ovo in puellis, ſterilibus, & quæ diu non pepererunt. Totum autem uterum procidere poſſe negant *Paulus* & *Aetius*. Sed *Andernacus in commentario* affirmat ſe bis vidiſſe totum uterum extra ſinum prolapſum ex cornibus tantùm, & quibuſdam adhuc ligamentis ſuſpenſum. Vidit quoque *Riolanus* ad genu uſque prolapſum, & quòd prominebat ovo Struthiocameli erat ſimile. Quando autem foras non labitur, deſcenſum tantùm vocat *Fernel.*; procidentiam verò quando cerni poteſt. Eſt morbus in ſitu actiones uteri lædens. Scribit quidem *Ariſt. 7. de hiſt. animal.* uterum ad pudendum ſeminis prolectandi

di causâ moveri, ſed ejuſmodi deſcenſus poſt coïtum ſedatur, reditque ad locum ſuum & in eo quieſcit, & propterea de eo hic ſermo non eſt.

Cauſæ. CAuſæ ſunt ruptio aut relaxatio ligamentorum, quibus ſuſtinetur & annectitur inguinibus, oſſi pubis & aliis partibus. Oportet affici utrinque omnia ligamenta, & etiam peritonæum, aliàs uno incolumi non deorſum, ſed ad latera, feretur uterus. Relaxantur autem ligamenta vel pituitæ & excrementorum quibus ſcatet perfuſione, aut refrigerato utero & quaſi paralytico facto. Propterea pituitoſis, humidis, cruditatibus & catarrhis obnoxiis magis accidit, ſicut & iis quæ fluore albo tentantur, & ſenioribus, & iis quæ ex vitæ inſtituto nudos pedes in frigidâ continent, aut in balneis & aquis diutius degunt, aut in frigido lapide ſedent, vel aërem frigidiorem excipiunt in puerperio & menſtruis fluentibus, quo tempore uterus hiat. Adde humidiora alimenta, largiorem potum, medicamenta emollientia tàm ſumpta quàm admota, otium, ſomnum, & alia quæ pituitoſos humores generant, quibus partes irrigatæ uterum ampliùs ſuſtinere non poſſunt. Addunt quoque alii putredinem ligamentorum, quam inflammationes, ulcera, & aliæ cauſæ invexerunt, quam alii ad ruptionem referunt, quæ cauſa, quoniam utplurimum incurabilis eſt, relinquenda.

Ruptio à cauſis fit violentis, contundentibus & concutientibus, ut cùm imprudentis obſtetricis temeritas uterum cum ſecundis arctius adhærentibus detrahit. Caſus ab alto, ſi mulier in coxarum vertebras decidat, rumpuntur enim membranæ uterum connectentes, unde ipſum labi neceſſe eſt. Eâdem ratione ex ictu, gravioris oneris geſtatione, vehementi motu, curſu, ſaltu, tuſſi, ſpiritus compreſſione, vociferatione, magno in excrementis reddendis conatu, vincula rumpi poſſunt. Sternutatio quoque idem præſtare poteſt, tanta enim tunc fit compreſſio, ut ad uterum repellendum in ſuffocatione hyſtericâ, & ſecundinam excludendam nihil æquè valeat. Vehementior quoque interdum pariendi conatus addi poteſt, quo uterus fœtum forſitan etiam graviorem tanto cum impetu excludere nititur, ut illum conſequatur, ſeque ipſum præcipitet, ſicut & difficilis partus, & moleſta plurium fœtuum geſtatio, frequens cucurbitularum admotio in femoribus, violenter uterum detrudere poſſunt, præſertim in illis quæ ſunt debiliores, & frequentes aborſus paſſæ ſunt.

Etſi autem ab ejuſmodi cauſis rumpi ligamenta poſſint, tamen etiam abſque

absque illorum ruptione ex solâ distensione prolabi uterus potest; nam si rumperentur, vix posset uterus in pristinum statum restitui, nam difficilis partus, frequens uteri gestatio & gravis, aliaque ejusmodi, etiamsi non frangant, sed ligamenta solum distendant, uterum possunt pervertere; sunt enim ligamenta naturâ suâ satis laxa & sequacia, ut prolabentem uterum subsequi possint: unde animi pathemata, ira, terror, rei ingratæ repentina denuntiatio, magna coëundi libido, sine ruptione, affectum etiam hunc facere possunt. Quæres cur hydropicis cùm adeò humoribus abundent, non procidat uterus; an quia aquæ ejusmodi putredine salsæ evadunt, sicque potiùs siccant quàm humectant? An quia etsi humor quidam in capacitate uteri, vel abdominis abundet, aliarum tamen partium substantia humore destituitur, ut patet quòd contabescere soleant ascite laborantes?

Affectus ipse satis per se patet, quandoquidem uterus procidens *Signa.* oculis cerni potest, magnitudine ovi anserini, in cujus imâ parte si appareat foramen quasi esset glans virilis, internum uteri orificium est depressum versus cervicem, è quo etiam menses profunduntur. Quando verò tota matrix pervertitur, ejusmodi foramen non apparet, sed corpus instar cucurbitæ rotundum, scrotum virile repræsentans, habetque τὸ ἄκρον. Si extra vulvam non prominet, exiguus tumor intus percipitur, potestque obstetricis digito tangi, & si laborans recta steterit, grave quoddam pondus in pudendum incumbit: si sedeat, supina jaceat, alvum exoneret, rectum intestinum premitur; si prona jaceat, urinæ difficultas nascitur. Dolor in principio sentitur in pectine, dorso, lumbis, quia inde vincula oriuntur, aliquando etiam convulsio, febris, hæmorrhagia, ob disrupta etiam aliquot vasa, quæ omnia postea sensim ex assuetudine mitescunt, solum gravitatis sensus remanet & in ambulando difficultas. Causæ externæ relatione ægræ & adstantium cognosci possunt. Sed si à causâ primitivâ non fiat, verisimile est fieri ab humore plurimo relaxante vincula matricis, ut in ipsius paralysi contingere potest, sensim & sine dolore uterus decidit, præcesserunt causæ relaxantes & humectantes, uterique & totius corporis adest humidior constitutio. In ruptione verò subitò & confertim contingere solet, cum dolore, sanguinis profusione & gravibus symptomatis, præcesseruntque in corpore aliàs sano causæ disrumpentes. Sin verò ob putredinem & corruptelam fiat, effluit sanies virulenta, præcessit febricula quædam, & uterus sæpè suo loco repositus, iterum procidit.

Prognostica. Affectus hic naturâ suâ periculosus non est, sed molestus & chronicus, nam deambulationem & conceptionem impedit. Quæ accidit relaxatis ligamentis, curationem admittere potest, modò recens sit, nam quæ inveteravit, non tantum in vetulis, sed etiam in juvenculis nunquam sanescit, recens etiam vix in senibus, nam semel repositus uterus iterum recidit: quòd si extra vulvam non promineat, major adest sanationis spes. Possunt tamen gravia symptomata, ut dolor, convulsio, hæmorrhagia, necem inferre, præsertim in puerperis. Quæ autem fit ruptis ligamentis, difficillimè, iis autem corruptis, nunquam curatur.

Raro autem totus uterus prolabitur, quòd si nonnunquam contingat, malum est, tùm ratione ipsius uteri, qui facilè ab aëre, urinæ & fæcum contactu corrumpitur, gangrænam & cancrum concipit, tùm quia in sui sympathiam partes plurimas & nobiles trahit, ut hepar, cor & cerebrum. Facilè igitur uterus quando excidit ab aëre corrumpitur, tùm quia suo loco non continetur, unde sævis symptomatibus cruciantur à partu, quæ negligenter sui curam habent, eaque symptomata fiunt ab aëris appulsu. Adde quod non potest prolabi sine affectione ligamentorum, quin etiam purgatio naturalis utplurimùm intercipitur, unde varias corruptiones humor retentus excitat. Itaque, nisi statim uterus restituatur, ex appulsu aëris frigidi mulier sterilescit, & si diutius pependerit, corrumpitur, sicut & aliis membranis internis accidit, si aëri exponantur. In membranis cerebri epiploo, lithotomiâ id ordinariè contingit, nisi aëris frigidioris appulsus prohibeatur, quòd maximè in vulneribus cerebri cavemus. Itaque uterus citò restitui debet. Quòd si gangrænam concipiat, ne malum aliis partibus communicetur, resecari debet; quòd fieri posse superstite muliere, scripserunt *Paulus*, *Æginæus*, *Rossetus*, aliique recentiores Medici, cùm tam facilè sit mulieri utero, quàm viro carere testibus.

Curatio. Eadem est quæ prolapsus ani, cujus duo sunt scopi; prior ut reponatur, posterior, ut retineatur. Ad id causæ tollendæ sunt, ut nimia humiditas exsiccantia & adstringentia postulat, ruptio glutinantia. Symptomata, ut dolor, febris, convulsio, hæmorrhagia si adsint, mitiganda & removenda, etiam relictâ principali curâ, si nimis urgeant.

Quando igitur ab humidiore vinculorum & uteri intemperie affectus proficiscitur, aut ab humoris pituitosi copiâ, victus ratio tenuis sit & exsiccans, vitatis semper humidis & humectantibus, ut *jusculis*, *bal-*

neis,

neis, *pedum lotionibus*, *aëre frigido* & *humido*, *paludibus*, *fluviis*, & locis uliginosis vicino. Sed contrà, aër sit ficcior & calidior, cibi pariter calidi & ficci, & adstringentes; euchymi, potiùs assi quàm elixi, minimè crassioris substantiæ, aut flatulenti, ideò abstineant à fructibus *horæis*, *jusculis*, *lacte*, *leguminibus*, *piscibus*, & aliis ejusmodi. Potus sit *decoctum cinnamomi*, *bochetum ex chinâ*, *ligno sancto*, vel *vinum aquâ chalibeatâ*, aut *decocto coriandri* dilutum. In summâ contineantur corporis & animi quiete, abstinendo à saltationibus, choreis, vociferationibus, clamoribus, irâ, terrore, tristitiâ, tussi, sternutatione, coïtu, nisi ex summo illius desiderio uterus procidat, ut scribit *Aristot.* 7. *animal. cap.* 2. tunc enim coïtus prodest, qui aliàs nocet, coïtu enim deorsum movetur uterus, ut semen avidius prolectet. Alvus sit lubrica vel naturâ vel arte, nam fæcibus retentis uterus minùs facilè reponitur. Intestina enim stercore tumida locum utero non faciunt, eumque magis expellunt, tum etiam in expellendis excrementis conatus, uterum ad inferiora magis comprimit. Restituto autem utero, non sunt clysteres injiciendi ex *Hippoc.* ne pars magis relaxetur & humectetur.

Si plethora adfuerit, mensium suppressio, aut insignis hæmorrhagia, venam secare optimum erit; In copiâ verò humorum pituitosorum, utendum medicamentis phlegmagogis, quæ facilè alvum dejiciunt & sine magno conatu, quia dum magnâ contentione redduntur alvi excrementa, etiam uterus procidit, aut etiam decurrentibus humiditatibus irrigatur & impletur. Tales sunt *pilulæ de hierâ*, *de agarico*, *aggregat. indæ*, *cochiæ* & similes. Vomitio frequens multò utilior quibusdam videtur, quia non solùm pituitam vacuat, sed etiam uterum sursum trahit. Sed tamen præparandi priùs sunt humores iis quæ pituitam & simul uterum respiciunt, de quibus *Cap. de frigidâ uteri intemperie* diximus. Purgato corpore etiam conveniunt roborantia, & quæ sensibiliter per sudores, aut insensibiliter per halitum corpus exsiccant, ut sunt *thermæ*, *laconica*, *decoctum sudorificum* ex *guaiaco* & *sassafras*, fotus vel semicupia ex *salviâ*, *orig. majoran. thymo*, *matricar. tanac. absynt. rutâ*, *cypero*, *calamo aromat. decoctis in aquâ fabrorum*, & similia.

Si tumor vel aliud quippiam reductionem impediat, illud idoneis remediis erit auferendum, ut inflammatio venæ sectione & oxyrhod. deinde fotu remolliente & resolvente, ex *malvâ*, *alth. parietariâ*, *salviâ*, *betonicâ*, *major. sem. lini*, *fœnugr. floribus chamam. melil. rosarum*, & similibus. Si muco sordeat, detergendus erit *œnomelite*, vel tantummodo *vino ca-*

no calente, vel decocto *guajaci, salviæ, betonicæ, stœchad. anth. sampsuc. baccarum lauri, hederæ, rosar.* & similium.

His peractis, uterus in proprium locum reducendus est, ne ab aëre externo corrumpatur. Ideo laborans supina collocetur, ut coxas habeat sublimes, poplites reflexos, cruribus dilatatis & divaricatis: deinde prolapsam uteri partem obstetrix manu inunctâ *oleo rosar. mastich. amygd. dulc.* vel *axungiâ gallinæ*, leviter in proprium locum reponat; sed prius pars ipsa foveri debet decocto aliquo molliente, ut *malvæ, seminis lini, fœnugræc.* aut *oleo lilior. tepente, butyro recenti, axungiâ gallinæ*, si à frigore induruerit. Aliàs decocto adstringente foveri debet, & post pulveres adstringentes conspergendi, ex *myrto, balaustiis, rosis, acaciâ*, &c. sic enim repositus faciliùs continetur. Reductionem juvant & promovent cucurbitulæ umbilico affixæ, jucundi odores naribus admoti, graveolentes vulvæ suppositi, sequitur enim gratos odores, & fœtidos ac graves refugit. Sponte etiam uterus interdum nullis adhibitis remediis in proprium locum redit, sed iterum procidit, ut superiùs de muliere quâdam recensuimus. Sunt qui ovum sub gallinâ corruptum, fractum & agitatum linteis exceptum apponunt vulvæ, ut *Nicolaus Florent. Ferunt*, inquit *Aëtius*, *torpedinis corium recens detractum parti prolapsæ obvolutum ipsam repellere, tum pastinacæ marinæ aculeum cum succo hyosciami illitum. Quidam cucurbitæ domesticæ, aut betæ decocto cum urinâ graveolente, aut acri aceto uterum proluunt, aut alia fœtida admiscent.* Subitum quoque terrorem laudat *Rodericus à Castro*, simul enim cum spiritibus partes intrò reducuntur.

Reposito autem utero, decumbat mulier per aliquot dies, ut novem, decemve cruribus elatis in sublime, ità coaptatis, ut alterum alteri incumbat, deinde fasciis & topicis adstringentibus contineatur. Ratio deligandi uterum è lumbis petenda est, ex *libro de fistulis*, ubi de ani prolapsu agit, sicut capite proprio explicabimus. Fotus fiant ex adstringentibus & resiccantibus in *vino austero*, vel *aquâ chalibeatâ* decoctis, quales ad herniam præscripsimus. ℞ *corticis pini, quercus, malicor. rad. bistortæ, tormentillæ ana* ℥ ß, *gallar. nucum cupressi ana* ʒ ij, *foliorum rubi, absynt. myrti, lentisci, beton. hederæ, usneæ, lauri, centinod. herniar. cupressi, consolidæ majoris, caudæ equinæ ana M. j, rosar. rubrar. balaust. flor. stœchad. anthos, centaur. minoris ana P. j*; fiat decoctio in *vino*, vel *aquâ chalibeatâ*, quâ foveatur cum spongiis, vel immittatur syringe in partem uteri interiorem, vel ex prædicto decocto fiant semicupia & insessiones. Residentia autem

tem decoctionis sacculo inclusa applicetur supra renes & ventrem inferiorem, aut contundatur, & forma cataplasmatis applicetur parti affectæ. Fotus tamen & balnea quidam non adeò probant, quia ex morâ necessariâ in balneo periculum est ne uterus iterum prolabatur, præsertim dum adhuc recens est affectus; verumtamen partem ipsam exsiccando nocere non possunt.

Pessaria etiam fiant ex *gossipio* in eâdem decoctione cum *succo acaciæ* aut *hypocistidos* immerso, cui pulveres adstringentes *mastich. thuris, gallar.* aliique ejusmodi inspergantur. Recentiores Chirurgi *Paræus*, *Rossetus* & alii, finxerunt pessaria quædam ex *subere* satis oblonga *cerâ* obducta, quæ per sinum pudoris immittunt in cervicem, ut uterum in suo loco contineant, & funiculo cruribus alligant, ut faciliùs retrahi possint. Vel loco *ceræ* unguento *comitissæ* oblini potest, aut emplastro aliquo adstringente. ℞ *assæ fœtidæ, myrrhæ, thuris, mastich. ana* q. s. involvantur linteo raro, quòd filo coxæ alligatum in uterum demittatur; adde *lavendulæ* & *baccarum lauri ana* ʒ ß, vel *magdaleon* emplastri alicujus adstringentis, pessarii formâ, in uterum immittatur. De pessariis autem, eorum usu & artificio, legi debet *Rossetus lib. de partu Cæsareo*, qui totam hanc rem fusè explicavit, cujus libro carere non debet quisquis hanc muliebrium morborum historiam leget, neque observationibus *Scenckii*, qui abunde plurimas notatu de singulis morbis historias compilavit.

Suffitus quoque fieri possunt ex vapore decocti per infundibulum recepto, vel ex pennis perdicis, soleis combustis, sulphure & aliis fœtidis: ℞ *caryophill. ladani, hypocystidos, acaciæ ana* ʒ ij, *galbani, assæ fœtidæ, thuris, mastich. ana* ʒ iij, *balaust.* ʒ j, *musci quercus in clibano exsiccati* M. j. Excipiantur *terebinthina*, & fiant trochisci, quorum fumum per embotum recipiat. Fumum quoque *lanæ arietis nigri* quidam probant, aut *pellis anguillæ* fumo exsiccatæ & in pulverem redactæ. Alii probant suffitum ex *stercore bubulo* siccato, carbonibus imposito: ℞ *thuris cum cortice* ʒ ß, *mastich.* ʒ ij, *myrrhæ* ʒ j, *rad. bistortæ* ʒ j, *flor. lavend.* P. j, *folior. & baccar. lauri* P. ß; fiat pulvis pro suffitu.

Denique emplastra adstringentia lumbis & imo ventri applicentur, ut emplast. contra *rupt. comitiss. de mastich. de siccat. rubrum, de pelle arietinâ pro matrice*: ut ℞ emplastri alicujus præscripti ℥ ij, *pulveris sangu. draconis, boli armenæ, bistortæ, cyperi ana* ʒ j; malaxentur cum *oleo myrtino*, addendo *cerâ* q. s. fiat emplast. Interea per os sumpta ea conveniunt,

quæ ad herniam præscripta sunt; ℞ *foliorum lauri, myrtillor. ana* ℥ ß, *sem. pastin. domest.* ʒ *ij*: macerentur & coquantur cum vino generoso, decocti dosis sit ad ℥ *iij*: reïteretur potio si opus fuerit, ex *Quercetano*. ℞ *oculor. cancri, rad. zedoar. sem. pastin. domest. ana* ʒ *j, nucis moscatæ* ʒ ß, *myrrhæ* ℈ *j, baccarum lauri* ʒ ß, *cornu cervi usti* ʒ *j*: Misce, fiat pulvis, qui dari poterit cum vino rubro & adstringente. Si sæpiùs uterus procidat, desperata sanatio est.

Uteri procidentia, si à casu, saltu, percussione, difficili partu, aut ruptione fuerit, prædicta quoque cura convenit exceptis purgationibus, tùm utendum Zonâ, vel subligaculo *Hippocratis*, quòd uterum in suo loco commodè continet, ne prolabatur.

Quòd si pars quæ decidit putruerit, & gangrænâ corripiatur, placet *Paulo, Aëtio*, aliisque Græcis, ut amputetur. Posse autem innoxiè uterum adimi plurimis exemplis docet *Rossetus lib. de partu Cæsareo*, qui legatur; habetque ejusdem rei elegantem historiam *Platerus libr. 3. pag. 718.* de muliere cui corruptus uterus ablatus fuit, menstruis postea per podicem constanter sese expurgantibus.



DE

DE SYMPTOMATIBUS UTERI, ET AB UTERO PROFECTIS.

LIBER TERTIUS.

Cap. I.

De Dolore Uteri.

VTerum, quia pars est acutissimi sensus, etiam dolor gravis interdum occupat, quem a colico distinguere non est facilè. Doloris autem nomine intelligimus illum, qui sine alterius affectus complicatione contingit, ut sine inflammatione, eresipelate, inflatione, de quibus suis locis diximus. Sicut nec eum intelligimus, qui gravidas post partum interdum affligit, de quo postea, sed eum qui sine ullo alio morbo uterum corripit, & interdum ad lumbos & coxas usque extenditur ob ligamentorum communionem.

Causas autem varias habet, flatus scilicet, vel humores, qui partem acutissimi sensus vellicant: & quidem flatus sæpissimè ab utero excretos fuisse diximus supra proprio Capite, talisque dolor sæpissimè iis contingit, quæ vel à partu, vel instantibus & fluentibus menstruis, quo tempore uterus apertior est, frigidi aëris vim experiuntur.

Humores autem vel copiâ vel qualitate peccant, nam grumosi sanguinis plenitudo in uteri vasis dum commodè ob vasorum angustiam fluere nequit, dolorem excitat; unde *Aëtius* rectè inter stillicidii menstrualis signa dolorem ejusmodi recenset, eique fermè soli remedia adhibet; quem causæ externæ, quæ uterum refrigerare solent, & menstrua supprimere, accersere possunt, ut frigidorum potuum usus nimius, aquæ frigidæ, lactucæ, lactis, aceti & aliorum ejusmodi. Interdum menstruo sanguini vitiosi humores mordaces & acres admiscentur, qui in halitus conversi vasa uterique substantiam distendunt, quòd etiam iis accidere potest, quæ menstrua non ampliùs patiuntur, si cacochymæ sunt, natura enim ex veteri consuetudine humores pravos ad uterum

transmittere potest, qui humores si incalescant & ferveant, aut fermententur, in flatus resolvuntur, unde dolores aliaque ejusmodi symptomata.

An autem in cavitate uteri, aut substantiâ & tunicis humores ejusmodi flatusque contineantur, non immeritò quæri possit. Sanè dolorem illum, quem inflammatio aliique uteri morbi facere solent, non dubitò posse & in uteri cavitate, & in ipsius substantiâ contineri, sed de ejusmodi dolore hoc loco non agimus. At cùm experientia ostendat uterum increscente fœtu in magnam molem sine dolore distendi, idemque pariter fieri in ejusdem uteri hydrope & inflatione, quando in illius cavitate causæ hæ continentur, verisimile est in dolore uteri intra membranas flatus hosce consistere, cùm sæpissimè illorum exigua copia acerbissimos dolores concitet, quòd fieri non posset, si cavitate solâ coercerentur.

Signa. DE dolore fœmina ipsa conqueritur in abdomine, qui ad lumbos & inguina pertingit, unde à colico distingui potest, qui magis regionem ventriculi infestat, & tanquam zona cingit, quoniam colon ventriculo substernitur. Causæ verò cognoscuntur, flatus quidem ex tensione, rugitu, & flatus exitu ex utero, quæ tamen necessaria non sunt, si flatus in uteri tunicis contineatur; nam tensio quidem adest, sed nec rugitus, nec flatuum exitus, quia arctè tunicis concluditur, ut agitari non possit. Dolent præterea lumbi, pubes, præcordia, mulier suffocatur, & quâdam spirandi difficultate laborat, nec facilè sese movere aut inclinare potest: & si flatus sive halitus illi ex pravo humore quopiam excitentur, cùm pernitiosam qualitatem habeant, anxietates faciunt, jactationes, inquietudines, lipothymias, interdumque simul febricula quædam succedit, ardorque non adeò gravis, sed ἀσώδης, unde præterea caput quandoque dolet, anxia est, ut sibi mortem optet, aliaque adsunt maligni humoris symptomata, de quibus *Hippoc. lib. de steril.*

Grumosum sanguinem nec facilè profluentem indicat ejusdem stillicidium, tenesmus, frequens mictio, ob viciniam & consensum harum partium cum utero, cùm enim ejusmodi sanguinis molestiâ assiduè lacessitur, flatusque plurimi uterum distendant, vesica & intestinum premuntur & irritantur, unde frequens ad egerendum & mingendum conatus. Quòd si grumus uteri cavitate contineatur, nec commodè excerni possit, dolor fit acutus & fixus, quasi parturientis. Quòd si sanguis

guis ille diutiùs retentus corrumpatur, prava accidentia ſuſcitat, de quibus ſupra diximus. Procatarcticæ demum cauſæ ægrotantis relatione cognoſci poſſunt.

Prognoſtica ejuſmodi dolorum, ex duratione, gravitate & cauſarum naturâ depromuntur, de quibus ſupra variis in locis diximus, ut nihil hoc in loco ſit addendum.

Curatio vel cauſas vel ſymptoma ſpectat, ſi nimium urgeat: nam vires labefactat, & humorum fluxiones accerſit. Curatur autem anodynis, quæ temperata ſunt, vel primo ordine calida, ſimulque tenuium partium, ſicque partem blandè fovent, humores & flatus in halitus ſolvunt, nam rarefaciunt, concoquunt & attenuant, & ejuſmodi anodyna maximè in doloribus à flatu conveniunt, tutiùs tamen corpore vacuato adhibentur, ne dum humores attenuant, partes affectas ampliùs diſtendant. *Curatio.*

Tutior tamen & certior curatio eſt, quæ cauſam ſpectat. Cum autem variæ cauſæ hunc dolorem faciant, ſingulis ſua remedia adhibeantur, ſicut jam ſæpiùs à nobis dictum eſt. Potiſſimum autem ſanguinis grumus, humores maligni, & flatus hujus doloris cauſa ſunt, ſiquidem non alium dolorem hic intelligimus, quàm eum, qui ſine alterius affectus complicatione contingit.

Grumoſus ſanguis attenuantibus & calefacientibus ſolvendus eſt, aut iis quæ peculiari vi grumos attenuant, ut *oxymelite, coagulo hœdi, leporis, vituli, rhabarb. rubiâ tinctor. aquâ nucum, theriaca,* &c. Ejuſmodi medicamenta vel ore aſſumi poſſunt, ut *theriacæ* ℈ j, *rad. angel.* ℈ ß, *aq. nucum virid.* ℥ j, *aqu. hyſtericæ,* vel *theriacalis* ℥ ß, *oxymel. ſimpl.* ℥ j. Miſceantur ſimul, & fiat potio: Vel in uterum injici per metrenchyten, vel per evaporationem excipi, vel demum extrinſecùs apponi. *Theriacam* vel *rutam* cum *croco* quidam commendant, ſicut ſupra ſat multa diximus *Cap. de ſuppreſſione menſtruorum,* & ſtatim dicemus in *dolore à flatu.* Nec omittenda eſt in ejuſmodi affectu venæ ſectio ex brachio aut ex pede, prout menſes vel parciùs fluunt vel liberiùs, aut inſtant, vel non ità citò expectantur.

Humores autem ſi acres fuerint & maligni purgandi primùm ſunt blandis medicamentis, dein topicis anodynis demulcendi, ut *peſſo aureo,* vel *unguent. roſaceo,* cum *mucilag. ſemin. lini, fœnugr. pſyll. citon. alth.* quibus intincta lana, peſſarii formâ in uterum indi poteſt. Nec omittenda

da sunt, quæ ad humores acres temperandos, per os assumuntur.

De flatibus quoque *Cap. de uteri tumore flatuoso* diximus. Specialiter tamen interna conveniunt & externa. Assumi possunt *theriaca androm. mithridatium, theriaca diatessaron, diacymin. diagal. diamb. aromat. ros.* &c. Sed maximè aquæ theriacales, & aliæ ex carminativis compositæ, ut *spiritus castor. elixir vitæ*, majus & minus, *quercet. aquâ cœlest. Imperialis, Mariæ, Doctoris Stephani* & aliæ ejusmodi: ℞ *rad. galangæ, zedoar. ireos, dictamni albi, acori, doronici ana* ℥ ß, *ligni aloës, costi ana* ℥ j, *rad. angel. aristoloc. ana* ʒ iij, *cardam. macis, caryophill. piperis albi & longi, granor. parad. cubeb. ana* ʒ ij, *cinnamomi* ℥ j, *zinzib.* ʒ iij, *folior. thymi, major. rosmar. menthæ, salviæ, puleg. dictamni cretici, orig. hyss. rutæ, matricar. ana M. j, calam. beton. chamæd. ana M.* ß, *baccar. lauri, junip. sem. carui, cumini, dauci, anisi, fœnic. sesel. ana* ʒ j, *sem. coriand.* ʒ ij, *semin. sinapi* ʒ ß, *schœnant.* ʒ ij, *spicæ celticæ* ʒ ß, *croci* ℈ j: Infundantur omnia in *vini Hispanici* ℔ xij, & postea destillentur. Dosis sit ad ℥ ß ex cochleari, vel cum *aquâ cardui benedicti*. Postquam ad medias aqua destillarit, quæ sequitur imbecillior est; ideo optimum erit reliquum percolare, & sensim lento igne in extracti consistentiam exsiccare, sic habebimus aquam extractumque uterum calefaciens & roborans. Si decoctum placuerit, ℞ *baccarum juniperi* ʒ ij, *baccarum lauri, seminis carui, cumini ana* ʒ j, *dictamni cretici, matricar. ana M. j, schœnanthi* ʒ j, *zedoar.* ʒ ß, *nucis moscatæ* ℈ ij. Coquantur in vino, & colatura sacc haro dulcorata exhibeatur. In uterum quoque injici clysteres possunt, ex decocto carminante, cujus vapor quoque, si utero excipiatur, proderit. Sic ejusmodi decocto foveri etiam uterus potest, cujus formulas ex *Cap. de emphysemate & intemperie uteri frigidâ* Lector repetat; sicut & formulas unguentorum, emplastrorum & aliorum topicorum: ℞ *olei anethini*, vel *rutacei* ℔ j, *inf. sem. agni casti, zedoar. ana* ʒ ij, *castor.* ʒ j, *cinnam.* ℥ j, *euphorb.* ʒ ß: stent simul in infusione ad Solem per mensem; vel coquantur lento igne additâ *aquâ vitæ* ℔ ß, dum aqua consumpta sit. Olei prædicti ℞ ℥ j, *olei ceræ* ℥ ß, *pulveris cumini, carui ana* ʒ j, *mucilag. sem. lini, axungiæ anseris ana* ℥ ß, *ceræ* parum; Misce, fiat linimentum. Placentam commendat *à Castro* factam ex parietariâ minutim incisâ & frixâ in *sartagine* cum *vitellis ovorum* & seminibus *anisi, dauci, cumini*, quæ umbilico apponi potest: sicut & emplastrum hystericum, additis *gummis tacamahacæ* & *carannâ*. Fiant etiam fotus sicci ex sacculis plenis prædictis seminibus & aliis carminantibus. Cucurbita cum magnâ flammâ utero apposita com-

commendatur à *Galeno* ad flatus resolvendos. Pessus quoque, aureus dictus, utero indatur, mirificè etenim dolores sedat; vel allii caput cum nitro & cymino coque contusum, & melle subactum indito. Suffitus quoque calefacientes prosunt, quales sæpiùs supra descripsimus, ex *ladano, styrace, caryophillis, agallocho, ambrâ, moscho, balsamo*, & similibus.

In summa demum doloris acerbitate, quæ remediis non cedit, utendum est *narcoticis*, quæ unguentis prædictis, fotibus, clysteribusque admisceri possit, ut *opium, oleum mandrag. de papav. philon. requies Nicolai*; vel etiam per os sumi, ut sunt *pil. de cynogl. pilula Nicolai, philon. athanas. magna*; sed maximè *laudan.* cujus grana tria quatuorve blandè & innoxiè omnes dolores consopiunt.

Cap. II.

De Uteri Imbecillitate.

Debilis dicitur uterus, quando actiones suas languidius perficit, nullo alio affectu in ipso existente: Non mirum siquidem, si cùm inflammatur, ulceratur, aliove modo afficitur, in operationibus suis etiam lædatur. Sunt autem illius actiones vel communes & similares, ut nutritio & quæ illi subserviunt, vel propriæ & organicæ, ut menstruorum expurgatio, veneris appetitus, conceptus & partus. Quando igitur aliquas harum actionum vel non omnino, vel segniùs perficit, imbecillis dicitur, unde varia mulieribus symptomata contingant. Si enim alimentum non attrahat, menstrua supprimuntur; si validiùs proliciat, copiosè fluunt, & inordinatè; si concoctrix langueat, multis humiditatibus uterus redundat: si retentrix imbecilla sit, sæpiùs menstrua fluunt, semen aut non excipitur, aut ad partus usque tempus non retinetur, sed quibusdam citius, aliis tardius effluit, vixque unquam perfectè fœtus conformatur. Ex ejusmodi igitur debilitate proficiscuntur vel fluxus muliebris, vel inordinata menstruorum vacuatio, vel veneris fastidium, vel conceptio abolita, aut saltem immaturi, nondumque perfecti fœtus exclusio.

Causas quòd spectat, quamvis prædicta etiam à morbis organicis, aut solutæ unitatis proficisci possint, tamen imbecillitatis nomine hoc loco illos non intelligimus, sed solos intemperiei morbos, quos *similares* vocamus, ad quos idiosyncrasiæ perversionem referre oportet: *Causa.*

Non

Non enim ſolo calore ſuas operationes uterus perficit, ſed inſitâ quâdam proprietate, qualis nulli alteri parti conceſſa eſt, ſicut de ventriculi chyloſi & hepatis hæmatoſi ſuo loco diximus, unde uterus ſemen virile appetit, fovet & conſervat, quòd forſitan ventriculo foret noxium. Sed quoniam ſingularum partium vires calore tanquam inſtrumento utuntur, illius tantùm læſionem ſæpiſſimè conſideramus, cùm partium debilitates inquirimus. Igitur pariter hoc loco uterum debilem dicimus, qui intemperie laborat, nec tamen quâlibet. Cùm enim debilitas partis ea dici debeat, in quâ actiones aut imminuuntur, aut abolentur, ſanè id non quælibet intemperies præſtat; quædam enim actiones potiùs intendit & auget, aut ut alii volunt, depravat, quàm imminuit; unde calida plus trahit quàm conficit, maximè ſi ſiccitati conjungatur, quæ eſt lima caloris, & partis vires quodammodo potius roborat, quàm labefactat. Solum igitur frigida, aut humida parti imbecillitatem conciliat, ſive ſimul, ſive ſeorſim partem afficiant. Humiditas quidem lubricum reddit uterum, unde & ſeminis & fœtus retentionem lædit. Frigiditas quoque torpentis veneris cauſa eſt, & ſterilitatis aut immaturæ excretionis fœtus. Has cauſas aliæ fovent, ut ſpirituum & caloris reſolutio ex immodicis vacuationibus, frequenti partu vel abortu, aut ejuſdem ſuffocatio, ut diximus *Capite de cauſis frigidorum morborum*. Addunt hic quidam, ut *Rodericus à Caſtro* & *Sennertus*, laxiorem uteri ſubſtantiam, ſed cùm immediatè ſequatur uteri humiditatem, fruſtra ab illâ diſtinguitur, nam cum eâ conjungi debet.

Signa. Signa ſunt veneris faſtidium, uteri humiditas, inordinatus menſtruorum effluxus, ſeminis effluxus, aut ſaltem ſi per aliquod tempus retineatur, tandem ante perfectam conformationem præmaturè profluit; aliaque interdum adſunt uteri ſymptomata, ut dolores pectinis, lumborum, crurum, interdumque etiam capitis & ventriculi. Cauſas quòd ſpectat, intemperiei frigidæ & humidæ ſigna ſuo loco recenſuimus, menſesque adſunt decolores, aquoſi, lumborum & crurum languor, ſicut & totius corporis: quòd ſi aut pariendi difficultas, aut abortus frequens debilitatem fecerint, aut cauſa quæpiam externa præceſſerit, ægrotantis relatione deprehendetur. Malum eſt grave quidem, cui & frequens abortus, aut ſterilitas ſuccedit, ſicut & varia circa menſtruorum fluxum ſymptomata.

Eadem

CUratio eadem est quæ intemperiei frigidæ & humidæ, nam calefaciendus uterus est & exsiccandus, quòd præstant exercitia, frictiones partium inferiorum & ventris, usus thermarum sulphurearum, tàm potu, quàm balneo, tum usus aromatũ & aliorum quæ ex materiâ Medicâ repeti possunt, ut *aromat. rosat. diacal. diacymin. diagal. mithrid. theriac.* &c. Cibi sint calidi siccique, qui condiri possunt sale, quòd Veteres *Sacerdotale* vocabant. ℞ *salis comm.* ℔ ß, *cinnam. piper. ameos, sileris mont. hyssop. orig. puleg. ana* ℥ j: Contundantur omnia simul in tenuissimum pulverem. Huic *sali* Veteres maximas vires attribuunt, nam non tantùm matricem roborat & expurgat, sed etiam & caput, & stomachum, & pectus, unde capitis & dentium dolori, oculis nebulosis, dyspnœæ, anhelitus fœtori prodesse dicitur. Huc referatur aqua superiori Capite descripta: ℞ *extracti castor.* ʒ ß, *olei caryophil. guttas vj*, *olei orig. gutt. ij*, *olei succini guttas vj*, *sacchari aquâ cinnam.* dissoluti ℥ *iij*; Misce, fiant rotulæ. Exterius unguenta conveniunt & suffitus, & injectiones, & emplastra, & quæcunque interna & externa inter uteri frigidos affectus recensuimus: ℞ *olei lilior. nardini, balsami peruviani ana* ℥ *j*, *gummi copivæ* ʒ *ij*, *oleor. chymic. anisi. cinnam. caryophil. succini ana gutt. x*, *ladani, styrac. liquid. ana* ℥ ß, *aliptæ moschatæ* ℈ ß, *pulveris aromat. rosati, diamosc. dulcis ana* ʒ *j*, *cinnam. mastich. caryophil. baccar. lauri ana* ʒ *j* ß, *sem. angel.* ℈ *ij*, *gummi tacamahacæ* & *carannæ ana* ℥ ß, *ceræ* & *resinæ ana* quantum satis, fiat emplastrum hypogastrio, & etiam renibus applicandum. ℞ *emplastri ceronei* ℥ *j*, *ladani depurati* ʒ *vj*, *aliptæ mosc.* ℈ *j*, *baccar. lauri, cinnam. ana* ʒ ß, *olei lilior.* quantum satis, fiat emplastrum quòd valdè commendatur à *Roderico de Castro*. *Curatio.*

CAP. III.

DE PRURITU UTERI.

PRuritum uteri cum furore uterino plurimi confundunt; *Aëtius* vocat *Satyriasin*, Arabes *priapismum*; & definiri solet ardens scalpendi desiderium, cum coëundi cupiditate & dolore; qui coïtu potiùs augetur quàm mitigatur, eò quòd ex contrectatione humores irritantur, & magis ad uterum defluunt, ut inquit *Mercurialis*. Verumtamen orgasmus ille humoris & seminis titillatio ad coïtum incitans non semper pruritum facit, & potest etiam pruritus esse absque coëundi libi-

dine, ut in vetulis, aliàs cum salacitate pruritus confunderetur, cùm tamen salacitas juniores potiùs occupet, & ab uteri ipsius & testium calidiori temperie proficiscatur, pruritus verò seniores magis infestat, estque potiùs in vulvâ & pudendis quàm in ipso utero. Fit autem ab humoribus salsis, acribus mordacibusque, adustis & biliosis, qui retenti in cute pruritum illic efficiunt. Affectus est affinis ulceribus uteri, cùm si humores corrosionem efficiant, in ulcera degenerare possit. Malum quidem molestum potiùs quàm periculosum, quòd ægrotantis relatione detegi potest, & præterea crebrò manum pudendis admovet ut scalpat. Vetulis quidem, & iis quibus menstrua naturæ lege cessarunt, familiarius quàm junioribus, & iis quæ liberè & liberaliter repurgantur.

Ad curationem cibi sint sorbiles, coctu faciles, minimè flatulenti, acres, aut semen generantes, ut *lact. portul. scariol. cichor. ptisana*, &c. In potu commendat *Aëtius* aquam tepidam, quæ etiam extrinsecus admota confert, humorum enim acrimoniam lenit & mitigat. Vitentur salsa, acria & aromatica, & piperata. Sanguinis è basilicâ missio prodest: post præparandi & expurgandi sunt humores idoneis remediis, de quibus suo loco sat multa diximus. Temperant quoque humores frequens usus *seri lactis*, decoctum *lactucæ, nymph. plantag. portulacæ, corticis granat. lentium*, & similium.

Fiat quoque balneum & semicupium refrigerans & humectans ex quatuor remollientibus & prædictis. Lavetur pars affecta decocto *oxylapat. fumar. malvæ, scabiosæ, oxal. solani, pentaph. betæ, salicis*, &c. *Aqua vitis* quoque ad lotionem utilis est. Ungatur pariter *unguent. rosac. santal. refrig. Galeni*, quibus unguentis pessi imbui possunt & genitalibus indi. Fiant injectiones ex *trochiscis de camph. collyrio albo Rhazis* dissolutis in decocto *salicis*, vel in *aquâ vitis*. Hucque referri ea possunt, quæ *Cap. de ulceribus ac inflammatione uteri* diximus. In contumaci malo *unguent. enulat.* cum *mercurio*, *ægyptiacum* cum *aquâ marinâ* aut *lixivio* injectum proderit, aut per pessarium admoveatur. Sequens commendat *Rodericus à Castro*, ℞ *aluminis, nitri, sulph. vivi ana* ℥ *vj*, *staphisag.* ℥ *j*; dissolvantur omnia in aceto cum sufficienti quantitate butyri, quòd pariter extat in Gallico libro *de morbis mulierum*.

CAP.

Cap. IV.

De Pallidis Virginum Coloribus.

NOn mirum eſſe debet, ſi nullam aut exiguam iſtius affectus mentionem apud Veteres reperiamus, ſiquidem cùm à ſuppreſſione menſtruorum pendeat, ſub eâ hanc coloris depravationem complexi ſunt; eſt enim ſymptoma tantum aut menſium ſuppreſſorum, aut viſcerum malè affectorum, & ſublata ejuſmodi causâ ſponte priſtinus faciei color redit. Invenio tamen ipſius elegantem deſcriptionem & curationem apud *Aëtium cap. 54. libri ultimi*, ubi agens de ſuppreſſione menſtruorum ab intemperie frigidâ, pallidos colores videtur deſcribere: *Sunt*, inquit, *ſomnolentiores, ad motum pigriores, coloris albi, ſive plumbei, venis ſubnigricantibus, urinâ aquosâ, pituitam etiam aſſiduè exerceant, & pituitoſos humores evomunt, quibus plurimos labores imperabimus*, &c.

Per pallidos autem colores non intelligimus *primò* quamlibet decolorationem fugacem, quæ variis ex cauſis internis externisque contingere poteſt, ſed conſtantem & diuturnam. *Secundò*, nec intelligimus quamlibet conſtantem & μονιμὸν, qualis longis humorum vacuationibus, aliisque cauſis tam in viris quàm in mulieribus ſuccedit. *Tertiò*, nec intelligimus ſolum coloris vitium, ſed potiùs congeriem quandam variorum ſymptomatum, quæ mulieres variè exercent, & colore illo in facie ſeſe produnt. Unde non tantùm pallidos vocamus colores, ſed & febrem albam virgineamque, non quia ſemper febricitant, ſed quia quaſi febricitarent, ipſis adeſt pulſus celeritas & frequentia, non ob caloris incrementum, ſed ob prohibitam ventilationem, cùm tamen affectus ſit naturâ ſuâ frigidus. Quamvis autem mulieres nuptas viduasque hoc affectu tentatas videre liceat, quia tamen virginibus viro maturis magis familiaris eſt, ideo *virgineus morbus* appellatur, & etiam *amatorius*, quòd credantur virgines, ut viris reddantur gratiores, hunc colorem rerum abſurdarum eſu ſibi conciliare, χλώρωσιν quoque vocat *Hippocrates*, quoniam utplurimum color eſt ex albo vireſcens, pro humorum inter ſe variâ commiſtione, & prout jecur aut lien compatitur, unde ſpeciem quandam icteri quidam eſſe volunt.

Eſt autem obſtructio vaſorum circa uterum varia ſymptomata concitans. Cùm enim virginibus ſanguis ad uterum confluat, ſi obſtructis vaſis effluere nequeat, redit in præcordia, variasque partes afficit, caput,

 hepar,

hepar, cor, diaphragma, lienem, mesenterium, stomachum, unde dyspnœæ, cordis palpitationes, lipothymiæ, capitis dolores, vertigines, deliria, cibi fastidia, cardialgiæ, picæ, malaciæ, hepatis & lienis inflatio, pedum tumor, humore frigido & tenui ad pedes delabente. Unde patet affectum hunc esse frigidum non calidum, nam tumor pedum & faciei œdematosus, cachectica faciei & corporis dispositio, urinarum cruditas & tenuitas frigidum humorem arguunt, unde etiam ad curam exercitationes præscribimus & venerem, & quæcunque calefacere, humores incidere, mensesque movere possunt, sicut rectè scripsit *Hippoc. 4. acut.* sanguinis suppressiones frigidos morbos concitare. Unde malè quidam cavillantur sanguinis suppressiones potiùs sanguineos calidosque morbos inferre, cùm sanè potiùs contrarium contingat, scilicet suppressum sanguinem, quia calorem nativum opprimit, qui vix potest habere ἔκλαμψιν, corpus potiùs refrigerare quàm calefacere, unde nec synochos febris illis contingit, sed mitis quædam levior & inordinata, quia vasis majoribus sanguis non continetur, sed refluit ad viscera. Unde quamvis in ætate juvenili, quæ calida est, cum febriculâ, siti, pulsusque celeritate contingat, bilisque sapor in linguâ etiam interdum sentiatur, affectum tamen calidum dicere non possumus, quia morbi etiam frigidi juvenibus contingere possunt, si prava victus ratio, aliarumque causarum externarum concursus accedat. Unde si quæ adest febris, ea levicula tantùm est, pulsusque frequentia ob defectum ventilationis accedit, possuntque & sitis & bilis in ore sapor cum frigidis crassisque humoribus, affectuque frigido conjungi.

Causæ. CAusam autem habet suppressionem menstruorum, quàm humoris crassities, lentor & frigiditas induxit, unde remeans sanguis in viscera, ipsa obstruit, illorum calorem suffocat, & similibus humoribus corpus replet. Sed præcipuè id præstat prava victus ratio, ut aquæ frigidæ sub tempus somni, aceti, potus, fructuum nimius usus, & etiam interdum rerum absurdarum, ut *terræ*, *cinerum*, *cretæ*, *gypsi*, *cinnamomi*, *zinzib. frumenti*, *calcis* & similium, unde humores incrassantur, obstructiones multiplicantur, calor partium obruitur. Hunc affectum videtur intelligere *Hippocr. 2. prorhet. Quibus juvenibus colores multo tempore mali sunt, continenter, non verò ad modum icteri, illi tàm viri quàm mulieres caput dolent, & lapides, vel terram edunt, vel hæmorrhoides habent. At colores virescentes diuturni, absque vehementi ictero, illis contingit eadem facere, sed pro lapi-*
dum

dum & terræ esu, ipsis hypochondria magis quàm aliis dolent. Qui verò diu pallidi faciem habent tumidam, scire oportet eos aut capitis aut viscerum dolore tentari, aut aliquod malum in sede habere. Vt plurimum autem quando hæc apparent, non unum aliquod malum, sed vel omnia, vel plurima apparent. Ejusmodi coloris fœdatio insignem cacochymiam, humorum pravitatem, præcipuorum viscerum vitium, aut crudi succi coacervationem indicat. Inter causas externas numerari possunt choreæ statim à pastu, intempestivæ exercitationes & vigiliæ, frigus externum, somnus longior, aliæque ejusmodi quæ *Cap. de suppressione menstruorum* recensuimus. Ex quibus omnium symptomatum, quæ in hoc affectu contingunt, causas explicare possumus. Cùm enim sanguis virginibus effluere nequit ob illius crassitiem, aut viarum angustiam, vel refluit in viscera, vel circa uterum putrescit, unde vapores in reliquas partes suscitantur; ob crudos enim humores color faciei vividus perit. Est enim color similis humoribus nisi retrocesserint; inde facies etiam inflatur, & turgidula redditur, præsertim manè, post somnum, quia noctu plurimos vapores calor elevat, qui nondum discussi faciem inflant. Sic quoque laxæ sunt & molliores externæ corporis partes, præsertim crura ob humorum copiam, qui corpori & animo segnitiem inferunt, unde etiam vix ambulare queunt, crura tensa habent & debilia, sub noctem inflata, humoribus gravitate suâ in crura ob situm declivem defluentibus. Pariter difficultate spirandi laborant, maximè cùm ipsis ascendendum est, tuncque etiam cor ipsis palpitat: Vapores enim agitantur, qui dyspnœam & cordis palpitationem inferunt, non tàm ob inspirandi, quàm expirandi necessitatem, ob multorum vaporum copiam, à quibus etiam febricula, capitisque dolor sæpè contingunt. Pulsus quoque parvus, frequensque adest, quia arteriæ dilatari ob imbecillitatem commodè nequeunt, defectus hic pulsus frequentiâ compensatur. Adsunt cibi fastidia, picæ, rerum absurdarum desideria, ob pravos humores ventriculum obsidentes, vomitus & nausea propterea etiam infestant, sitis vexat, rugitus in ventre persentitur, & interdum principes facultates depravantur.

Signa ex prædictis cognoscuntur, visus etiam morbum detegit, ob cutis in facie tenuitatem, unde pallidæ sunt quibus sanguis aquosus est, citrinæ, si biliosus, subnigræ, si melancholicus fuerit. Quænam pars interius laboret, jecur, an lien, aut alia quæpiam, ex illarum signis alibi recensitis intelligetur. Chronicus quidem morbus hic est, & sæpe *Signa.*

periculosus, nam auctis obstructionibus in hydropem desinere potest, sterilitatem infert, aut saltem fœtus edunt debiles & parum vitales, sæpèque accidit facultate vitali collapsâ ægram subitò mori; sed si redeant menses, salutis spes affulget.

Curatio. CUratio perficitur per ea quæ obstructiones tollunt, menses provocant, viscerum intemperies, aliosque affectus adimunt, humores in habitu corporis hærentes discutiunt, symptomata mitigant. Victus ratio calida sit & sicca, aër purus & calidior, ideò facilior curatio est æstate ob aëris calorem, unde quæ humida & palustria loca incolunt, ad alia sicciora se transferre debent: Motus & exercitatio conveniunt, quia viscerum calorem excitat, alimentorum coctionem & distributionem promovet, vasa calore dilatat, unde postea aperientia medicamenta faciliùs penetrant, sed levior primum esse debet, vehementiorem enim in principio non ferunt, ob virium debilitatem, corporis ignaviam, respirandi difficultatem, cordis palpitationem, quæ à motu ingravescunt, tùm ob corporis impuritatem, unde gravia fiunt symptomata ob agitationem pravorum humorum. Progressu temporis velociùs & fortiùs sese agitent & exerceant, ad humorum reliquias dissipandas. In principio utiles sunt frictiones, quæ vicem exercitationis supplere possunt. Venus utilissima est, quia vasa ob agitationem, confricationem & permistionem corporum incalescunt, aperiuntur & relaxantur, & succedente partu per lochia commodè expurgantur. Sed monet *Varandæus* non esse viro jungendas, quando hoc morbo maximè conflictantur, cùm multæ ex importunâ venere, aut partus laboribus perierint, nam impuris & cacochymis nocet Venus, tum in summâ respirandi difficultate & virium dejectione, qui omnia tuta timebat. Somno quidem valdè sunt addictæ, præstat tamen eas manè surgere & paululum deambulare, vigiliæ enim calorem excitant. Facescant omnes curæ & animi pathemata, præter lætitiam & iram, quæ calorem excitant. Alvus lubrica servetur. Cibi sint eupepti ob ventriculi & hepatis debilitatem & calefacientes, quare vitandi omnes frigidi, humidi, ut sunt *olera, fructus horai, pisces* & *lacticinia, carnes crassiores, aqua potus* & *aceti*, utero enim ex *Hippoc.* nocet, & tenuitate suâ pravos humores in habitum corporis deducit. Absurda autem, quæ maximè appetunt, studiosè vitent, maximè siquidem nocent, cùm concoqui non possint, & in corporis substantiam permutari, malum augent & accersunt. Plurimas

rimas enim cernere licet quæ ejusmodi abstinentiâ sponte curatæ sunt. Puella quædam fistulas tabaci pulverisatas avidè comedebat: Deprehensa cùm postea illarum copia non suppeteret, intra paucos dies absque ullis remediis spontè curata fuit. Nec formidandum est, quòd quidam putant, denegatis ejusmodi absurdis rebus gravia concitari symptomata, id enim in solis gravidis verum est, quæ si desiderio suo priventur, vel fœtus corrumpunt, vel illis stigmata rei desideratæ imprimunt; ideò aliquid ampliùs quàm virginibus illis concedendum, modò valdè noxia res non sit quæ appetitur. Panis sit benè fermentatus & coctus cum *sem. anisi, fœnic. carui*, &c. fructus sint sicci, carnes delicatiores assæ potiùs quàm elixæ, aut saltem juscula condiantur *menthâ, hyssopo, serpillo, salviâ, rosmar. fœnic. petros. apio, capparibus*, &c. Potus sit *vinum*, aut decoctum *cinnam. sarsæparillæ*; sit autem moderata cibi potusque quantitas, tempore convenienti sumpta, ut diximus alibi.

Remedia quòd spectat, præmisso leviori clystere, vena secanda est, nam plenitudinem ex suppressis mensibus commodè vacuat, sicut *Galenus* mulieri ex suppressione menstruorum tabidæ sanguinem utiliter misit. Idem in hoc affectu dicendum, quamvis morbus frigidus, humorumque crudorum copia adesse videatur. Utilis autem erit sectio venarum pedis, quæ plenitudinem simul tollit, & menstrua provocat. Prosuntque cucurbitulæ, hæmorrhoidum provocatio, cauteria tibiis inusta.

Pharmaciam quòd spectat, ea potentissimè hunc affectum solvit: Sed primò humores crassi attenuandi sunt & præparandi, dein purgandi. Neque expectanda est perfecta coctio, quæ in humoribus crassis non tam citò contingit, sed per vices præparantibus & purgantibus est utendum; imò simul attenuandus est humor & purgandus, quòd commodè præstant apozemata nostra in plures doses instituta. In aperientibus autem delectus hic faciendus est, ut consentiant cum parte magis affectâ, ut hepate obstructo, hepatica, spleni splenica præscribantur, de quibus inter proprios illarum partium affectus diximus, nec opus est repetere. Et cùm sit via ad cachexiam & hydropem, iisdem remediis curari debet; neque inutilè fuerit interdum scorbutica addere; potest enim pariter in hunc affectum degenerare.

Sed quoniam illius causa utplurimum est obstructio vasorum uteri & defectus menstruæ purgationis, huc referri poterunt quæ *Capite de suppressis mensibus* diximus. Non semper ex hâc causâ fiunt, nam puellas

sex

ſex ſeptemve annos natas, affectio hæc invadit, antequam de vacuandis menſibus natura quicquam cogitet, tunc aliarum partium affectus ſunt conſiderandi, quibus, non utero, remedia debent applicari.

Purgatâ igitur vel enemate, vel levi catharſi primâ corporis regione, ex *diacarth.* vel *hierâ picrâ*, vel *pilulis alephang.* & ſimilibus, pituitoſus humor calefaciendus erit, tenuandus & incidendus. Cùm enim ejuſmodi aperientia in venas ſeſe altè inſinuent, niſi prius ventriculi, aliorumque viſcerum impuritas tollatur, periculum eſt ne illorum uſu in venas rapiatur, fiatque morbus deterior. Itaque ℞ *rad. polyp. rad. aperient. enulæ, eryng. angel. ononid. filicis, rubiæ majoris, ireos, corticis citri ſicci ana* ℥ ß, *corticis cappar. & tamariſci ana* ʒ *vj*, *rad. armoraciæ* ℥ ß, *ſaſſaf.* ℥ *j*, *foliorum ceterach, adianthi, rutæ murariæ, cochlear. hyſſopi, meliſſ. artemiſ. majoran. thymi, menthæ, beton. chamæd. ana* M *j*, *praſſii albi, abſynth. pont. naſturtii aquat. anagall. ana* M. ß, *ſabinæ* P. *j*. *ſem. aniſi, fœnic. dauci, apii ana* ʒ *j*, *cicerum rubr.* P. *j*, *ſpicæ nardi* ʒ ß, *florum ſtœch. anth. hyperici ana* P. *j*; fiat omnium decoctio ad ℔ *ij*. Colaturæ adde *ſacch.* ℥ *vj*, vel *mellis deſpumati* ℥ *iiij*, fiat apozema; vel additâ *majori ſacchari* aut *mellis* quantitate, fiat ſyrupus aperiens, detergens, molliens. Sequens quoque laudatur; ℞ *ſucci eupator.* ℔ *j*, *decocti ſtœch. ſchœnant. abſynth. cicerum, hyſſ. centaur. acori* ℔ *j* ß, *mellis & ſacch. q. ſ.* fiat ſyrupus. Vel ℞ *rad. angel. pœon. caryoph. petaſit. viſci querni ana* ℥ *ij*, *ſantali citrini, ligni aloës ana* ℥ ß, *ſem. card. bened. acetoſ. citri, cortic. ejuſdem, ana* ʒ *j*, *baccar. junip.* ℥ ß, *ulmar.* M. *ij*, *flor. calend. anth. borrag. violar. ana* P. *j*. Macerentur in *hydromelitis* ℔ *iij*, fervefiant, & poſt doſis ſit ad ℥ *iiij*, ſingulis diebus manè. Juſculum ſequens ad eundem finem præſcribit *Quercet.* ſcilicet juſculum carnium alteretur *capparibus, paſſulis, dente canino, aſpar. acetoſ. pimpin. borrag. hyſſop. thymo, floribus calend. cryſtallo tartari*, aut *ſalibus abſynth. artemiſ. meliſſæ, ceterach*: Præparatâ hujuſmodi remediis per aliquot dies materiâ, poſtea purganda eſt, quòd fiet, ſi prædicti apozematis libræ uni addamus *fol. ſennæ* ℥ *iij*, *ſem. carth.* ℥ *j* ß, *agarici* ʒ *vj*, *mechoacam, hermodact. turbith ana* ℥ ß, *galangæ, caryoph. nucis moſcatæ ana* ʒ ß. Coquantur, & colatura adde *ſacch.* ℥ *iij*; fiat apozema in quatuor doſes. Et quidem prædicta etiam omnia in vino infundi poſſunt, & fieri vinum medicatum. Vel ℞ *aquar. fumar. cichor. meliſſæ ana* ℔ *j*, *vini hiſpanici* ℔ *j* ß, *mellis* ℔ *j*; coque & deſpuma: dein adde *dictamni cretici* M. *j*, *orig.* M. ß, *guajaci* ℥ *j*, *cinnam.* ℥ ß, *caryoph. ſem. aniſi ana* ʒ *ij*, *fol. ſennæ* ℥ *iiij*, *turbith, hermodact. ana* ℥ *j* ß, *helleb. nigri, agarici ana* ℥ *j*, *dactyl.*

N. *v*,

N. v, *flor. hyper. & calend.* P. j. Vas occlusum stet in loco tepido per biduum vel triduum materia sponte suâ decoquetur & bulliet. Cessante ebullitione, post diem sextum vel octavum, trajice per manicam *Hippocratis*. Dosis sit ad ℥ ij, in chronicis affectibus, cui simile præscribit *Quercetanus*. Pariter præscribi possunt pilulæ, vel opiata laxans & aperiens; ℞ *conservæ violar.* ℥ j, *cathol. elect. de citro solut. diacarth. ana* ℥ ß, *tartari vitriol.* ʒ j, *sennæ, hermod. ana* ʒ j ß, *agarici trochisc.* ʒ j, *rhab.* ʒ ij, *spicæ nardi* ʒ ß, *cum syr. rosar. solut.* fiat opiata, cujus dosis sit ad ℥ j in bolo, aut dissolvendo in decocto *cicerum rubror.* Quidam commendant bolum ex *terebint.* cum *saccharo*: ℞ *pilul. de hierâ* ʒ ij, *agar. trochisc.* ʒ j, *ammon. myrrhæ, opopan. ana* ʒ ß, *tartari vitriol.* ℈ ij, *cinnam. mastich. spicæ ana* ℈ j, *trochisc. aland. diagrid. ana* ℈ ß, *cum syr. de artem.* fiat massa, cujus dosis sit ad ʒ j. Sed præterea vomitus in hoc contumaci malo utilissimus est, vidique virgines solo vomitu curatas: Fiat autem ex *antimonio praparato*, aut *vitriolo*, aut *azaro*. Plurimæ illarum spontè vomunt; plurimas enim in ventriculo & mesenterio habent cruditates, quibus per vomitum vacuatis, fomes morbo subtrahitur. Sed *Varandæus* vomitum improbat ex stibio, quoniam pertinaces ejusmodi obstructiones non ferunt catharsin ex malignis istis & vehementibus purgantibus, à quibus utplurimùm in syncopen & gravissima tormina conjiciuntur. Verùm id intelligendum est tantummodo antequam humores crassi attenuentur; illis enim præparatis, facilè vomitorio educuntur. Sic igitur vicissim modò præparanda est materia, modò purganda, donec omnia evanuerint symptomata, quòd in quibusdam citiùs, in aliis tardiùs contingit, pro morbi gravitate, variâ victus ratione & cæteris circumstantiis. Postea ad deobstruentia veniendum, ad quod commendantur decoctum *scabiosæ*, *tinctura florum amaranthi purpurei, cortex arantiorum in vino albo ad* ʒ j exhibitus; decoctum *veronicæ maris, puleg. hyssopi, sal corticum arantior. & citri, conserva calend. elixir vitæ Quercet. decoctum splenis bovis.* Sed *Mercatus* valdè commendat *radicem scorzoneræ* & *lapidem bezaar.* Verùm huic lapidi non multum fidendum puto, sive quòd reverà non magnarum est virium, sive quòd rarò verus reperiatur, nec facilè verus à falso dignosci potest. Alia quoque quæ viscera deobstruunt, huc referri possunt. Et cùm sumuntur, utile erit uti fotibus, vel balneis ventris inferioris, sic enim faciliùs humores in habitu corporis attenuantur, viæ reserantur, & quæ potu assumuntur, faciliùs corpus pervadunt; ut ℞ *rad. alth. lilior. ireos, enulæ camp. ana* ℔ j, *fol. mercur. artem. pariet. tanaceti, ma-*

tricar. ana M. vj, *sem. lini, fœnugr. ana* ℥ ß; decoque in aquâ fontanâ pro semicupio aut fotu. Sed inter deobstruentia limatura chalybis præcipuum locum obtinet, quæ syrupis, electuariis, tabellis, pulveribus, aliisque remediorum formulis admisceri potest. *Aqua*, quæ defluit ex cote, cùm acuuntur enses, si in eâ hepatica & splenica coquantur, valdè conferre dicitur ob vim chalybis, & rebelles ac contumaces obstructiones tumoresque inferioris ventris discutit. Nec tantùm ipse chalybs, purissimum scilicet ferrum, sed & squama illius & rubigo, & quælibet ferri pars ad id præstandum idonea esse creditur. Scribit *Dioscorides* squamam chalybis sive stomomatis vires habere easdem cum squamâ æris, scil. adstrictoriam extenuantem, reprimentem, erodentem, pota ex aquâ mulsâ aquam trahit. Et *Galenus 9 simpl. Omnes*, inquit, *squamæ non instrenuè mordaces sunt*, & liquare carnem vult. Sed *Aëtius lib. 10. c. xj.* agens de *curâ scirrhi lienis* clarissimè id explicat: *Convenientissimum*, inquit, *spleni scirrhoso remedium existit ferrum, vino, aquâ aut poscâ extinctum. Ea ipsa enim aquâ, vinum aut posca in principio exhibita jucundissima & utilissima existunt, & per plures ex ordine dies dantur: Itaque febrientibus aquam aut poscam dilutam præbeto*; *eis verò qui teneram carnem habent & febre carent, vinum. Sit autem ferrum quòd in ipsis extinguitur, stomoma. Ipsius autem stomomatis squama (quam in fabrilibus Officinis ferrum, dum ignitur & malleo tunditur, abjicit) postea agrestioribus hominibus utiliter exhibetur. Præclarè enim hæc splenem liquefacit, utpote quæ consumendi facultatem præstat: quare aliarum rerum complexu opus habet, ne inde stomachus malè afficiatur.* Ideò jubet in calidioribus naturis admiscere pelecini semen, aut scolopendrium, aut absynthii comam, aut rumicis radicem, aut semen. In frigidioribus autem *cassiam, amomum, costum, anisum, serpillum* & similia. *Cornelius Celsus aquâ fabrorum* consumi lienem scripsit; estque in quibusdam Medicorum libris Electuarium è scoriâ ferri, secundum *Rhazis* aut aliorum descriptionem. Sed præterea adstringere, fluxionesque siccare quotidiana docet experientia, & *Aëtii* aliorumque Medicinæ interpretum authoritas. Quomodo utrumque præstet, non facilè est investigare, suntque dissentientes hâc de re Medicorum opiniones, sicut de ipsius temperamenta calidumne sit an frigidum. Frigidum esse videtur, quoniam fluxiones adstringit, consistentiâ terreum est, eamque à frigore obtinet, & *Galenus* ad aurium ulcera nil præstantius ipsius scoriâ invenit. Contra caliditatem arguunt, quoniam alvum solvit, scirrhos lienis dissipat, reserat, attenuat, & docente *Gal. 9. simpl.* sicut & reliqua metalla substan-

ſtantiam habet igneam. Dicunt igitur quidam chalybem variis & heterogeneis partibus conſtare, calidis & frigidis, ſicut & aliis quampluri-mis medicamentis contingit, quæ diverſis qualitatibus ſunt prædita, unâ parte adſtringere, alia verò aperire, attenuare, incidere. Partium iſtarum naturam quidam præterea ſic explicant, conſtare ſcilicet ſulphure & mercurio. Propter vim ſulphuris calefacere & aperire; propter mercurium adſtringere, denſare, fluxiones ſiſtere. At mirum eſt mercurium hanc habere vim ſiſtendi, cùm ipſe valdè penetret, & certum eſt unam eandemque aquam chalybeatam, in quâ ſcilicet ferrum extinctum fuit, ab *Aetio* & *Celſo* tùm ad dyſentericorum profluvium, tùm ad lienem induratum præſcribi. *Mercatus Cap. de ſcirrho uteri* multùm ſe torquet in explicandâ iſtâ partium diſtinctione, & multa dicit quæ vix poſſunt intelligi. Vult autem vim purgandi habere non levem, ob maximam ſulphuris & mercurii copiam; & cùm ſit rudius inter metalla, plurimum habet de materiâ horum principiorum, unde fundit, attenuat, expurgat, vomitum & alvum movet, non trahendo, ſed potius irritando. Idque probat quia Chymici in præparatione croci Martis igne ſæpiùs adhibito ſulphureum recrementum & mercurium expurgant, quæ ſi remanerent, non parùm purgaret. Præterea vult in ferro ſulphur & mercurium duobus modis inveniri, uno quatenus ſunt ferri ſubſtantia, ſed aliud eſt quaſi illius alimentum, quòd crudius, craſſius & pernitioſius eſt. Puriorem autem mercurii & ſulphuris ſubſtantiam vult eam eſſe quæ purgandi vim habet; crudiorem verò non niſi corrumpendi, ideò præparandum eſſe chalybem, ſed variis modis: uno ut fluxiones ſiſtat, alio verò ut aperiat. Ut ſiſtat, vis ſulphuris & mercurii auferenda eſt & ſeparanda, quòd fit grandi igne & frequenti extinctione, unde prima aqua abjicienda eſt, quæ vim purgantem non minimam habet. Ad obſtructiones verò aperiendas hæc ſervanda, ideò primæ infuſiones proſunt, conſulitque in obſtructionibus inveteratis, ut eadem limatura ſemel aut bis tantùm accendatur & extinguatur; ſæpius enim ſuccenſa, vim purgandi amittit, & propterea ſæpiùs in eâdem aquâ nova limatura extinguatur; ſed hæc omnia falſa ſunt: nam ipſa ſcoria ferri quæ primâ ignitione ſecerni ſolet, etiam adſtringit, deberet autem ſolummodo purgare. Ipſe etiam ſibiipſi contradicit; nam eodem Capite eligit limaturam acuum, aut armorum, aut alterius chalybis qui vim ignis ſæpiùs expertus eſt: at ejuſmodi chalybs ex ipſius ſententiâ potiùs adſtringit quàm aperit. Præterea quæ dicit de ſeparatione mer-

curii & ſulphuris à chalybe vana ſunt, nam poſt centeſimam extinctionem, ſi quid remaneat, chalybs eſt, & propterea mercurio conſtans & ſulphure, aliàs metallum eſſe deſineret, ſi hæc ſunt illius principia. Vanum quoque eſt quòd de duplici ſulphure & mercurio ſcribit. Sed præterea falſum eſt unam eſſe viam præparandi ad fluxiones, aliam ad obſtructiones, cùm una eademque præparatio utrumque præſtet. Scio Chymicos facere crocum Martis unum adſtringentem, alium aperientem, ſed hæ nugæ ſunt, idem enim crocus utrumque præſtat. Sic Electuarium *de ſcoriâ ferri* utrumque affectum ſanat; Falſum denique eſt poſtremas extinctiones magis adſtringere, contrarium enim verum eſt, alvum enim magis turbant, & vomitum concitant. Idque etiam ex eo probatur, quòd ſæpiùs ignitus chalybs in ſubſtantiâ aſſumptus vomitum facit. Ideò *Rodericus à Caſtro* credit ſuperficiarias extinctiones dyſenteriam ſedare, ſæpius repetitas ob ſolutam metalli compagem obſtructiones tollere, multò magis ſi ſolida ſubſtantia aſſumatur. Propterea alii qui utramque vim eidem ſubſtantiæ ineſſe putant, dicunt chalybem exſiccando fluxiones curare, & obſtructiones demoliri, humores obſtruentes exſiccando & abſumendo. Alii dicunt id præſtare adſtringendo, ut *Claudinus*; adſtrictionem autem non parum facere ad reſerandas obſtructiones, quòd partes roboratæ melius materiam morbificam vincunt, quâ de re *lib. de febr.* ſatis multa diximus. Alii dicunt naturâ ſuâ adſtringere, ſed facultatem expultricem irritare, quoniam ab eâ vinci non poteſt, ſed quodammodo actuatus dum à naturâ expellitur, ſimul cum illo expelluntur humores noxii & peccantes. Hæ ſunt variæ hominum ſententiæ quæ nihil certi dicunt, tantùm affirmant eſſe chalybis uſum obſtructionibus valdè proficuum. Quidam tamen etiam hâc de re dubitant varias ob rationes, quas *lib. de virginum morbis* collegit *Franciſcus Ranchinus*; I. quia alterari non poteſt à naturâ, hæc eſt eſt enim metallorum conditio, ut caloris nativi vires ſuperent, nec ab eo poſſint in actum reduci, quin potiùs ob malignitatem cujus ſunt participes, illum deſtruant. II. Illius ſubſtantia frigida eſt, denſa, adſtringens, & propterea obſtructionibus augendis, magis quàm aperiendis idonea. III. Si quiſpiam dicat ratione vitriolatæ & ſulphureæ ſubſtantiæ convenire, id falſum eſſe inde probatur, quoniam infuſio vitrioli & ſulphuris idem præſtaret, quòd tamen repugnat experientiæ. IV. Aqua chalybeata adſtringit. V. Scoria & rubigo ferri exſiccant & adſtringunt, propterea ulceribus conveniunt. VI. Si præparetur chalybs

lybs cum aceto, ut ſæpiſſimè ſolet, magis nocebit, quàm proderit, cùm acetum ipſum potum chloroſin inducat. VII. Ferrum exquiſitè limatum convertitur in argenti vivi naturam, & ſic noxium evadit, alvum turbat, vomitum provocat. His autem rationibus quæ non ſunt valdè efficaces, reſpondet: ad *primam*, Infuſionem chalybis facilè actuari, cùm ejus vis diffuſa ſit per materiam liquidam, ſubſtantiam verò non tam facilè, ſed actuationem ſpirituoſæ facultatis juvari, tùm à reductione in minutiores partes, tùm à præparatione. Verùm non adeò ſcrupuloſè puto neceſſariam eſſe iſtam reductionem ad actum, metalla enim in noſtrum corpus agunt, etiamſi ab illo nihil aut parum patiantur, unde & ſcoria ferri & limatura cruda chloroſin curat, quamvis præparatio actionem illam quodammodo juvet. Ad *ſecundam* reſpondeo, hanc eſſe chalybis naturam ut ſimul adſtringat & obſtructa reſeret, ut ſuprà diximus, & varias hâc de re Scriptorum ſententias attulimus. Puto autem conſiſtere vim hanc aperientem in vitriolicâ, non ſulphureâ ſubſtantiâ, cujus participatione aquæ Spadenſes vim aperiendi poſſident. Unde ad *tertiam* reſpondeo, infuſionem vitrioli idem præſtare, nam vomitum & alvum movet, unde ut jam diximus, aquæ vitriolatæ aperiunt. Et malè negat *Ranchinus* infuſionem vitrioli idem præſtare, cùm certus miſtionis modus, certaque temperies concurrere debeant, quæ non ſunt in infuſione. Sed experientia oſtendit, & tartarum vitriolatum & ſpiritum vitrioli, aperire, ipſamque ſubſtantiam vitrioli idem efficere, ut rectè in vitriolo vomitivo cernere licet, quamvis magnam vitrioli quantitatem noxiam eſſe certum ſit, poſſe tamen eâ quantitate exhiberi quæ non noceat, experientia multiplex confirmavit, & in hoc morbo vitriolum utiliſſimũ eſſe minimè dubium eſſe debet. Ad *quartam* etiam reſpondet *Ranchinus* errare vulgus in uſu aquæ ferratæ, quia prima, ſecunda & tertia extinctio rejicienda eſt, quia mutuatur vim ſpirituoſam ferri, & turbat alvum, ideò frequenti extinctione vis ſulphuris & argenti vivi auferenda eſt & ſeparanda, ſed malè; nam poſtremæ extinctiones magis alvum turbant, quàm primæ, ut jam ſupra diximus. Ad *quintam* dicendum, ſcoriam & rubiginem ferri non ſolùm adſtringere, ſed etiam aperire, ut etiam ſuprà diximus, eſtque hoc ſoli ferro conceſſum. Ad *ſextam* dicimus, magnam aceti quantitatem poſſe inducere chloroſin, ut ſi ſorbitio fieret ex aceto. Verùm in præparatione chalybis aceti vis evanuit, & propterea ſola remanet aperiendi virtus in chalybe, quam permiſtio aceti juvat, ſic enim humores craſſos poten-

tiùs extenuat & faciliùs penetrat. Ad ſextam reſpondeo poſſe chalybem eximiè depuratum & tritum albeſcere, falſum tamen eſſe, ullum metallum limaturâ aut triturâ, aut quovis alio modo in mercurium degenerare, quicquid Chymici quidam dicant; multi enim illorum magis ingenui ſunt, quàm ut id aſſerant. Sed malè reſpondet *Ranchinus*, non eſſe metuendam iſtam reductionem in hydrargyrum propter præparationem & ſeparationem impuritatis, atque argenti vivi. Nam falſum eſt argentum vivum ab illo ullâ præparatione ſeparari.

Variis autem modis præparari ſolet: Præparatus autem admiſcetur ſyrupis, electuariis, pulveribus, aliiſque remediorum formis. Veteres crudo minimeque præparato utebantur, aut ſaltem ſolam cognoſcebant infuſionem in aquâ vel vino. Et certum eſt, etiamſi non præparetur, operari tamen potenter, & vim ſuam exerere. Certum tamen eſſe debet præparationem eſſe tutiorem & elegantiorem, tum quia partem excrementitiam ſeparat, malignitatem (quæ omnibus metallis ineſſe ſolet) emendat, etiamſi forſan eam prorſus non tollat, craſſam ipſius ſubſtantiam attenuat, penetrationem juvat. Sic natura aquas metallicas nobis porrigit, in quibus metalli ſubſtantia purior & ſpirituoſa ſola continetur, quàm Naturæ præparationem, ſi ars aſſequi poſſet imitando, omnium optima foret. At quoniam id ſperare non licet, aliàs quàm fieri poteſt optimas in uſum adhibebimus. Id autem ſuadent Medicinæ Scriptores, ut pro ratione partium affectarum variè præparetur, cum ſtomachicis, hepaticis, ſplenicis, prout ventriculus, jecur, aut hepar malè ſe habuerint.

Cautiones autem quædam ſumendo chalybem ſunt obſervandæ. *Prima*, corpus priùs exactè præparandum eſt, attenuantibus medicamentis, levioribus exercitiis & præmiſsâ purgatione, ne ſcilicet ad partes obſtructas vi ſuâ penetrante, humores noxios potenter deducat, ſicque obſtructiones augeat. *Secunda*, exquiſita ſit victus ratio, non debet tamen exhiberi cum nutrimento, quoniam metallum eſt contra naturam, vomitum ciet, aut vi ſuâ aperiente alimentum deducet ad partes obſtructas: Id tamen *Ranchinus* ſolummodo verum eſſe putat de ſubſtantiæ permiſtione, infuſionem autem cum aquâ & vino laudat, quia vias liberiores reddit, & alimenti diſtributionem juvat, nec metuendam eſſe alimenti excluſionem, cùm Natura retineat quòd ſibi familiare eſt. Verumtamen etiam propter rationes dictas infuſio reprobanda eſt, alvum enim & vomitum movere poteſt & alimenti ad partes affectas diſtributionem

tionem immaturam, major enim in infusione quàm in substantiâ aperiendi vis inest. *Tertia*, volunt commodius vere & autumno quàm æstate aut hyeme exhiberi. Hyeme omnes meatus obstructi sunt, sic minus liberè corpus pervadit vis medicamenti. Æstate flagrant viscera, ideò magis accenduntur ob vim remedii & exercitii violentiam, unde periculum est ne febris accendatur; ideò ob aëris temperiem, ver & autumnus præferri debent. *Quarta*, cùm sumitur, validè corpus est exercendum ante & post sumptionem; nam exercitatio poros aperit, & chalybis distributionem promovet, & donec fatigatio succedat, fortiter est deambulandum: Postea si sudor erumpat, sinendus, aliàs non provocandus, aut si somnus succedat, non nocebit. Sed tamen certum, ut notat *Claudinus*, multos in lecto decumbentes sanatos fuisse, ut non sit necesse semper assumpto chalybe corpus exercere. *Quinta*, jubent quidam, ut sumpto chalybe hauriatur aliquid vini aut aquæ calidæ, ad illius distributionem juvandam, dein finito exercitio, cibus aliquis eupeptus sumatur, ut sunt *ova, carnes pullorum gallinaceorum* & similes, cum *capparibus, asparagis*, &c. Demum pro variâ morbi pertinaciâ vel longior vel brevior erit sumendi terminus, tamdiu ergo sumatur donec omnia evanuerint symptomata, pristinus faciei color, corporisque vigor redierit, mensesque prorumpant, ut fusè explicant *Mercatus* & *Rodericus à Castro*. Indicant igitur chalybis usum viscerum imbecillitas, obstructiones contumaces, quales in tertianis nothis & quartanis observantur. Prohibent autem plethora & cacochymia, quæ ideò priùs tollendæ sunt, virium debilitas, insignis totius corporis macies, calida intemperies ut in febribus ardentibus.

Variis autem remediorum formulis admiscetur, syrupis, electuariis pulveribus, aliisque, ut legere licet apud *Mercatum*, qui varias ejusmodi formulas descripsit, à quo & *Claudinus* & *à Castro* suas desumpserunt. Si prædicto syrupo aperienti addatur, erit syrupus de chalybe non inferior syrupo *Mercati*. ℞ *limaturæ chalybis præpar.* ℥ *iij, trochisc. de eupator. de cappar. ana* ʒ *ij, baccarum lauri, junip. visci quercini ana* ʒ *j, cinnam.* ʒ *j, caryophil.* ʒ *ß, origani, schœnant. ana M. j, dictamni cretici M. ß, croci, spicæ celticæ ana* ℈ *j, vini albi optimi* ℔ *vj.* Infundantur simul per aliquot dies, dein sumat hujus infusionis cochlearia quinque singulis diebus manè. Sequens est *Quercetani*; ℞ *chalybis præpar.* ℥ *iiij, rad. eryngii, enulæ, rubiæ ana* ʒ *vj, corticis mediani fraxini, rad. filicis, santali citrini ana* ℥ *ß, sem. fœnic. baccar. junip. granor. kermes, coralli rub. rasuræ eboris ana* ʒ *iij, folior.*

chamæd.

chamæd. ceterach ana M. j, *orig.* M. ß, *flor. genistæ, anthos, epith. ana* P. j, *caryoph. macis, cinnam. ana* ℥ j, *vini albi* ℔ x; Macerentur per dies aliquot.

Pulveris hæc erit formula; ℞ *specier. aromatici ros. diamb. ana* ℈ j, *diarhod. abbat. triasant. ana* ʒ ß, *dialaccæ* ℈ ij, C. C. *usti* ʒ ß, *sem. dauci, aspar. ana* ℈ ij, *spicæ nardi* ℈ ß, *limat. chalybis præpar.* ʒ ij, *sacchari* ad pondus omnium, fiat pulvis; cujus dosis sit ad cochleare unum manè, superbibendo parùm *vini albi*, & fortiter deambulando: vel cum *saccharo* in *aquâ melissæ* dissoluto fiant tabellæ ponderis ʒ ij: Vel ℞ *chalybis præpar.* ʒ iij, *magister. corall. perlar. ana* ℥ j, *flor. sulph.* ʒ ß, *salis junip. absynt. ana* ℈ j, *pulver. diatriasant. & cinnam. ana* ʒ ß, cum *saccharo* dissoluto in *aquâ cinnam.* fiant tabellæ.

Vinum autem, cujus elegantem descriptionem etiam habet *Fallop.* & syrupi, ac reliquæ liquidorum formulæ actu calidæ debent usurpari, quòd in reliquis non est observandum, semel in die per horas quatuor ante cibum, fortiter deambulando ad sudorem usque inclusive; incipiendumque est à minori quantitate, quæ sensim augenda est, pro viribus ægrotantis & morbi contumaciâ. Observabit interea Medicus, num æger chalybem excernat necne, quòd ex fæcum nigredine cognosci potest; aliàs, si non excernatur, quinto aut sexto quoque die vel clystere, vel eccoproptico alvum movebit; imò utiliter poterit chalybem purgantibus admiscere, ut aperiat & in corpore non subsistat. Plura de usu chalybeatorum apud prædictos authores legi possunt.

Si prædictis malum non cesserit, sed in habitu corporis serosi humores abundent, utile erit illos sudorificis evacuare, quamvis ut advertit *Fernelius*, obstructis visceribus difficile est sudores movere; sed tamen etiam sudorifica vim habent obstructa reserandi; crassos enim humores attenuant & educunt: talia sunt decocta *guaiaci, sassafras, sarsæparillæ chinæ, aquæ thermarum potæ*, tum balnea tàm naturalia ex ipsis thermis, quàm artificialia ex decocto aperiente & resolvente. Vis enim istorum balneorum etiam usque ad interiora penetrat, nec tantùm tertiam corporis regionem, sed etiam primam, secundamque expurgant. Et interea dum in balneo sedet æger, possunt aperientia medicamenta propinari. Laconica quoque sive thermæ siccæ ex usu esse possunt. Fiant autem balnea ex decocto herbarum nervalium, ut *artemis. matric. lauri, nepetæ, ebuli* &c. ut jam superiùs diximus. Et de hoc affectu jam videtur dictum satis.

Sed

Sed tamen quia Veteribus minùs notus fuisse creditur, elegantem illius curationem ex *Aëtio* loco citato explicemus. *His*, inquit, *plurimos labores imperabimus & edulia calidiora: Vinum fulvum, odorum, vetus, minimè dulce, vinum quoque aquâ marinâ dilutum. Medicamenta calore suo sanguinem dissolvant, thymi, puleg. calaminth. dictamni, abrot. irid. asphod. corticis rad. mori, mercur. cass. carpesii, schœnant. spicæ Indicæ & celticæ, acori, mei, phu, sabinæ, azari* & similium decoctum. Hæc singula in *vino albo* coquantur, & *vinum colatum calidum à balneo*, jejunis bibatur. *Succus cyrenaicus ervi quantitate potus, aut opopan.* ʒ j, *aut sagapeni tantundem, aut myrrha magnitudine fabæ, aut castorei* ʒ j, *aut nigella pota & sublita. Idem possunt seminum nobis familiarium decocta, veluti cumini, fœnic. petros. laver. dauci, ammi, cicerum.* Est & hoc efficacissimum, *puleg. artemis. salv. rutæ, anethi, ana M. j, piperis gra. xx, aquæ sextarios duos. Piper contusum cum herbis, per noctem aquâ maceratum manè coquatur ad dimidias, adde mellis q. s. & cyathi duo jejunè exhibeantur: Ipsa verò sensim ambulare jubeatur, & lecticâ gestetur. Tempus autem commodum est, aut instante purgationis tempore, aut statim post unctionem fomentum & balneum bibat, ita ut in calidum adhuc & solutum corpus illabens medicamentum vires suas efficacius declaret.* Si hæc nihil profuerint, alius potentior modus exquiretur, & mulierem se curasse dicit, purgante pharmaco ex euphorbio, & petroselino. *Si redundans humor atra bilis fuerit, epithymi* ʒ v *exhibeto, cum oxymelitis heminâ, pauco sale adjecto. Plerisque etiam vomitus profuit; sed ante vomitum sumant thymi, aut orig. aut hyssopi decoctum: deinde post vomitum, centaurii aut absynth. cremorem. Quin & pessis utendum, sed non valentioribus, ex elat. canthar. ciclam. felle bubulo, veratro. Periculum enim est ne ex ejusmodi medicamentorum vehementiâ, inflammationes, ulcera & febres exoriantur.* Hactenus *Aëtius*. Sed præterea quidam symptomatum curationem tradunt; possunt enim interdum adeò urgere, ut omissâ curandi methodo, ad sese totam Medici curam revocent, ut sunt *palpitatio, capitis dolor, vomitus, vigiliæ* &c. solent tamen morbo curato sponte cessare. Illorum autem hoc Capite non faciemus mentionem, quoniam inter affectus hystericos sequentibus Capitibus de illis fusè differemus.

CAP. V.

DE AFFECTIBUS HYSTERICIS IN GENERE.

SCio à quamplurimis Scriptoribus, tùm veteribus, tùm recentioribus nomine suffocationis hystericæ, affectus omnes hystericos comprehendi. Rectius tamen *Ludovicus Mercatus*, quem alii postea secuti sunt, eos distinxerunt, cùm suffocatio sit unica tantùm species ab aliis distincta, sed omnium gravissima. Hystericos autem affectus ea vocamus symptomata, eosque morbos qui non in utero ipso, sed in aliis partibus contingunt ob consensum quem habent cum utero. Uterus enim cum omnibus partibus aliquem consensum habet, & præcipuè cum iis quæ in abdomine continentur, quibus per venas, arterias, nervos, membranas, ligamenta sua connectitur & alligatur. Fiunt autem prædicta à variis excrementis in utero retentis, præcipuè à semine & sanguine menstruo, quando vel retinentur, vel alterantur, vel corrumpuntur, vel exuberant. Mulieribus jam viro maturis ut docet *Hippocrat.* & nos jam sæpiùs diximus, Natura sanguinem ad uteri venas immittit, qui si quando ob earum angustiam, vel obstructionem, vel ipsius sanguinis crassitiem effluere non possit, vel remeat in viscera, vel in ipsis uteri venis corruptus, vapores tetros reliquis partibus communicat, ut Cap. præcedenti diximus. Idem de semine etiam dicendum est. Hæc autem si tantummodo in qualitatibus primis permutentur, æstuationes faciunt, inquietudinem, sitim, dolores varios; sed si putrescant, aut malignam qualitatem acquirant, etiam prædicta concitant symptomata, & alia multò graviora, sæpèque lethalia, non tantùm in diversis fœminis, diversisque temporibus, sed etiam in unâ eâdemque simul eodemque tempore. Quo enim res quæque naturâ suâ purior est & subtilior, eò graviùs putrescit quando corrumpitur, & in veneni naturam degenerat. Varietatis autem horum symptomatum causam faciunt multiplicem. *Prima* est materiæ putrescentis varia quantitas, nam in minori quanto minor est virtus; Igitur si humoris corrupti exigua sit copia, quid mirum, si leviores inde affectus pullulent, breviores & facilè curabiles, quique spontè sæpissimè cessent. Contra verò si maxima sit quantitas, periculosi, longi & curatu difficillimi redduntur. *Secunda* est varius putredinis modus, interdum etiam inexplicabilis, veneni

veneni vim & naturam interdum induens. Sæpè etiam sola est in qualitatibus manifestis immutatio, & etiam aliquando sola quantitas excedens absque ullâ in substantiâ labefactatione. *Tertia* est vitiosorum humorum cum semine & sanguine menstruo permistio, quæ variam labem ipsis inducit. *Quarta* erit diversus uteri locus, in quo materia putrescit. *Quinta* & ultima diversitas erit partium quibus uterus mali causam suppeditat. Diximus in *Pathologia* partes aliis consentire ob substantiæ similitudinem, operis societatem, viciniam & vasorum communionem. Sic uterus omnibus partibus nervosis & membranosis consentit, ob substantiæ similitudinem, quia ipse nervosus est & membranosus, sic & vesicæ & intestino recto per viciniam, reliquis partibus per sua vasa & ligamenta: Venas habet à ramis præparantibus & hypogastricis, arterias pariter à ramis præparantibus & hypogastricis, nervos partim à sexto pari, partim ab osse sacro; inde varius cum reliquis partibus consensus. Cum cerebro per nervos & membranas spinalis medullæ, sæpiùs per venas & arterias, per quas tetri vapores capiti communicantur, unde cephalalgiæ, deliria, epilepsiæ, tremores, convulsiones, aliaque affecti capitis symptomata, prout vel membranas, vel substantiam & ventriculos afficiunt, unde motus sensuum tùm internorum, tùm externorum læsiones, excepto utplurimùm auditu, qui sæpè integer permanet. Cum corde verò per arterias, per quas facilè & directè vapores ab utero in cor feruntur, & sic facilè diaphragma pulmonesque afficiunt, unde respirandi difficultates, anxietates, syncopæ, suffocationes, mœrores, & interdum desperationes; quod si vapor in thoracis membranas per arterias effundatur, dolorem illic gravem excitat. Pariter hepati facilè consentit per venas, unde cachexiæ, obstructiones, scirrhi, aliique affectus: Sic & lieni per arterias, unde hypochondriaci affectus, murmura, dolores, cruciatusque ventris, estque hic consensus adeò frequens & familiaris, ut plurimæ tantummodæ se affectibus splenis tentari dicant, cùm tamen etiam ab utero laborent, nec facilè est hosce affectus internoscere. Imò sæpissimè conjunguntur, unusque alium accersit; nam si lien principium malo dederit, uterus utplurimum labem suam admiscet: & contrà, si causa mali in utero primùm sese exerat, vix incolumis perseverat lien, sed inter cætera viscera maximè afficitur, unde in sinistro hypochondrio dolores ab utero sæpè percipiuntur. Unde mulieres quibus in juventute suppressa fuere menstrua, tandem ingravescente ætate, sæpè fiunt hypochondriacæ, & etiam scorbu-

ticæ, si prava victus ratio accesserit, & per arterias etiam mesenterium afficit, illique vapores communicantur. Præterea quoque ventriculum in consensum trahit, quoniam uteri venæ cum venis mesenterii anastomosi conjunguntur, unde ciborum fastidia, picæ, malaciæ, vomitus, cardialgia & alia ejusmodi symptomata. Nec tantùm per venas, sed etiam per arterias fieri potest ejusmodi consensus, propter varias venarum & arteriarum anastomoses, per quas ex venis in arterias, & contrà ex arteriis in venas tetri vapores distribuuntur, unde postea in ventriculum ferri possunt. Mammas etiam utero consentire per anastomoses epigastricæ cum mammarum venis in recto musculo factas, dicemus suo loco. Quin etiam per nervos fieri posse hunc consensum hinc apparet, quòd, mammis blandè contrectatis, etiam uterus ad libidinem concitatur, Ita ex solo utero varia fiunt symptomata, de quibus ordine agemus, à Capite originem sumentes.

CAP. VI.

DE DOLORE CAPITIS EX UTERO.

GRavissimos in capite dolores virginibus, viduis, aliisque quibus menstrua supprimuntur fieri, satis familiare est, idque vel in toto capite, vel in alterutro latere, vel in posteriori parte, vel in anteriori juxta oculos, suntque graviores quàm viris, quòniam mulieribus suturæ arctiùs consertæ sunt, ex quibus nihil aut parùm exhalare potest. Quamvis autem variis in partibus, sicut diximus, fieri possit hic dolor, præcipuè tamen in syncipite fieri creditur, docente *Galen. 6 Epidem. sect. 1. aph. 1.* varias ob causas: 1. quia arteriæ & venæ per quas vapores in caput feruntur, in sinciput desinunt, quibus membranæ distentæ dolorem percipiunt: 2. quia etiam sanitatis tempore tenues vapores per suturas ob illarum hâc in parte laxiorem compagem & cranii tenuitatem faciliùs exhalant: 3. quia membranæ cerebri per tenues fibras pericranio connectuntur, quæ membranulæ cùm valdè sensiles sint, pars anterior cerebri faciliùs quâlibet de causâ indolescit. Addunt alii & has, quia cerebrum eâ parte copiosius est & debilius, partes quoque illic magis sensiles, unde frequentissimè in syncipite quilibet capitis dolor percipitur. Rationes enim illæ quæ afferuntur à *Galeno*, communes sunt omni capitis dolori per partium inferiorum consensum genito. Alii verò scribunt cephalalgias ab utero potiùs in occipite & posteriore capitis

pitis parte contingere, ut scribit *Joubertus Cap. de cephalalg.* se experientiâ deprehendisse dolores ab utero verticem & occiput magis afficere, hancque esse viam distinguendi dolores à ventriculi consensu obortos ab hystericis, quòd illi in sincipite, hi verò in occipite fiant & vertice. Et *Langius* quoque refert solum verticem in hystericis affici, ubi mulieres se pondus aliquod & glaciem frigusque sentire conqueruntur. Verumtamen certum est in qualibet capitis parte posse fieri hos dolores, prout quædam capitis pars aliis debilior est: solet enim Natura in partes debiliores sese exonerare, aut calidior, sicque potentius humores allicit, utplurimum autem fit in sincipite & occipite, sed variâ ratione. In sincipite quidem quando per venas & arterias vapores transmittuntur, ob rationes dictas, quæ etiam communes sunt cuilibet dolori per vapores in caput sublatos generato. Imò etiam in ipso idiopathico dolore sæpiùs anterior quàm posterior pars afficitur, unde per nares & os cerebrum sese evacuat, quæ sunt partis anterioris emissaria. In occipite verò dolor fit, quando non per fumos & vasa consensus fit, sed per aliud sympathiæ genus ob generis & substantiæ similitudinem: Uterus enim substantiâ membranosus connectitur spinæ per nervos & vincula, nam partes nervosæ nervosis facilè sua mala communicant, ut rectè docet *Rondelet. cap. 5. lib. 1. Practica.* Ideò quia uterus spinæ adhæret per nervos, qui ab occipite habent originem, fit ut illic etiam dolor sentiatur, sicut orificium superius ventriculi cerebro, & cerebrum superiori ventriculo facilè consentit. Quæ autem de differentiis doloris capitis aliàs diximus, huc referri possunt, nam dolor hic potest esse gravativus, pulsans, tensivus, vel totum caput, vel partem tantum aliquam potest afficere, & sic de cæteris.

Doloris autem hujus causa est vel vapor, vel humor. Vapor quidem ex sanguine retento & putrescente sursum fertur in caput. Sanguis quoque incalescens illuc etiam ferri potest; cerebrum siquidem incalescens instar cucurbitulæ ad se trahit partium inferiorum expirationes. Qualis autem humor ille vel vapor est, talis etiam dolor capitis existit, nam vel solâ copiâ peccat, vel acrimoniâ & aliis qualitatibus, & sic dolor fit pulsans, tensivus, ulcerosus: utplurimum autem pulsans arteriis ferviori sanguine repletis. Addit *Rodericus à Castro*, usum fortioris lixivii, quo caput lavare solent quædam mulieres, tùm etiam veterem capitis morbum, aut acutum sensum, quæ non sunt causæ doloris ex utero, sed viris, & cuilibet dolori possunt esse communes.

Signa. DOlorem autem ægrotans mulier referre poteſt, quem ab utero fieri illud indicat, quòd menſium præceſſit aliquod vitium, vel enim diminutè fluunt, vel inordinatè, aut omnino ſupprimuntur, dolorque augeri conſuevit circa menſtruorum tempus. Quòd ſi etiam in occipitio fuerit, id proprium eſt doloris ab utero profecti. Si ſolus vapor adfuerit, dolor eſt ſine gravitate tenſivus: Si ab humore ſit, gravans erit; ſi ſimplex ſit, ſanguinem, ſi pungens bilem, cum pigritie & torpore pituitam, cum triſtitiâ melancholiam arguit. Reliqua ſigna ex *Capite de dolore capitis* repetantur.

Curatio. AD ſedandum hoc ſymptoma optima victus ratio ſervanda eſt, de quâ alibi diximus abundè. Vitandæ ſunt omnes vehementes animi & corporis agitationes, ut ſunt vociferationes, diuturnæ locutiones, fletus nimii, iracundia. Alvus ſemper libera ſervetur, clyſteribus, pilulis, aliisve remediis, frons, tempora & caput univerſum arctè comprimantur faſciis, ſic enim vapores, humoresque repelluntur, & vehemens arteriarum agitatio prohibetur, quæ interdum tanta eſt, ut caput ſibi concuti ægræ conquerantur. Somnus quoque procuretur. Deinde vena ſecanda eſt, humor noxius purgandus, menſtrua ſi ſuppreſſa ſunt, cienda erunt, ut ſuperiùs diximus. Topica capiti applicabuntur in causâ calidâ frigidiora: In frigidâ verò calefacientia, ut ſunt *oxyrhodina, frontalia, unguenta, emplaſtra,* de quibus *Cap. de dolore capitis.* Utero parti ſcilicet mandanti proſpiciendum clyſteribus carminativis frequenter infuſis, cucurbitis umbilico & cruribus applicatis, *fomentis, ſemicupiis, oleis, unguentis,* &c. de quibus *Cap. de ſuffocatione* dicemus. Ad diverſionem quoque utiles erunt *crurum* & *ventris frictiones, lotiones, ligaturæ, ſanguinis miſſio ex pede,* & tandem ſi prædicta nihil profecerint, *fontanella in crure* optimum erit remedium.

Non tantùm in capite, ſed etiam in cruribus, lumbis, dorſis & abdomine dolores graviſſimi ſentiuntur, ob copiam ſanguinis menſtrui non repurgati, tùm quia partes hæ utero vicinæ ſunt, in quas uterus vitioſos humores & vapores facilè tranſponit, à majoribus ſcilicet venis in minores, & ab his in muſculos & membranas, tùm quia uterus ſpinali medullæ annectitur per valida ligamenta, per quæ ſua vitia partibus illis communicat. Ad curationem frequenter clyſteres injiciantur, cucurbitulæ applicentur cum ſcarificatione; Inunctiones fiant ex *oleo violar. amygd. dulcium, liliorum.* Fotus fiant ex veſicis decocto *anodyno* vel *lacte* plenis: Sanguis ex pede mittatur.

CAP.

Cap. VII.

De Epilepsia Ex Utero.

DE Epilepsiæ naturâ & generatione disputabimus abundè suo loco. Potest autem contingere per consensum, quem cerebrum habet cum utero, quando teter vapor & malignus ex utero sublatus cerebrum ferit, quæ etiam causa est suffocationis hystericæ; Propterea rectè utriusque causa est communis, & sæpissimè per vices sibiipsis invicem succedunt, ita ut modò suffocentur, modò convellantur, interdumque toto corpore, interdum verò determinatâ quâpiam parte, nam quibusdam solum oculi, aliis lingua, aliis artus aut alia quæpiam pars convelluntur, per varia & inordinata intervalla, multaque alia symptomata comitantur, ut deliria, mentis sensuumque læsiones, tàm internorum quàm externorum: Quædam non vident, etiam apertis oculis, aliæ non audiunt, aut loqui non possunt. Quædam fletum continere non possunt, sicut nec aliæ risum, ut refert *Hollerius* de filiâ *Præsidis Rhotomagensis*. Sic varia sunt accidentia, quibusdam plura, quibusdam pauciora.

Omnium causa est venenatus humor vel vapor, ex seminis, vel menstrui sanguinis corruptione genitus, in cerebrum sublatus, & nerveam substantiam feriens; ideò virginibus, viduis, sterilibus atque etiam gravidis contingere potest, omnibus denique illis quæ viro carent, aut menstruorum suppressione laborant, & suffocationi hystericæ sunt obnoxiæ. Vapor autem ille vel per venas & arterias cerebro communicatur, unde varia in cerebro & aliis partibus symptomata contingunt, ad quas venæ & arteriæ pertingunt; vel per nervos, & sic solam epilepsiam generat, quæ est nervosi generis affectio: nec tantùm ab utero immediatè & proximè fit epilepsia, sed etiam mediante quolibet alio viscere. Fieri enim potest ut non in cerebrum, sed in aliud viscus teter humor ille ab utero feratur, quòd postea cerebrum in consensum trahit. Quoniam autem semen & sanguis menstruus variè corrumpuntur, ideò varia etiam sunt symptomata, nam halitus ex semine frigidi sunt, ex sanguine autem corrupto calidi, mordaces, tenues, crassi, caliginosi, alteriusve naturæ. Hinc quædam graviùs & diutiùs, aliæ leviùs & brevi tempore afficiuntur. Ex vapore crasso & copioso, & valdè maligno, gravior, diuturniorque fit affectio: Ex tenui, pauco nec admodum maligno,

ligno, brevior & levior, ut refert *Rodericus à Castro* se vidisse quasdam quæ sedentes & acu pingentes, vultu haudquaquam mutato audiebant & intelligebant colloquentes, verbum tamen proferre non poterant. Has autem causas externæ movere possunt, præcipuè animi pathemata, ex quibus in affectus hystericos mulieres incidisse sæpe observatum.

Signa. EPilepsiam cognoscere facilè est ex convulsivis motibus & aliis signis, de quibus suo loco diximus: eam autem ab utero causam præbente fieri id indicat, quòd plurima comitantur symptomata, quæ affectioni hystericæ sunt communia, quæ jam recensuimus, menstrua supprimuntur, vel secundina retinetur, vel fœtus adest in utero mortuus, vel virili amplexu caret. Rugitus adsunt & murmura in ventre inferiori, dolores adsunt circa lumbos, renes & coxas, respiratio difficilis, cordis palpitatio, raró quoque circa os spuma apparet, quia minùs cerebrum concutitur, quàm ut spumam generet, sed aura illa particulares potiùs nervos obsidet, & quamvis reliquis priventur sensibus, auditus tamen remanet. An autem alterius partis vitium cum utero conjungatur ex partium affectarum signis cognosci potest. Malum hoc gravissimum est & periculosissimum, minùs tamen quàm vera epilepsia, quæ fermè incurabilis est. Quæ autem fit ab utero, curari potest, gravissima tamen habet symptomata, quoniam non tantùm per nervos, sed etiam per venas & arterias teter ille vapor & cerebro & aliis partibus communicatur. Periculosior autem est ea, cujus frequentes sunt accessiones & graviores, & cor simul afficitur: At si rariores fuerint, minùs periculosa est. Potest tamen perseverans in apoplexiam aut paralysin degenerare, si valdè plethoricum corpus fuerit, aut imbecillum.

Curatio. CUratio duplex est, vel in paroxysmo, vel extra paroxysmum: In utraque ad uterum semper respiciendum. Itaque in paroxysmo curandum est ut vapor ille malignus discutiatur, sic fœmina revocatur. Ad id conveniunt fœtida naribus admota, ut *assa fœtida*, *galbanum*, *castoreum*, *sagapenum*, &c. Hæc autem in primariâ affectione nocent, possunt enim epilepsiam concitare, at in sympathicâ ex utero prosunt, quia vapores discutiunt, & uterum in suum locum repellunt. Suaveolentia pariter utero admovenda, nisi mulier gravida sit. Prosunt quoque sternutationes, frictiones, vincula extremorum, cucurbitulæ ventri & cruribus affixæ, clysteres, suppositoria & medicamenta flatus discutientia, interna

interna & externa, ut ſunt *aquæ theriacales*, *aquæ epilepticæ Langii*, *Eraſti* & aliorum. Sed præterea vociferationes, ſtrepitus, pilorum avulſiones, pudendorum vellicationes, & alia quæ *Cap. de ſuffoc. hyſtericâ* dicentur. Extra paroxyſmum primùm ſpectandum eſt ſitne mulier prægnans, necne; nam in gravidis ſtudiosè cavendum ne uſu remediorum fœtus lædatur, & abortus concitetur. Ideo emplaſtris & aquis quibuſdam epilepticis uti ſufficiet; tale eſt *emplaſt. de matrice*, & *ceroneum* cum *oleo liliorum* ſubactum, & non tantùm ventri, ſed etiam dorſo applicatum.

In reliquis quæ gravidæ non ſunt, præcedere debent univerſales vacuationes, ut ſanguinis miſſio ex venis pedum, aut etiam ex venis brachii; ſi magna ſit plenitudo, tùm frequentes & ſæpiùs repetitæ purgationes, per ſyrupos, apozemata, pilulas, electuaria & alias ejuſmodi medicamentorum formulas:. Tùm omnibus utendum remediis quæ menſes provocare poſſunt, de quibus ſatis proprio Capite diximus. Quidam vomitum laudant ex ſtibio præparato, cujus uſu hyſtericam mulierem ita curatam vidi, ut per triennium paroxyſmus non redierit, qui aliàs valdè frequens eſſe ſolebat. In contumaci malo fontanella in utroque crure prodeſt.

Poſt vacuationes inſtitutas roborandus eſt uterus, ejusque vitioſa diſpoſitio emendanda; capitis quoque habenda eſt ratio, quamvis per conſenſum tantùm afficiatur. Ad id proſunt *theriaca*, *mithridat. diamoſchum*, *latific. Rhaſis*, *pleresarchont. oleum ſuccini*, *aquæ theriacales, epilepticæ, hirundinum*, & aliæ ejuſmodi, quas copiosè ſatis loco citato deſcripſimus. ℞ *caſtor.* ℥ j, *pæon. dictamni cretici, rutæ, meliſſæ, majoranæ, thymi, flor. anthos, lavend. ana M.* j, *viſci querni* ℥ ß, *campb.* ℈ j, *cinnam. macis, nucis moſchatæ, ligni aloës ana* ʒ ij, *mithridatii* vel *theriacæ Androm.* ℥ j, *ſpiritus vini* ℔ ij: Infundantur omnia ſimul per aliquot dies; dein deſtillentur, vel ex horum tincturâ fiat extractum. Aquæ dofis ſit cochleare unum cum *ſaccharo*, & guttâ unâ vel alterâ *ſpiritus vitrioli*. *Spiritus caſtorei* deſcriptus in *Pharmacopœâ Londinenſi* proderit. Externa remedia ſunt fotus, balnea ex ſimplicibus uterum reſpicientibus, unguenta ex *oleo rutaceo, laurino, lilior. chamæm. caryoph. aniſi, piperis*, &c. Emplaſtra de *baccis lauri* & alia quæ ad ſuppreſſos menſes & ſuffocationem hyſtericam præſcripſimus. Tandem ſudores provocari poſſunt per uſum *guajaci, ſarſæparillæ* & aliorum ſudores moventium, quæ flatus diſcutiunt, & vitioſos humores tàm in cerebro, quàm in utero abſumunt.

CAP. VIII.

DE MELANCHOLIA VIRGINUM ET VIDUARUM.

INter ſpecies hypochondriacæ melancholiæ recenſeri poteſt ea quæ ab utero promanat, ita ut cum hypochondriacâ ſæpiſſimè conjungatur, nec ab eâ diſtingui poſſit; conqueruntur enim mulieres quæ eâ laborant, de variis abdominis doloribus, præſertim ſiniſtri lateris ubi lien ſitus eſt, & interdum dolor uſque ad ſiniſtram mammā porrigitur, cumque uterus non ſit ſedes melancholici humoris, vix hunc affectum procreat, quin aliud viſcus primùm labefactarit. Hanc autem differentiam inter communem virorum & mulierum melancholiam quidam conſtituunt, ut *Mercatus* & *Rod. à Caſtro*: I. quòd illa à communi causâ proficiſcitur, hæc verò à causâ fœminis peculiari, vitio ſcilicet ſanguinis menſtrui tetrum vaporem in cerebrum exhalante: II. quòd illa continua eſt, hæc verò paroxyſmos habet, & per intervalla tantùm affligit; unde non ſemper mœrent & lugent, ſed interdum rident & valdè hilares eſſe videntur, blando interdum ſanguinis vapore ſeſe melancholico humori admiſcente, & per temporum intervalla lætitiæ ſigna edunt, at poſtea ad priſtinam redeunt triſtitiam: III. quòd illa metum habeat ſolum & triſtitiam, hæc verò alia ſymptomata annexa habet, ut fletum, riſum, anxietatem, deſperationem, dolores ſiniſtri lateris, mammam interdum occupantes. Verùm quis non videt hæc eſſe etiam virorum melancholiæ communia, quæ etiam habet intervalla & aliarum partium ſymptomata, ita ut niſi aliquod aliud hyſtericum pathos melancholiæ huic adjungatur, vix poſſint ab invicem diſtingui.

Virgines autem viduas & ſteriles fœminas magis affligit, quæ vel viro non utuntur, vel menſtrua ſuppreſſa habent, quoniam ut docet *Hipp. lib. de morb. virg.* mulier animi magis eſt dejecti. Itaque virginibus viro maturis, cùm ſanguis in uterum confluit, nec vacuari poteſt, reſilit in cor & diaphragma; inde cor fit *fatuum*, ex fatuitate torpedo, ex torpedine, delirium apprehendit. Viduis autem illas ob mœrorem animi & intermiſſum Veneris uſum, contingere ſolet.

Sunt autem varii hujus affectus gradus, nam quædam levior eſt, in quâ adſunt tantùm ſuſpiria, gemitus, fletus, riſusque immodici. Sicut refert *Liebautius* ſe vidiſſe puellam annos quindecim natam, quæ abſque

causâ

causâ manifestâ assiduè plorabat & gemebat ob menstruorum retentionem, sicut ostendit curatio. Aliasque duas se vidisse recenset, quæ postquam diutissimè absque causâ flevissent, per horam postea risum continere non poterant. Alia gravior est, in quâ adsunt deliria, maniæ, furores, desperationes, quales erant *Virgines Milesiæ*, quæ sese suspenderunt, & *Lugdunenses mulieres* quæ sese in fluvium præcipitarunt. Erit igitur delirium sine febre cum anxietate, timore, fletu & risu contingens. Melancholiæ hypochondriacæ causam Capite proprio explicabimus. In hac verò causa est sanguinis menstrui suppressio, qui tandem in melancholicum excrementum facessit, maximè iis, quibus ex nativâ constitutione temperamentum ad hujusmodi humorem generandum proclive est. Inde teter vapor in cerebrum & cor invadens anxietates parit, spiritus obscurat, unde timor & mœstitia, & si sanguis ille calidior reddatur, maniæ fiunt & deliria valdè gravia, quædam cum risu, quædam seria,& ejusmodi vapore discusso, symptomata hæc evanescunt, donec agitato iterum ejusmodi humore redintegrentur. Nec tantùm vapor cerebrum & cor afficit, verùm etiam ipse humor melancholicus ex uteri venis & arteriis in cor, splenem, mesenterium & viscera hypochondriis contenta regurgitat, & suâ quoque substantiâ hos affectus parit, unde ex sanguinis copiâ & vaporibus comprimitur diaphragma, sicque fiunt suspiria.

Diocles causam hypochondriacæ facit inflammationem venarum mesaraicarum, pylori & pancreatis, cui consentit *Mercatus*, dum causam melancholiæ hujus, de quâ agimus, vult esse inflammationem arteriæ juxta dorsum, quæ ideò interdum vehementissimè pulsare sentitur. In hâc sanguis incalescens tetris fuliginibus cerebrum & cor afficit. Verumtamen hæc causa etiam viris communis est, non mulieribus propria, & præterea febris adesset, quâ tamen carere solent hæ mulieres. Potiùs igitur in uteri venis causa hæc subsistit, unde in vicina viscera regurgitare potest, vel vapore tetro eadem inficere. Non negamus tamen posse ejusmodi sanguinem phlogosin concipere & effervescere, vel putredine, vel calidorum humorum admistione, unde multos flatus acres emittit, qui arterias prope dorsum & lienem vehementiùs impellunt. Retentus igitur sanguis exuritur, ita ut tandem frigidus & siccus evadat. Unde rectè notat *Averrh.* initio affectionem calidam esse, degenerare tamen in frigida symptomata ob calidi innati & tenuioris sanguinis resolutionem.

Signa. SIgna ex præcedentibus fermè omnia colligi possunt, nam fœminæ anxiæ sunt, mœstæ, timidæ, cogitabundæ, taciturnæ, interdum flent, & postea subitò in risum solvuntur, delirant & garriunt, somnia habent terribilia, somnosque turbulentos. Arteriæ in dorso & circa lienem pulsant, sinistrum latus circa cor dolet, ob vapores ex arteriis in membranas intercostales effusos, cor palpitat, interdumque etiam suffocatio succedit; menses vel lochia supprimuntur. Et hæc symptomata sedato vapore & dissipato quiescunt, mulierque ad se redit, donec motu corporis vel animi, aut aliâ de causâ iterum agitetur, sicque symptomata hæc redeant.

Morbus hic curatu difficilis est, eoque magis quo gravior est & diuturnior, nam periculum est ne in maniam degeneret, aut mulieres desperabundæ vel laqueo, vel submersione vitam finiant, aliàs naturâ suâ lethalis non est.

Curatio. AD curationem victus ratio instituatur humectans, attenuans & incidens, ac parùm nutriens, ut sunt juscula ex *gallinâ*, cum *rad. fœnic. petrosel. ciceribus* & *croco, lac amygdal. ova recentia, poma cocta, pruna* & alia, *Cap. de melancholiâ* dicta. Vitentur omnes tristitiæ occasiones, sed animus omni arte distrahatur. In reliquis remediis eadem est cum hypochondriacâ ratio, nisi quòd uteri & mensium, si suppressi fuerint, habenda est ratio. Sanguis vacuandus è talo si mensium instet profluvium, aliàs ex venâ cubiti. Hæmorrhoides quoque provocare erit utilissimum. Humor melancholicus præparandus erit humectantibus & tenuantibus, dein sæpiùs purgandus, sed benignioribus remediis, tum quia humor contumax est, tùm quia mulieres validiora non ferunt, tùm quia fortia purgantia corpus nimium exsiccant. Sensim tamen ad fortiora progrediendum, ut *helleborum, lapidem lazuli* & *antimonium*. Post purgationem utendum iis quæ cor & cerebrum roborant, ut sunt *conserva buglos. borrag. melissæ, cortex citri conditus, myrobalani, pulvis latific. Galeni, aromat. ros. confect. alkermes*, & similia *Cap. de melancholiâ* descripta. Utero prospiciendum per ea quæ *Cap. de epilepsiâ* & *strangulatione ab utero* dicentur, sive interna sint, sive externa. A cerebro vapores revellendi per frictiones, ligaturas & lavacra extremorum, ex decocto *chamæm. artemis. melil. stœch. hedera terrest. melissæ*, & similium. Sed somni provocatio maximum hoc in malo remedium, humectat enim & vires reficit. Provocatur autem tum internis, ut *philonio, pil. de cynogl. requie*

Ni-

Nicolai, laudano; tum externis, ut lotionibus pedum, fotibus capitis, inunctionibus & aliis, de quibus *Capite de Vigiliis* diximus. Sed maximè prosunt balnea aquæ dulcis, quibus solis & victu humectante *Galenus* melancholicos se curasse scribit. Reliqua ex *Capite de melancholia* describantur.

Cap. IX.

De Furore Uterino.

AD melancholiam, vel potiùs ad maniam referri debet furor dictus *uterinus*, qui delirium est cum insigni ad venerem propensione, unde quæ hoc morbo laborant, sine pudore & verecundiâ viros sectantur, ad venerem invitant, & nisi satientur, violentas sibi manus inferunt. Hoc affectu laborasse creduntur Virgines Milesiæ, de quibus *Plutarchus*, quæ sese suspenderunt, quòd rabiem hanc prodere non auderent; & Lugdunenses mulieres sese in fluvios præcipitarunt, sicut etiam plurimi ex insano amore violentam mortem sibiintulerunt. Nam ut docet *Hippoc.* cùm sexus muliebris abjecti sit animi, ubi incidunt in melancholicos affectus, mortem tanquam aliquod bonum sibi expetunt. Quanquam verisimile mihi non sit tot mulieres simul uno eodemque tempore eodem affectu tàm gravi laborasse.

De hoc morbo tractavit *Mercatus* sub nomine symptomatis turpitudinis. Turpe quidem symptoma est & valdè obscœnum: sed per symptoma turpitudinis intelligi solet ab Authoribus nympharum incrementum, aut saltem clitoridis prominentia, quæ absque furore uterino esse possunt, sicut & furor uterinus absque illis. Et *Paulus* nymphotomiam describit operationem chirurgicam quâ nymphæ abscinduntur, cui remedio cum hoc morbo nihil est commune. Forsan credidit *Mercatus* clitoridem (quem nympharum nomine Veteres intelligunt) esse sedem salacitatis, seu appetitus venerei. Verumtamen ipsius prominentia non est causa furoris, sed potiùs uteri calida intemperies: neque salacitas est furor uterinus, nisi simul delirium conjungatur; nam quædam sunt valdè libidinosæ quæ venere vix satiari possunt, quæ tamen uterino furore non laborant.

Alii cum pruritu uteri confundunt, ut diximus suo loco, sed malè, nam pruritus potest esse absque venereo appetitu, & vetulis potiùs convenit quàm junioribus, nec conjungitur cum delirio, & pruritus potiùs est

eſt in pudendis, non in eâ parte quæ appetitus venerei ſedes eſt. At furor uteri eſt effrænis coëundi appetentia, cum delirio, ardore, fervore, virginibus & junioribus fœminis magis quàm ſenioribus competit, in quibus venereus ardor remitti incipit.

Eſt igitur furor uterinus affectus virginibus, viduis & aliis quæ venerem olim expertæ, eâ tamen privantur valdè moleſtus, quòd intelligendum eſt de iis quæ naturali temperamento ad venerem valdè proclives ſunt, in ætate juvenili, & lautè epulantur; nam quæ jejuniis, victu parco refrigerante, vigiliis, aliiſque modis veneris incendia extingunt, vix unquam hoc affectu tentabuntur; ſed juvenes, alacriores, in otio & delitiis vitam degentes, maximè ſi menſtrua illis liberè non profunduntur. Non quòd credam retentionem ſolam menſtruorum iſtius affectus cauſam eſſe, nam plurimæ ſuppreſſione laborantes, non in hunc affectum ſed in alios multum ab hujus naturâ differentes incidunt, frigidos potiùs affectus patiuntur quàm calidos, quibus tantùm abeſt, ut ad venerem incitentur, ut potiùs illis langueat & ignavior fiat: Imò plurimæ quibus menſtrua certo ordine profluunt, hoc etiam malo affliguntur. Sed ſi unâ cum turgente ſemine menſtruorum vitium accedat, intemperies fervida augeri poteſt, ſemen acrius fieri, & tetro vapore caput obſidente delirium contingit circa res venereas, ob ſemen in vaſis turgens & ad libidinem concitans.

Definiri igitur poteſt delirium circa intenſum coëundi appetitum, ob ſeminis acrioris & in utero retenti corruptelam, aut turgentiam. Definit *Aëtius* uteri intemperiem quæ cerebrum in conſenſum trahit, ad quam rabioſum delirium conſequitur. Delirium iſtud quoniam abſque febre eſt, phrenitis eſſe non poteſt, nec melancholia, quoniam non eſt cum timore & mœſtitiâ, ſed cum furore & audaciâ, ac importunâ & impudicâ loquacitate, ideò maniacum potiùs cenſeri debet. Eſt tamen ejuſmodi delirium interdum mitius, nec rationem in quibuſdam vincit, ſed potiùs mulieres quæ eo infeſtantur, ſibiipſis dominari poſſunt, & impetus ardoreſque venereos celare. Aliæ autem mali gravitate aut animi impotentiâ victæ, impudentes fiunt, audaces, & laxatis verecundiæ frænis obſcœna loquuntur & faciunt, viros ſollicitant, & mortem interdum ſibiipſis afferunt. In his ſcilicet appetitus ſenſitivus rationali imperat, illumque moderatur, contrà quam fieri debet. Delirant quidem interdum & maniacæ evadunt mulieres, ut diximus ſupra; ſed in hoc affectu totus furor res venereas ſpectat, ob ſeminis copiam & acrimoniam,

moniam, è quo vapores tum cerebro, tum cordi communicantur, ut in hypochondriacâ fieri solet. Melancholiam *Aristot.* vino comparat, quòd sese hominum moribus & ingeniis accomodat, nam hilares facit, mœstos, salaces, iracundos. Ita & melancholia, prout cujusque naturalis propensio animum ad hoc vel illud pathema inclinat, unde in salacibus venereas imaginationes easque interdum valdè graves concitat.

Inde manifestum esse potest partem affectam esse in quâ venereus appetitus sedem habet, sicut famis sedes est orificium ventriculi. Sic in utero ipso testibus & vasis spermaticis libido residet. Uterus semen virile expetit tanto interdum cum ardore, ut illi excipiendo occurrat, exceptum autem blandè fovet & retinet. Scio quosdam in nymphis & clitoride hujus mali causam constituere, quoniam ejusmodi partes ad delectationem faciunt. Sed tamen præcipua sedes uterus est, ut diximus, reliquæ partes usum tantùm præstant, ut in omnibus organis tales quædam solent adesse, & quidem hæ partes in furore uterino intumescunt & incalescunt. Primaria igitur sedes erit uterus cum testibus & vasis spermaticis, in quibus semen retentum & acrius redditum, ac etiam interdum putrescens, phlogosin quandam in illis partibus excitat, & malignos vapores in cerebrum & cor expirat, unde deliria interdum graviora, interdum leviora, prout gravior aut levior fuerit cerebri alteratio. Sic etiam viri quibus semen in vasis spermaticis turget & urget, venerea patiuntur insomnia.

Ex prædictis istius mali causæ patere possunt, seminis scilicet copia, putredo & acrimonia, ad venerem potenter incitans & in cerebrum tetram anathymiasin expirans per spinalem medullam & vasa ad cerebrum pertinentia. Inquit *à Castro*, si vapor hic tantùm acris sit & mordax, ingentem solum excitat veneris appetitum, ratione adhuc integrâ, unde solummodo præ veneris nimio appetitu contabescunt; si verò putris sit, halitus etiam delirium & furorem concitat. Alii contrà sufficere putant solam seminis acrimoniam & copiam, titillationem in vasis spermaticis efficientem absque putredine & vaporum communicatione; sic in viris ex semine turgente fiunt insomnia & veneris appetitus maximi absque vaporum ascensu. Quòd si præterea semen putresceret, malignam conciperet qualitatem, & hysterica symptomata produceret, ut suffocationem hystericam. Veruntamen nisi vapores cerebro communicarentur, quamvis magnus adesset veneris appetitus, nullum tamen *Causa.*

foret

foret delirium, nullus furor. Quòd autem ſæpè ſymptomata hyſterica non contingunt, id fit quia in ſuffocatione ſemen & menſtruum corrumpuntur quidem, ſed non incaleſcunt & fervent, potiùs refrigerantur, & inexplicabilem quendam corruptionis modum aſſequuntur, unde quamvis ad cor & cerebrum fumos transmittant, contraria tamen potiùs ſymptomata inducunt: quamvis interdum etiam hyſterici affectus cum hoc furore conjungantur. Semen enim retentum & corruptum ut *Capite quinto* diximus, varios inducit affectus, multo graviores quàm menſtrui ſanguinis corruptio. Cauſa igitur erit ſeminis copia, fervor & acrimonia. Sed *Hippocrat. lib. de morbis virgin.* addit ſanguinis menſtrui vitium, quòd tamen ut jam ſupra diximus, non eſt propria iſtius affectus cauſa, niſi quatenus cum ſeminali materiâ concurrit, quam acriorem reddit, fervidiorem & mobiliorem, unde in vaſis ſuis nimium turget.

Pendet autem hæc ſeminis acrimonia à temperie uteri & totius corporis calidiore, & humoribus ſalſis ſeroſis acribus ſemini permiſtis, unde juniores mulieres, quibus temperamentum ἔνσαρκον ſanguineum, aut bilioſum eſt, huic malo ſunt obnoxiæ, generant enim ſemen calidum, copioſum & mordax. Ideò *Ariſtoteles* virgines cuſtodiendas ſuadet, cùm ipſis menſtrua erumpere incipiunt, petulantes enim fiunt & laſcivæ: quòd idem etiam de viduis cenſendum eſt. Nec ſolus uteri fervor hoc malum procreat, ſed teſtium calidior temperies; ab iis enim ſemen generatur caldius & ſpirituoſum, cujus abundantia & fervor uterum poſtea ad libidinem concitat, ideò caſtratis animalibus omnis libido extinguitur defectu aut imbecillitate teſtium; & *Galenus* in *arte parvâ*, inter ſigna calidorum teſtium impetum illum ad venerem reponit. Et quantumvis caleſcat uterus, ſi teſtes non adeſſent, nunquam furor ille ſuccederet, ipſi autem ſoli eum producere poſſunt. Quamvis igitur partem primariò affectam uterum eſſe dixerimus, quæ pars appetentiæ venereæ ſedes eſt, cauſa tamen non ſemper in ipſo utero, ſed vel in teſtibus, vel in vaſis ſpermaticis hæret, in quibus ſemen & generatur & aſſervatur. Objiciet quiſpiam calidos uteri affectus inflammationes, ereſipelata, aliasque putredines, non inferre hunc furorem, ſed potiùs omnem veneris abominationem. Reſpondeo, ex iſtis affectibus poſſe deliria & febres & phrenitides fieri, ut in aliis inflammationibus fieri ſolet, deeſſe tamen iſtum Veneris appetitum, quia ejuſmodi fervor ſemini non communicatur, quin potiùs partes hæ ob viciniam uteri inflam-

matæ

matæ debiliores redduntur, nec ſemen copioſum, nec ſpirituoſum, nec acre generant, ſed paucum & languidum.

Cauſæ autem externæ ſunt victus ratio plena, polytropha, calefaciens & flatus generans, ut ſunt *ſcolymi, cynaræ, bulbi, vina aromatibus condita*, hæc enim & copioſum & calidum ſemen generant. Vita denique delicata, otioſa, ſine curis & plena voluptatum, ſomnus longior in culcitris plumeis, choreæ, blandæ adoleſcentum contrectationes, lectiones & inſpectiones rerum laſcivarum & impudicarum, & quæcunque corpus calefacere poſſunt. Sed præterea addunt quidam philtrorum uſum, quibus faſcinatas illas eſſe credunt & ſeductas, & ſæpè hæc cauſa prætexitur, ut vitio excuſatio inveniatur: & ſanè philtra ejuſmodi potiùs inſaniam & furorem quàm amorem inducunt. Eſt enim amor rei amatæ deſiderium, ſupponitque in amante certam rei amatæ cognitionem. At ejuſmodi pocula amatoria dicta libidinem tantùm concitant, ſanguinem accendunt, & ſæpè venena humano corpori evadunt. *Philtra nocent animis, vimque furoris habent.* Credere autem quicquam poſſe in voluntatem humanam, ut ad amandum quiſpiam invitus cogatur, abſurdum eſt. Venerem igitur tantummodo accendunt, & hunc affectum, de quo hoc Capite loquimur, facere poſſunt. *Lucius Lucullus* Imperator propinato philtro maniacus interiit. Sed alia ſunt philtrorum genera quæ non fiunt per pocula, ſed per verba & incantationes, quæ furorem non faciunt, ſicut de *Carolo Magno* Imperatore referunt quædam hiſtoriæ. An autem id præſtent quòd pollicentur, non eſt hujus loci diſquirere.

Signa ex prædictis facilè cognoſcuntur. In principio, quando ratio nondum pervertitur, veneris illud inſigne deſiderium quo laborant, cautè celant, taciturnæ tamen mœſtæ fiunt & triſtes, inquietæ quidem, & lectis auditisve rebus laſcivis rubore ſuffunduntur, pulſus quoque mutatur: ſic *Eraſiſtratus* Medicus *Antiochi* amorem deprehendit; & *Galenus* mulierem amore *Pyladis* ægrotantem cognovit. Aucto malo, & everſâ ratione garrulæ fiunt, aſſiduè de rebus venereis loquentes, viros ſectantur, furiunt, pruritum in pudendis ſentiunt, quorum attactu & frictionibus gaudent. Menſtrua ſæpè ſupprimuntur, aut in exiguâ copiâ fluunt, calida, acria, mordacia. Partes circa uterum valdè piloſæ, mammæ turgidulæ & victus ratio præceſſit, qualem deſcripſimus. *Signa.*

Malum hoc turpe eſt & indecorum, facilè tamen in principio curabile,

bile, poſtea verò in maniam degenerare poteſt, quæ everſo prorſus cerebri temperamento incurabilis perſiſtere poteſt, ſicut viſæ quædam ſunt, quæ poſtea nunquam mentis compotes fuerunt. At ſi longa habeat intervalla, & minùs rei venereæ mentione afficiantur, curationis ſpes adeſt. A ſuffocatione hyſtericâ differt, primùm, causâ, nam uterus in ſuo loco immotus permanens vitium cerebro communicat, tum etiam ſignis, non enim ut in ſuffocatione mutæ & ſine ſenſu decumbunt, ſed potiùs garrulæ, inquietæ, furentes & audaces, ut docet *Aëtius*.

Curatio. AD curationem ſeminis acrimonia mitiganda, ejus copia minuenda, & omnia veneris irritamenta tollenda ſunt: quòd ultimum conſilium in iis potiſſimum valere poteſt, quibus nondum rationis vis periit. Vitentur igitur vita otioſa, deſes, nec turpia legant, audiant, vel intueantur, cum juvenibus non converſentur. Victu parco, precibus & jejuniis libidinem doment, objurgationibus, pudore, & etiam ſi opus ſit, verberibus ab impudicis cogitationibus divertantur, & demum viro jungantur, ſic enim veneris appetitus ſatiatur, ſemenque putreſcens & titillans effunditur. Omnis victus ratio ſit tenuis & refrigerans, aër igitur ſit frigidior, aut in frigidâ natent, vel laventur crura decocto refrigerante. Somnus ſit parcior, nec in culcitris plumeis; ſed ſi jam actu & multum delirent, ſomnus longior convenit, mentis enim agitationem ſedat. In lecto ipſis ſubſternantur *folia lactucæ*, *viticis* & *ſalicis*, & alia ejuſdem virtutis. Otia vitent, ſed laboribus continuis exerceantur. In cibo & potu vitent omnia polytropha, calefacientia, ſalſa & acria, hæc enim venerem irritant. Igitur noxia ſunt *ova*, *carnes gallinarum*, *caponum*, *vitulorum*, quia multum nutriunt. Carnes ſalſæ aromatibus conditæ, quia & multum nutriunt & calefaciunt, ſicut & vinum generoſum, Hippocraticum, Hiſpanicum. Sed conveniunt *piſces* & *olera*, ut *lactuca*, *portul. endiv. cichor. acetoſa* cum *aceto* vel etiam *juſculis* cocta, *melones*, *cucurbitæ*, *poma*, *ceraſa*, *panis furfuraceus*, *aquæ potus*. Nocent verò *amygdala*, *piſtacia*, *nuces pineæ*, *ficus*, *dactyli*, & quæcunque venerem ſtimulant. Acida proſunt, ut *acetum*, *omphacium*, *ſuccus limon. arantior. granator. olivæ*, *cappares*, & ſimilia oligotropha, refrigerantia, incidentia, exſiccantia, & corruptiones humorum emendantia. Si hæc non ſufficiant, tunc aliis remediis erit utendum. Venæ ſectio ſæpiùs repetita prodeſt, ſanguinem enim refrigerat, & ſeminis materiam demit. Si menſes ſuppreſſi ſint, aperiantur venæ malleoli, aut hæmorrhoides, aliàs mittatur ſanguis ex bra-

brachio. Humores vitiosi acrimoniam semini conciliantes temperentur primò, dein vacuentur. Temperantur iis quæ ad intemperiem uteri calidam præscripsimus, vel apozemate ex *foliis & radic. cichor. oxal. endiv. scariolæ, lact. portul. solani, vitis, nymphea, quatuor seminibus frigidis majoribus* & *minoribus*, cum pauco *succo limon. granat.* & *aceto*. Dein purgetur *cassiâ, cathol. diapruno, confect. hamech., sennâ, rhabarb.* & aliis ejusmodi benignioribus. Sed procedente morbo, & in maniam degenerante, etiam fortiora in usum revocari possunt, ut *helleb. lapis lazuli, antimonium*. Pariter corpus refrigerant & melancholicos juvant, *serum lactis* depuratum, in quo *folia cichorii* & *fumariæ* per noctem maduerint: utilius tamen erit, si prædictarum herbarum succis alteretur. Valet quoque *syrupus exhilarans Laurentii, confectio alkermes*, & quæ ad melancholiam præscripsimus, tum ea quæ cor & cerebrum roborant, modò calida non sint, de quibus alibi.

His jam perfectis ad causam conjunctam veniendum, semen scilicet acrius, quòd vel temperandum vel vacuandum. Temperant & extingunt seminis acrimoniam, vel refrigerantia, ut *saccharum Saturni, lactuca portul. viola, umbilicus Veneris, nymph. salix*, hæcque duo posteriora ex *Dioscoride* & *Plinio* Veneris appetitum in totum auferunt. Vel proprietate occultâ agentia, ut *folia, semina & flores agni casti*, qui etsi calidus sit, acris & tenuis substantiæ, ac menstrua moveat, vi tamen occultâ libidinem compescit. Idem faciunt *ruta, aneth. mentha, semen cannabis, verbena, camphora*, quam etsi quidam frigidam esse putent, quòd adversus calidos affectus præscribatur, calidam tamen esse id indicat, quòd ignem statim concipiat, & tota ardeat dum prorsus absumpta sit; saporem habet acrem & amarum, & substantiæ est valdè penetrantis, per accidens autem refrigerat, dum calidos vapores educit. Sic ad ambusta calidis utimur potius quàm refrigerantibus, & in partibus refrigeratis præstantior nix est, aut aqua frigida quàm calida. Ob dictas igitur rationes, & quia odorem habet valde gravem, vigiliasque inducit, calida censeatur. *Smaragdus* quoque & *corallum* ad idem conferre dicuntur, ita ut *smaragdus* gestatus venerem compescat, aut frangatur. Demum *narcotica* venerem tollunt, sed maximè omnium cicuta, quæ quoniam tutò assumi nequit, solummodo genitalibus apposita, libidinem compescit. *Coriandrum* &c. Ex prædictis varia fieri possunt, tam interna quàm externa. Interna sunt primo syrupi; ℞ *folior. viticis, lactucæ, salicis, nymph. portul. umbilici vener. ana M. ij, menthæ, rutæ, summit. anet. ana M. j, flor. violar.*

 nymph.

nymph. ana P. j, *sem. cannab coriand. lactucæ, papav.* & *quatuor frigid. major. ana* ʒ j; fiat decoctio ad ℔ j ß: cui adde *succi verbenæ depurati, & limon. ana* ℥ iij, *aceti rosacei* ℥ j, *sacchari* ℔ ß, fiat apozema: cui addi potest *camph.* ʒ j. II. emulsiones ex prædictis seminibus cum aquis idoneis & syrupo de nymph. III. pulveres & electuaria. ℞ *conserva nymph. & violar. caulium, lactuca condit. ana* ℥ ß, *magist. corall. smaragdi præparati ana* ℈ j, *sacchari Saturni* ʒ ß, *trochisc. de camphora* ʒ j, *seminum agni casti, lactucæ, portul. ana* ʒ ß, *cum syrupo de papavere*, vel de *nymphea*, fiat electuarium. ℞ *sem. agni casti, myrtill. pœon. lactucæ ana* ʒ j, *folior. menthæ, siccor.* M. j, *sem. coriand.* ʒ ß, *magister. corall. & ras. eboris ana* ℈ ij, *sacchari* ad pondus omnium, fiat pulvis.

Topica sunt primo balnea & fotus ex herbis prædictis additâ cicutâ, quàm diximus multum ad id conferre. Vel ℞ *fol. lact. nymphea, solani, cicutæ, sempervivi, hyoscyam. papav. vitis, cucum. cucurb. ana fasciculum unum.* Coquantur omnia pro semicupio, vel pro fotu, vel pro injectione in uterum; ad hæc enim omnia conferre potest. Post fiant linimenta lumborum, abdominis, inguinum ex *oleo papav. nenuphar.* cum *camph. ungu. rosato*, refrigerante *Galeni*, & aliis ejusmodi, cum *succis solani, hyoscyami, cicutæ, lactucæ*; sic & lamina plumbi lumbis apposita juvat. Fiant pessaria ex *succo plant. port. solani, sempervivi, coriand.* cum paucâ *rutâ* & *diacodio.*

Ad semen autem educendum *pessaria* probat *Aëtius* ex *nitro, croco, spicâ nardi* cum *cardamomo*, quæ cerato excipi & pudendis subdi debent. Prodest *ruta* cum *castoreo* in *myrteo cerato* supposita, semen enim contrahit, & furorem mitigat. Alii pessaria faciunt ex *mercuriali* contusâ cum *myrrhâ* & *pulvere aristoloch.* Alii faciunt ex *fermento* cum *pulvere colocyntidis* & *oleo sambucino*, dein ad ardorem ex pessariis contractum temperandum, injectiones faciunt ex *sero lactis*, vel *decocto hordei*, aut ex supradictis.

Si philtris epotis furor ille contingat, si in principio, vocetur Medicus, propinet statim vomitorium ex *asaro*, aut *antimonio*, mistis cum alexipharmacis: dein sudores moveat aquis alexipharmacis, theriacalibus, ipsâ theriacâ, mithridatio & aliis cardiacis. Vel ℞ *succini præparati, flor. sulph. ana* ʒ ß, *camphoræ* ℈ j, *extracti gentianæ* ℈ ß, *lapidis bezaar* ℈ ß, *magister. corallor.* ʒ ß, *sem. hyperici, terræ lemniæ ana* ʒ j, *theriacæ andromach.* ʒ j, *conservæ anthos* ℥ j ß, cum *syr. corall.* fiat elect. cujus dosis sit ad ℈ ij, superbibendo aquæ theriacalis, vel alterius similis cochleare unum, cum cochlearibus duobus aquæ melissæ.

Cap. X.

De Cordis Affectibus Ex Utero.

COr etiam per arterias utero consentit, unde fiunt cordis palpitationes, syncopæ & anxietates, præcipuè iis quæ pallidis coloribus laborant, in quibus plurimæ in ventriculo fiunt cruditates, in hepate, splene & utero obstructiones, ex quibus tetri vapores in cor feruntur, qui palpitationem inferunt, aut etiam syncopem & lipothymiam, unde jacent immobiles absque ullo sensu, pulsu, respiratione evidenti & manifestâ. Ab utero autem hæc oriri symptomata conjicere est, si affecti uteri signa præcesserint, ut mensium suppressio, seminisque retentio.

Ad paroxysmos igitur horum symptomatum sedandos, utile erit dare confectionem alkermes, aut tabellas *diamarg. frig.* cum *aquâ cœlesti, imperiali, theriacali*, & simili. *Theriaca* ipsa cum *aquâ melissæ* optima est, sicut & *aqua Mariæ*. ℞ *cordis porci & bovis* vel *cervi ana N. ij, caryophil. galangæ, cinnam. macis ana* ℨ *iij, sem. ocymi* ℨ *ij, flor. buglossæ, anthos ana P ij.* Infundantur in vino generoso, distillentur, & aqua servetur usui. Sic essentia *macis* cum pauco *vino albo* prodest. *Lapis bezoar* & alia cardiaca interna & externa inter affectus cordis descripta, ut sunt sacculi, epithemata, unguenta. Sed præterea utiles erunt clysteres acriores, vel suppositoria, frictiones crurum & coxarum, cucurbitulæ hypochondriis cum multâ flammâ appositæ, & quicquid à corde vapores hos revellere potest. Præterea erecto corporis situ continendæ sunt, ut faciliùs aërem trahant, laxanda vestium ligamenta, fœtida naribus, grata verò partibus inferioribus, admovenda, & stomacho lintea aquâ vitæ madentia sunt imponenda. Plura loco citato legi possunt.

Huc referunt quidam affectum de quo fusè *Mercatus* locutus est, pulsatio scil. vehemens arteriarum in dorso, quòd symptoma familiare est hypochondriacæ melancholiæ; ideò rectè scripsit *Hippocrat.* præcordiorum venas pulsantes delirium portendere, sive in hypochondriis ipsis præsertim in latere sinistro, sive in dorso pulsatio sentiatur, perinde est, quamvis enim arteriæ sint diversæ, causa tamen utrobique eadem est; scilicet sanguis fervidior ex utero in arterias sese insinuans, qui eas vehementiùs impellit: Morbus sanè diuturnus, & non admodum ratione sui periculosus, quamvis solutu difficilis sit, ob causæ malum foventis pertinaciam. Interdum etiam, ut advertit *Fernelius*, fit arteriarum aneu-

risma, quòd in internis partibus incurabile est. In hoc malo mulieres pulsum hunc sentiunt, calidæ fiunt, & tandem sed longo tempore vitiatis visceribus contabescunt, & signa adsunt hypochondriaca; propterea curatio eadem est quæ melancholiæ ex utero.

CAP. XI.

DE SUFFOCATIONE HYSTERICA.

INter affectus hystericos gravissimus ille & valdè frequens est, in quo mulier quasi exanimis absque sensu motu & manifestâ ac sensili respiratione jacet, & voce privatur, videturque suffocari, unde strangulatus uteri, vel potius ab utero dici debet, nam uterus ipse non strangulatur, sed tantùm causa est cur mulier suffocari videatur. Vocatur interdum docente *Galeno 6. de loc. aff. 5.* ἄπνοια. Ab *Hippoc.* autem & aliis per excellentiam ὑστερικὸν πάθος, quòd nomen etiam Latini retinuerunt, & hystericas vocant, *aphor. 35. lib. 5. Mulieri hystericæ, aut difficulter parienti, sternutamentum superveniens bonum.* Docet *Galenus* per hystericas intelligi non quaslibet uteri affectiones: neque enim exulcerationes, aut inflammationes, aut eresipelata uteri sternutatio juvat, quin potiùs illis nocet, sed intelligi ἀπνοίαν hystericam.

Variè autem à variis solet definiri. *Paulus* definit uteri recursum ad superiora, sed minus propriè, nam sæpè absque ejusmodi recursu fœminæ suffocantur. Nec verum est recursum istum usque ad superiora fieri, ut dicemus inferius. *Moschio* definit respirationis impedimentum cum omnimodâ quiete, sed id etiam malè, non enim distingueretur ab apoplexiâ, in quâ sine sensu & motu jacet animal. Quidam putant non posse unam definitionem huic affectui dari ob varietatem symptomatum, nam interdum læditur respiratio, interdum adest syncope, vertigo, delirium, convulsio, sensus motusque læsio; unde malè quidam dicunt esse convulsionem, cùm plurimæ hystericæ minimè convellantur. Verumtamen diximus *Cap. 5.* hysterici nomen sumi posse generaliter pro omnibus affectibus quibus uterus dat originem, inde enim varia in variis partibus pullulant symptomata, quibus sanè unica definitio convenire nequit: At specialiter hoc symptoma complectitur, quòd ἀπνοίαν *Galenus* vocat, nos *suffocationem.* Quòd si plura interdum symptomata simul ab eâdem causa proficiscuntur, eorumque adest complicatio, non sequitur tamen non posse dari unius unam definitionem. Aliud est suffocatio,

focatio, aliud convulsio & delirium, quamvis in hystericis sibi invicem sæpè succedant. Sicut igitur hystericam convulsionem per suffocationem malè quispiam definiret, ita suffocationem per convulsionem aut aliud symptoma à suffocatione diversum: Ideo rectè definiri potest *suffocationis sensus cum corporis refrigeratione ex uteri vitio*. Hæc enim duo symptomata hunc affectum circumscribunt, nec necesse est alia adesse, quæ si adfuerint, malum aliàs gravissimum augent, ad illius tamen naturam non pertinent, & si absque respirationis læsione & refrigerationis sensu contigerint, suffocatio hysterica dici nequeunt.

Dicitur suffocationis sensus, vel læsa respiratio, aufertur enim aut imminuitur. Auferri quidem vitâ superstite prorsus nequit, sed tantùm ad sensum: estque illud præcipuum & gravissimum symptoma ob summam respirationis necessitatem; sic *Galenus* apoplexiæ differentias ex variâ respirationis læsione æstimat. Fit autem respirandi difficultas tribus modis, qui respondent totidem causis respirationem efficientibus, quæ sunt facultas, instrumentum & usus. *Primò* igitur sublato usu aut imminuto; *secundò*, facultate pariter læsâ vitiatur respirandi officium, ut in syncope & in tempestate pestiferâ, ob corporis refrigerationem aut facultatis exolutionem, ut, *Qui sæpè & multum exolvuntur, absque causâ manifestâ, derepente moriuntur*. *Tertiò*, multi suffocanter vitio instrumentorum respirationi dicatorum, moventium quidem, ut in apoplexiâ, excipientium ut in asthmate & pleuritide, deducentium ut in anginâ. In affectu hoc de quo agimus, fit suffocatio tribus hisce modis; nam ob totius corporis & uteri refrigerationem à semine per corruptionem refrigerato, tollitur vel minuitur usus respirationis, scilicet caloris contemperatio & fuliginum expulsio, quæ nullæ aut paucæ adsunt. Eadem de causâ facultatis moventis robur frangitur, & demum instrumenta ob putres halitus occluduntur. Sentiunt enim fœminæ à pube aliquid ascendere per umbilicum & lienem ad ventriculum, cor, diaphragma, ac etiam interdum graviter fauces tunc concidunt, adeò interdum graviter, ut multæ pro mortuis elatæ fuerint, quæ tamen vivebant adhuc, transpiratione refrigerationis beneficium afferente in corpore jam satis refrigerato.

Additur, *cum corporis refrigeratione*, quoniam calor nativus multum hebetatur, ob vapores pravos calori adversantes; unde quidam hunc affectum frigidam intemperiem esse voluerunt. Verùm refrigeratio hæc non est ipse morbus, sed symptoma, qualitas scilicet mutata, quòd inde

patet,

patet, quia fugax est & mobilis, per paroxysmos breves abit & redit, pendet enim à vapore fontem caloris intercipiente. At intemperies quæ morbus est, cùm sit res permanens, nec citò introducitur, nec citò recedit: verumtamen non est præcipuum symptoma, nam multò graviora simul adsunt. Postremò in definitione additur, *ex vitio uteri*, ut distinguatur ab aliis affectibus, vel per idiopathiam, vel per aliarum partium sympathiam genitis. Hic enim fit ratione uteri, in quo continetur humor ille corruptus & malignus, qui frigidiorem naturam corruptione consequitur, sicut lac, vinum, grumique sanguinis dum corrumpuntur, acescunt & refrigerantur.

Differentiæ. IStius autem ab utero suffocationis varii sunt gradus, non enim omnes perinde suffocantur, gravior scilicet est & levior. Hæc quidem cùm levis causa est, & ex utero sublatus vapor, viscera, ventriculum, diaphragma feriens, nauseam quandam, cibi fastidium, respirationem brevem crebramque, tanquam compresso pectore facit, interdum cum murmure, ventrisque rugitu, interdum citra hæc. Simul etiam interdum levem animi defectionem inducit, quâ tamen vix pulsus immutatur. Metus & desperatio ægram concutit plerumque tanta, ut se mortuam esse cupiat, nullâque ratione in spem erigi & recreari possit. Ubi autem gravior causa est, malum in fauces invadens, eas quasi vinculo constringit, prorsusque spiritum intercipit magno suffocationis metu. Cerebrum verò feriens, furorem facit uterinum, cum garrulitate, iracundiâ, inquietudine, aut aliâ desipientiâ metus horrorisque plena: aliàs soporem quendam & veternum inducit, quo mulier corruens velut attonita jacet sine motu, sine sensu & respiratione adeò paucâ & rarâ, ut interdum nulla esse videatur, tanquam ipsa mortua sit & extincta. Hi varii sunt ordines, variæque accessionum formæ, quæ circuitu ut epilepsia repetunt, aliàs crebrius, aliàs rarius, dum discussa sit earum causa. Sub accessionis finem humor quidam ex muliebribus locis excurrit, oculi attolluntur, color faciei, intellectus, motus, ac sensus restituitur, & corpus firmari incipit. Sæpè quoque deprehensum est frigus tum temporis è capite per cervicem in scapulam & brachium illabi, quòd stuporem difficilemque motum redderet, exhiberetque speciem quandam paralysis, sed quæ non multò post discuteretur. Hæ sunt hujus symptomatis differentiæ ex *Fernelio*.

Saxonia ita distinguit. Una est, inquit, in quâ tantùm apparent symptomata

tomata facultatis naturalis, ut inflationes ventris, rugitus, murmurationes, dolores ventriculi, vomitiones, anxietates & ructationes. In aliâ læditur vitalis, & adsunt palpitationes, lipothymiæ, pulsus languidi, parvi, frequentes, inæquales: Vel demum læditur animalis, nam tolluntur interdum sensus, servatâ respiratione & facultate principe, ac pulsu. Interdum facultates principes læduntur, simulq; fiunt variæ convulsiones. Demum interdũ omnes facultates sunt abolitæ, ut à mortuis non differant.

Verùm hi nomine suffocationis omnes affectus hystericos complectuntur; non sunt enim hæ suffocationis differentiæ, ut suffocatio est. Nam quamvis suffocatio cum prædictis complicata symptomatis sit gravissima, tamen prædicta symptomata absque suffocatione esse possunt, nec illius differentiam constituunt.

Alii igitur rectiùs sic distingunt, tresque faciunt differentias, quarum una levior est, quando servato sensu & motu, ac ratione integrâ sentiunt tantùm quandam oppressionẽ & difficultatem in spirando, cum aliis sed levioribus symptomatis; secunda gravior, quando sine sensu & motu jacent cum obscuro aut parvo pulsu, absq; ullâ sensibili respiratione. Tertia denique quando præterea adsunt convulsiones, membrorumque contractiones. Prima differentia ad respirationem læsam refertur; secunda accedit ad syncopen, vel apoplexiam; tertia ad epilepsiam, & convulsivos motus. Verùm ut diximus, ista complicatio non est de essentiâ suffocationis, neque semper gravissima est ista tertia species, sed pessima semper est secunda differentia, sive prædicta symptomata conjungantur, sive non. Nam cum levi suffocatione possunt esse magna cerebri symptomata, si teter vapor majorem noxam cerebro quam cordi inferat, & tamen hæc differentia minor censeri debet quàm secunda, etiamsi solitaria sit, absque ullo extraordinario accidente.

Quamvis igitur prædicti authores omnes vera dixerint, rem tamen non distinctè satis explicarunt. Dicamus igitur suffocationem hystericam vel esse solitariam, qualem in principio descripsimus, scilicet læsionem respirationis cum corporis refrigeratione, vel aliis affectibus complicatam, qui varii esse possunt, pro diversitate partium simul affectarum. Solitaria autem vel levior est, in qua oppressio & respirationis difficultas sentitur, facilè ac citò solvitur. Vel gravior in quâ plurimum læditur respiratio; vel gravissima, in quâ sensu & motu ac respiratione fœmina privatur. Rursus in unoquoque gradu si alia symptomata junguntur, eò gravior redditur, quàm si solus accessisset, sed ultimus gra-

dus ſemper eſt periculoſiſſimus, quocunque demum modo ſuperveniat, ob reſpirationis excellentiam, quâ nulla eſt in corpore actio magis neceſſaria & ad vitam utilis; & hæc complicatio ſymptomatum ad curationem valdè conſideranda eſt: nam ſi citra reſpirationis læſionem accedant, quamvis ex uteri vitio proficiſcantur, non eandem prorſus cum ſuffocatione curam poſtulant, ſed ſi unâ cum ſuffocatione contingant, non niſi illâ curatâ evaneſcunt. Pariter notandum ſæpè non cum ipſo ſuffocante paroxyſmo contingere, ſed vel præcedere, vel ſubſequi ejuſmodi accidentia, prout noxius vapor in hanc vel illam partem variè movetur; interdum etiam ſimul pleraque conjunguntur.

Cauſa. NUnc autem ad cauſas veniendum, quæ variæ eſſe perhibentur: nam quidam volunt eſſe uteri convulſionem, quando repletis ligamentis ſurſum contrahitur: Alii aſcenſum uteri ad hepar ob inanitionem, vel quando noxiam rem quampiam refugit, aut gratam ſequitur: Alii vaporem venenatum ex ſemine aut ſanguine menſtruo corrupto elevatum. Addunt alii præterea cujuſvis humoris in utero corrupti congeſtionem: forſan etiam aliæ ſunt opiniones; circa quas omnes cauſas non paucæ ſunt difficultates.

Prima opinio vult uterum ſurſum trahi contractione ligamentorum & vaſorum ſpermaticorum, quæ ex nimiâ humoris copiâ replentur, diſtenduntur, ſicque breviora quàm antè fiunt, ut accidere ſolet in diuturnâ menſtruorum ſuppreſſione, ſic oppreſſo diaphragmate ſuffocationem facit, quæ eſt opinio *Galeni*, qui adverſus *Hippocratem* diſputans, negat uterum ſpontè moveri, ſed tantùm à vinculis ſuis retractum, ſed malè: Cùm enim uterus multorum vinculorum & membranarum ope corpori ſit alligatus, ſi ab his repletis moveretur, vel membranæ, vel ligamenta frangerentur, aut ſaltem impensè extenderentur, quòd fieri abſque ſummo dolore nequit, qui tamen abeſt in hoc affectu. Tùm ſi aſcenderet ad cor, tranſiret ſitum ventriculi, jecoris, diaphragmatis; Et quamvis hanc uteri diſtenſionem concederemus, non ſequitur tamen inde fieri hunc affectum, quia ſubitò tollitur, & ſæpè per paroxyſmos redit, quòd non fieret, ſi convulſus & diſtenſus moveretur.

Secunda igitur opinio vult uterum aſcendere & oberrare, quando aſcendit ad hepar, ut fruatur humore gratioſo quem concupiſcit; inanitus enim ut ſitim expleat, jecur fontem gratioſi humoris petit, & ſic, oppreſſione diaphragmatis & partium reſpirationi ſervientium, ſuffo-

catio-

tionem parit, quem motum non solùm in viduis, sed etiam in gravidis *Hippocrates* observavit. Inanitur autem uterus vel longâ vacuatione, vel magno labore aut inediâ, ut in gravidis quæ apositiâ laborant & facilè vomunt, *2. de morb. mulier.* tales enim facilè suffocationem patiuntur, quia uterus exsiccatus facilè movetur; In loco enim amplo & spatioso situs est. Exsiccatur etiam defectu humoris aliundè accedentis, ut sanguinis menstrui defectu, aut denegatâ seminis virilis irrigatione, in viduis, puellis salacibus viro maturis, aliisque. Huic sententiæ favere videtur *Aristot. 1. de gener. animal. xj.* ubi scribit uteros evacuatos sursum ascendere, & præfocationes efficere, quam opinionem supra refutavimus *cap. 14. lib. 2.* Nec enim ut attrahat humorem quo caret, opus est eum moveri, cùm ex venâ cavâ attrahere illum possit per idiosyncrasian & occultam proprietatem. Quin etiam si spectemus symptomata quæ hunc affectum comitantur, præcedunt, aut sequuntur, ut sunt syncopæ, convulsiones, &c. non est verisimile ab uteri ascensu ea fieri, etiamsi immediatè diaphragma premeretur, sicut ventriculus cibis, aut uterus fœtu distentus, etiamsi difficilem aliquantulum reddant anhelitum, prædicta tamen symptomata non procreant. Causa igitur alia statuenda est, quæ simul omnibus symptomatis conveniat. Ideo *Fernelius* ipse qui uterum moveri concedit, ejus ascensum à suffocatione distinguit, hanc vult à vapore fieri, in ascensu verò non esse suffocationem. Scribit enim ascensu uteri premi duntaxat mulierem quodam præcordiorum dolore, spirandi difficultate, at sine metu, sine delirio, aut alio graviori symptomate. At quis non videt hanc esse suffocationis speciem, sed leviorem, & propterea non causis, sed causarum gravitate ab aliâ discrepare.

Causam igitur aliam *Galenus* & Recentiores agnoscunt, seminis retenti & menstrui suppressi corruptionem; Hæc autem dupliciter suffocationem facere creduntur, vel quia uterus noxam refugiens, quoquoversum movetur, oppressoque diaphragmate dyspnœam parit, quòd jam supra refutavimus: Vel quia virulentus vapor ex corruptâ materiâ, per vasa, cæcosque ductus sursum effertur, multaque invehit symptomata, pro partium quas offendit varietate. Sed nec retentio seminis, aut menstrui, tam mira inferre possunt symptomata, nisi in veneni naturam transmutentur, *6. de locis aff.* cujus veneni vis sopita latet, donec excitetur & commoveatur, tuncque vaporem tetrum de se emittit, qui prædicta infert symptomata, & sæpè per lienis regionem, ad cor, & de-

inde ad guttur transferri mulieres experiuntur: Quod si in utero, aut testibus, aut tubâ uteri vapor concludatur, nec expiret, leviora sunt symptomata; sed si ad alias partes feratur, graviora fiunt: ideo incipiente suffocatione manifestum quendam motum & agitationem sentiunt, & globulum quendam torquentem, quem vel fasciâ, vel manibus comprimere conantur. Sicut igitur in epilepsiâ ex tetro vapore expultricem irritante fit agitatio maxima, ita quoque in hoc affectu contingit; concutitur uterus summo labore, donec tetrum hunc vaporem ad reliquas partes amandarit. Unde sæpissimè succedunt ventriculi subversio, nausea, vomitus, convulsio & distorsio membrorum, reliquis partibus eodem pariter modo virulentum & noxium hunc vaporem excutere conantibus; nam adeò venenatus est, ut partium quas attigerit facultates & functiones labefactet, ut venenum phalangii & scorpionis, quorum in minimo quanto maxima virtus est: nam malignitas hæc interdum conjungitur magnæ humorum copiæ, ut in retentis menstruis, aliàs pauci sunt humores, ut post puerperia & magnas sanguinis profusiones, sed semper remanet pessimum excrementum, viribus maximum, à quo prædictus affectus excitari potest.

Venenatus hic vapor plurimorum venenorum conditione frigidus est & melancholicus, ut vult *Fernelius*, quia symptomata parit frigida, sicut videmus lac, vinum, grumos sanguinis putrescentes refrigerari: vel ut vult *Pereda*, toto temperamento contrarius est, unde calidum cordis innatum extinguit, totum corpus refrigerat, ita ut sequatur respirationis ad sensum abolitio. Quòd si semen non ità pravè corrumpatur, prout fuerint vapores ex eo ascendentes aut acres, aut aliam habentes qualitatem, sequentur alia symptomata. Unde refellit *Rondeletium* & eos qui dicunt semen & sanguinem menstruum ex retentione & morâ refrigerari, sicque uterum vapore medio cor & cerebrum refrigerare, quia hâc ratione semper in suffocatione uteri sequeretur refrigeratio, quòd tamen inquit esse falsum. Addit, ex prædictarum substantiarum frigiditate non posse sequi tantam corporis refrigerationem, quæ ad pituitam vitream longè frigidiorem non sequitur; sicque ejusmodi frigiditas majorem causam arguit. Verumtamen quamvis concedendum sit venenatam hic etiam adesse qualitatem, non negandum tamen etiam adesse frigidam, cùm certùm sit totum corpus ab hoc veneno refrigerari, ut mirum sit quomodo id ille dixerit esse falsum. Quòd si major inducatur refrigeratio, quàm à pituitâ vitreâ, id fit, quia arcem vitæ occupat

cupat

cupat & partes nobiliores, ut cor & cerebrũ, tùm quia venenatus est, tùm quia corruptus, sic scorpionis & torpedinis venena etsi parva sint mole & quantitate, pituitâ vitreâ longè minùs frigida, inducunt tamen symptomata summam refrigerationem indicantia. Itaque aliud est loqui de iis quæ solùm qualitate manifestâ agunt, & de iis quæ simul qualitate occultâ operantur. Quare statuamus venenum illud frigidum esse, & corpus refrigerare non qualitate manifestâ solùm, sed etiam occultâ, ut venenum scorpionis & torpedinis. Venenum autem, aut aliquid, quòd ipsius naturam æmulatur, in corpore humano generari posse testantur omnes Medici, *Galenus, Thomas à Vegâ, Fernelius* aliique, qui exempla adferunt de syncope ex *grumo sanguinis putrefacto, sphacelo, septico humore, epilesiâ*, & quidem tam multa variaque accidentia à solâ refrigeratione fieri nequeunt, quin potiùs ob læsionem cordis corpus refrigeratur, non contra. Quomodo enim posset à solo frigido vapore tam subita, tam gravis & nobilibus partibus infensa labes inferri, cum exiguæ quantitatis vapor ille sit qui inde exhalat; unde *Galenus 6. de loc. aff. 5.* comparat malignitatem istius causæ veneno phalangii, torpedinis, scorpionis, quorum virus in minimâ quantitate totum corpus quasi gelu refrigerat.

Adversus prædictam sententiam objici quædam possunt; I. nam si esset venenatus affectus, suffocatio hysterica lethalis esset & contagiosa; II. cardiaca convenirent hystericis, quæ omnibus venenis resistunt; at potiùs fœtida conveniunt, quæ cordi sunt infensa: III. pariter aliorum humorum putredo esset venenata: IV. venenum esset calidum, quia fit ex putredine; putrescentia autem omnia calida sunt calore extraneo, sic febrem & symptomata calida efficeret, non frigida: V. Si frigidior est iste humor, quomodo exhalat & in vapores convertitur. Verùm ad hæc respondeo ad *primum*, non omnia venena esse contagiosa; lethalem autem esse hunc affectum, si causa sit maxima, experientia testatur. Ad *secundum* dico, etiam cardiaca convenire, dum cor afficitur, non neglectis aliis remediis quæ vapores revellere, dissipare & evacuare possunt, inter quæ fœtida numerari possunt, de quibus inferius dicemus. Ad *tertium* dicimus, posse etiam alios humores summâ putredine in venena degenerare. Ad *quartum* respondeo, putrescentia esse calida quamdiu putrescunt; at ubi summa pernicies introducta est, non necessariò esse calida. Quòd si semen putrescens non calefacit corpus, dicere possumus id fieri, quia pauca est seminis quantitas, &

propterea licet plurimus ſit calor extraneus ratione ſubſtantiæ putreſcentis, paucus tamen eſt ratione corporis, ita ut illud non poſſit plurimum alterare: At ubi jam in venenum degeneravit, frigidum eſt, & frigida facit ſymptomata ratione venenoſitatis & frigiditatis. Adde quòd non poſſumus rationem reddere quâ venena operantur, quorum alia calida ſunt, alia frigida, ſic non ineptè fecerimus, ſi qualitatem occultam hic adſtruamus. Ad *quintum* dicimus, quamvis humor ſit frigidus, tamen partes illius tenuiores à calore agitante elevari, & ſic corpus univerſum petere. Sed iterum dicet quiſpiam, ſi vapor ab utero elevatur, augerentur potiùs quàm imminuerentur pulſus & reſpiratio; Item cor ad vaporum excluſionem palpitaret. Reſpondet *Varand.* duobus modis: *Primò*, vaporem eſſe paucum, & proinde opus non eſſe grandiori ſyſtole aut diaſtole, ut expellatur. *Secundò*, hunc vaporem refrigerare & intercipere ſpiritus animalis in nervos commeatum, ſic ceſſare motum thoracis, & ſic poſſe in principio celerem reddi pulſum & reſpirationem, cordisque palpitationem accedere. In progreſſu tamen dum vapor cor vehementius occupavit, congelari ſpiritus, prædicta omnia ceſſare & ſuccedere ἄπνοιαν illam, de quo in hoc Capite agimus.

Primò itaque menſtrui ſuppreſſi corruptio venenata, qualis à ſanguinis grumo etiam contingere poteſt, uterum primùm refrigerat, dein totum corporis habitum. Hinc nullus in reſpirando labor, quia ſola tranſpiratio mulieri ſufficit, ſicut glirium, urſorum, ſerpentum exempla declarant, qui per aliquot menſes abſque ſenſibili reſpiratione & alimento in latebris ſuis deliteſcunt. Dicunt quidam ſanguinem menſtruum retentum vaſa replere, uterumque retrahere, quòd ſuprà refutavimus, quia ſubitò occupat, ſtatim etiam ceſſat, remediiſque miteſcit, quòd non fieret, ſi talis adeſſet convulſio, ſed per diem, aut forſan etiam diutius duraret. Potius igitur retentus ſanguis menſtruus corrumpitur, & venenatam acquirit qualitatem, ſicut etiam in prægnante epilepſia ab utero ſuſcitatur, corrupto humore tetrum vaporem in cerebrum expirante, morbusque cum partu finiri ſolet. Idem de hyſtericis ſymptomatis ſentiendum.

Verumtamen raro, ſecundum *Galenum*, ab hâc causâ contingit, nam etſi ſuppreſſa menſtrua, varia pariant ſymptomata, raro tamen ſuffocationem. Multæ etiam ſunt mulieres menſtruales quæ ſunt hyſtericæ, multis quoque tum virginibus, tum gravidis ſupprimuntur, quæ tamen hoc affectu non tentantur. Adde quòd ſanguinis putredo minus maligna

ligna est quàm seminis, & minora infert symptomata.

Frequentior itaque causa est seminis corruptio, ut in viduis & libidinosis mulieribus, si viri amplexibus fraudentur, contingit. Corruptum semen venenum evadit, mole quidem exiguum, sed viribus efficacissimum, & ità calorem nativum dissolvit, ut illi temperando sola transspiratio sufficiat. Id probat *Galenus*, quia viduis & aliis quibus menstrua ritè fluunt, sed virili amplexu fraudantur, contingit, unde non à menstruis, sed à semine fieri probabile est, quòd in mulieribus frigidius est & humidius. Dices semen esse substantiam purissimam, maximè spirituosam, sicque minus putredini obnoxiam. *Resp.* Omnia, igne excepto, posse putrescere. Corruptio autem seminis eò deterior est, quo substantia ejus est purior. Ex caloris autem nativi imbecillitate, aut aliis de causis putrescit, est enim uterus pravorum humorum conceptaculum, & totius corporis sentina. Ad confirmationem recenset *Galenus* historiam viduæ cujusdam hystericæ, quæ immissis pessariis & partium muliebrium tractatione blandâ, cum voluptate veluti in coïtu excrevit crassum plurimumque semen, sic molestiâ liberata fuit; quare à semine retento fieri dubium esse non debet. Afferri tamen potest in contrarium exemplum multarum mulierum religiosarum, atque etiam aliarum, quæ sine coïtu absque suffocatione hystericâ vivunt incolumes, scribitque *Hippocrates* veneris usum ad salubriter vivendum non esse necessarium, quæ etiam fuit *Epicuri* & *Democriti* sententia. Respondeo, necessariam tantummodo venerem iis quæ plurimum semen generant, minus verò iis quæ illius materiam in nutritionem convertunt, aut in laboribus vitam degunt, studiis incumbunt, vinum bibunt dilutissimum, tenuiter vivunt, jejuniis & vigiliis sese macerant, ut sunt religiosæ mulieres, sic parum seminis gignunt, nec ex eo noxam sentiunt. Quædam tamen mulieres aliis sunt libidinosiores, quæ coïtu carere commodè nequeunt.

Scribit *Rondeletius* ex putrido semine vapores elevari, qui postea distendunt uterum. Quasi verò uteri aut vasorum spermaticorum distentio id præstet, quòd uterus fœtu distentus præstare nequit. Malè pariter *Vallesius* sentit retrahi uterum, eò quòd ob veneris appetitum extendatur, sicut mentula in viris, nam ob ejusmodi appetitum non sursum retraheretur, sed potiùs versus collum descenderet, ut membro virili jungatur, sicut ventriculus quando fortiter appetit, cum fundo suo ad stomachum usque ferme recurrit, *1. de sem. cap. 5.*

Vult præterea *Rondeletius* semen putrescere in utero ipso, non in vasis sper-

ſpermaticis, quia illic conſervatur vel abſumitur ad vaſorum nutritionem, vel quando eſt in majori quantitate, rejicitur in uterum per nocturnas pollutiones. Neque valet eorum ratio qui dicunt ſanguinem putreſcere in venis, ergo & ſemen in vaſis ſpermaticis. Non enim ſimilia ſunt, ſanguis enim putret, quia minùs coctus eſt, & plus habet humiditatis excrementitiæ & recrementorum; ſemen autem perfectè coctum eſt, ab excrementis repurgatum, ſpiritibus turgens, benignum quantitate & qualitate. Cùm autem non permiſceatur ſemini virili, & à vulvâ non alteretur ad conceptum, putreſcit, tùm etiam ob alia recrementa in utero collecta. Ergo quibus ſemen defluxit in uteri cavitatem & in ea retinetur, ut viduis quæ defectu coïtus os internum uteri clauſum habent, frequenter fit ſuffocatio. Hinc viduæ difficulter curantur ab acceſſione, & iis recurrit frequenter, niſi peſſo aut aliâ ratione rejiciatur ſemen putrefactum. Hæc eſt *Rondeletii* opinio, quæ falſa eſt, quatenus negat in vaſis ſpermaticis poſſe ſemen putreſcere, quia viris ex retento ſemine in vaſis ſpermaticis videmus ſequi melancholiam, cibi faſtidia, nauſeas, lipothymias, capitis gravitates, corporis pigritiam & alia ſymptomata: Viris tamen coctum magis ſemen eſt & elaboratum, quàm mulieribus. Præterea ſi ſemen cavitate ſolâ uteri contineretur, per illius os efflueret: Sed tamen hæc ratio non eſt admodum valida; negandum enim non eſt & in utero & in vaſis ſpermaticis poſſe putreſcere: Utplurimum autem in tubâ uterinâ, quæ fiſtuloſa eſt, quam *Riolanus in Anthropog.* putat eſſe globum illum, quem fœminæ *uterum aſcendentem* vocant, aut etiam in teſtibus quem croceo & virulento humore plenos vidit *Anatomicorum Princeps Velaſius.* Diſtinguendum autem hic eſt ſemen retentum, à corrupto, nam ex illo leviora ſequuntur ſymptomata, quæ ſanitatis limites non excedunt, ex hoc verò longè graviora.

Quæres quare viri etiamſi ex ſemine retento varia patiantur ſymptomata, ſuffocatione tamen nunquam tentantur; variæ afferuntur rationes. Quidam dicunt ſemen illis minùs corrumpi, quia ſunt calidiores & ſicciores, ſed malè; Videmus enim non minores in viris quàm mulieribus corruptiones aliorum humorum; quin etiam viri ne minima habent ſuffocationis veſtigia, quæ tamen in mulieribus ex levi etiam putredine apparere poſſunt; & cùm etiam in viris alia accidentia ex hâc causâ perfecta appareant, ratio non redditur quare ſint immunes à ſuffocatione. Dicit *Varandæus* ſemen quando in viris abundat, facilius excuti poſſe quàm in mulieribus, ſed hoc nihil eſt; nam ſi retineatur, ut

ſolet

ſolet ſæpe, alia quidem inferre poterit ſymptomata, ſed non ſuffocationem. Addit mares animi & corporis robore majore præditos, curis, exercitationibus & labore, majorem iſtorum vaporum partem diſcutere. Sed tamen hæc omnibus maribus non conveniunt, quorum quidam nec animo, nec corpore fœminis quibuſdam præpollent, & tamen omnes ad unum ab hoc affectu ſunt liberi; nec vapores iſtos diſſipare, oſtendunt reliqua accidentia quibus ſubjiciuntur. Multò meliùs ſcribit *Riolanus in Anthropograp.* viros corrupti ſeminis nidore & tetris vaporibus non ita affici ut mulieres, quia teſtes & vaſa ſpermatica, ubi ſemen aſſervatur, extra cavum peritonæi continentur, ſeptoque membraneo ſeparantur. Cui rationi adde peculiarem uteri & vaſorum muliebrium naturam & proprietatem, qualem alia nulla pars habet, tùm ad conſervandum ſemen, tùm ad corrumpendum.

Sed præterea non ſolùm à ſemine & ſanguine corrupto fieri, ſed etiam à quolibet alio humore in utero putreſcente, & tetrum venenatumque ejuſmodi vaporem expirante, id oſtendit, quòd vetulas etiam quaſdam infeſtat, quibus nec ſeminis, nec ſanguinis ſuperfluitas colligitur, tum etiam eas quæ benè purgantur, & viri conſuetudine fruuntur. Ideò *Avicennas* & *Averrhoes* addunt fluxus albi retentionem. Imò ſi purulentus humor ex ulceribus uteri emanans coërceatur, ſtrangulationem parere poteſt. Hæc eſt peculiaris uteri natura, ut humores in eo corrupti hunc morbum inferre valeant, quòd non contingit ſi in aliâ parte corrumpantur: ex loci igitur naturâ hæc cauſa repetenda eſt, ut advertit *Fernel.* Vapores hi per œſophagũ aſcendentes ſtrangulationem inferunt, ſicut in hypochondriacis contingit, & quibuſdam venenis & fungis. Et quidem ferri per œſophagum hinc patet, quòd ſimul nauſea & vomitus conjunguntur: poſſunt quoque pulmones, thoracisque muſculos petere, atque etiam ipſum cor, tunc fit ſuffocatio ſyncopes æmula. Igitur ſanguineæ & bene habitæ mulieres, ac libidinoſæ, ſi menſtrua ſupprimantur, aut venere priventur, item valdè cacochymæ huic affectui ſunt obnoxiæ, & ratione ætatis virgines viro maturæ, viduæ & ſteriles, maximè quæ pallidis corripiuntur coloribus, rariùs autem vetulæ corripiuntur, niſi ob inſignem cacochymiam, aut fluoris muliebris retentionem. Pariter prægnantibus accidere poteſt ſi ſint cacochymæ; ſæpiùs autẽ puerperis, ſi lochia ritè non expurgentur, aut poſt laborioſum partum vel aborſum, quando poſt immodicam boni ſanguinis vacuationem pravi humores ſuperſunt, aut ut vult *Hipp.* quando uterus aëre repletur.

Externæ causæ etiam variæ recensentur, ut abstinentia, coitus, tum omnia quæ menses supprimunt, aut semen augent, aut excrementa multiplicant, aut humores agitant, cibi dulces, polytrophi, somnus, otium, luxus, excretiones præter naturam retentæ, animi pathemata vehementiora; sæpe vidi ex irâ, mœrore, malo nuntio, hunc affectum excitatum fuisse. His adde præcedentes quosdam morbos, ut quartanas febres, melancholiam hypochondriacam, aliosque qui vel hunc morbum generant, vel cum illo conjunguntur, illumque reddunt deteriorem. Addunt *Paulus* & *Avicen*. hyeme & autumno maximè fieri: aut quia autumno cacochymia copiosior est quàm alio anni tempore, & ob inæqualitatem caloris & frigoris magis agitantur humores; hyeme verò, quia frigus ambiens utero & omnibus partibus nervosis nocet, vaporumque dissipationem impedit. Sed præcipuè ab odoribus valdè afficiuntur quæcunque huic affectui sunt obnoxiæ, nam suaves odores sequitur uterus, ingratos refugit, unde odorata naribus admota, hystericum paroxysmum excitant, fœtida sedant, & contrà, si fœtida inferioribus partibus apponantur, sursum fugit uterus, & similem paroxysmum facit, quem odorata eidem parti adhibita compescunt. Ubi notandum non quælibet odorata uterum pariter afficere, minus enim læditur à *rosis, caryoph. cinnam.* & aliis aromatis, quàm à *zibeto, ambaro, moscho*. Deinde non in omnibus mulieribus fit hic affectus ab odoratis, sed tantùm in illis quæ ob peculiarem uteri dispositionem illi sunt obnoxiæ, quarum scilicet uterus malè affectus est. Putat *Alexander 2. Problem. 64.* odorata utero supposita prodesse, quia exsiccando humores absumunt, fœtida verò naribus apposita obstruere, & sic prohibere suffocationem: Verùm non reddit rationem, cur odorata naribus apposita, hunc affectum inferant. Deinde si fœtida obstruendo prosunt, potiùs ante paroxysmum, quàm in ipso convenirent. Diximus de hac quæstione sat multa *Cap. de ascensu uteri*. Dico igitur varias esse rerum sympathias & antipathias, propterea hic adesse proprietatem quandam occultam & latentem, propter quam uterus gratos odores amplexatur, tetros autem aversatur, non quidem sub odoris specie, quia etiam sumpta idem efficiunt, etiamsi olfactu non sentiantur. Nodum hunc ita solvit *Mercurialis*. Odores, ait, naturâ suâ tentare caput, *5. aphoris. 28.* cerebro affecto statim etiam uterus afficitur, ob maximam inter has partes societatem, sic humores pravi in utero perturbantur, quibus agitatis, elevantur pravi vapores ad cor, & sic suffocationem pariunt, non quòd ipsa matrix delectetur

lectetur odoribus ut vulgus credit. Objicit sibi ipsi: cur non etiam pravi odores idem faciunt? Respondet id fieri, quia pravi odores fundantur in vaporibus crudis & crassis, qui minùs cerebrum afficiunt, quàm cocti & acuti, sed potiùs obstruunt, nec acrimoniâ cerebrum afficiunt. Sed dices, unde ergo fit quòd mulieres pravis odoribus excitentur? Id autem fieri ait, quia pravi odores maximè sensum tentant, & sunt naturæ nostræ adversi, sic mulieres quanquam sopitas excitant. Verùm inde patet malè ipsum dixisse fœtida minùs cerebrum percellere, quia obstruunt, cùm statim fateatur ob naturam nostræ adversam odoratum maximè tentare. Ab hâc opinione non abhorret *Laurentius*, qui vult odorata benè cocta & acuta cerebrum ejusque membranas percellere, in cerebri sympathiam trahi uterum membranosum, tetros in eo vapores suscitari, qui in cor & cerebrum expirant, fœtida autem naturæ nostræ adversa naturam irritare, sicque pravos in utero humores unà cum tetris vaporibus extrudere. Verùmtamen si odorata naribus admota excitant paroxysmum, quia commovent vapores, cur idem non faciunt cùm ori uteri admoventur, ob viciniam enim & proximitatem citiùs agere deberent. Dices forsan tunc discutere hos vapores, naribus autem admota id non posse; verùm tàm cito non possunt crassam seminis materiam resolvere, & tamen statim paroxysmum tollunt: igitur potiùs id præstant ob proprietatem inexplicabilem, quam natura singulis partibus inseruit, quâ quibusdam gaudent, aliis autem adversantur, sicut hepar dulcibus gaudet, etsi gustu careat. Et quamvis fœtida sint naturæ nostræ inimica, & in lipothymiâ extra uteri suffocationem noceant, in præfocatis tamen animo linquentibus mirè juvant, proprietate illâ occultâ solâ experientiâ cognitâ. Teter siquidem vapor non discutitur fœtidis, sed potiùs magis augetur, & tamen fœtida illico paroxysmum sedant, sumpta etiam & vorata, etiamsi olfactu non sentiantur. Afficitur ergo uterus odoribus, non sub odoris ratione, sed vaporis & tenuissimæ auræ vaporem comitantis, quem si gratus est, sequitur, si ingratus, refugit. Sic ad odorem extinctæ lucernæ gravidæ abortiunt, quia inquinantur spiritus materni, quos per arterias umbilicales trahit fœtus. Graveolentium autem duæ sunt differentiæ, quædam enim calida & sicca emittunt acrem quandam exhalationem, quâ vapores strangulatum inferentes discutere possunt: quædam verò sunt putrida, ut cadavera, stercora humana, quæ affectum istum non juvant, sed augent.

Ex prædictis patet, errare maximè *Alexandrum Aphrodiseum Probl. 46. lib. 2.* qui docere studet non esse tutum usum rerum graveolentium. Ait enim necesse hic esse attenuare & præparare materiam, spiritus, ipsumque uterum recreare, cujus contrarium graveolentia efficiunt, nam materiam incrassant, contumaciorem reddunt, spiritus tetro odore perturbant, suffocationem augent implendo thoracem pravis vaporibus, uterique effœtam naturam reddunt, suntque maximè ingrata & naturæ inimica. Verùm contra experientiam disputare hominis est otio suo abutentis; sunt enim prædicta omnia neganda, aut minimè formidanda, leviora enim sunt mala recensita, præ bono & commodo quòd inde emergit. Quòd si ingrata sunt remedia, id habent cum plurimis aliis commune, quæ tamen sunt salutaria; quinimò ingrati illi vapores interdum in valdè tenui substantiâ consistunt, cerebrumque admodum agitant & calefaciunt, ut castoreum.

Signa. VAria symptomata affert hic affectus, pro partium quas afficit varietate, nam uterus cum omnibus partibus magnum habet consensum. Imprimis totum corpus refrigeratur, respiratio & pulsus abolentur, ob venenatam illam qualitatem calori nativo infensam, de quâ supra diximus; hinc aphonia quia ad vocem non sufficit inspiratus aër, quia oppresso diaphragmate spirandi adest difficultas. Fiunt in corde palpitationes & syncopæ; in cerebro epilepsiæ, insaniæ, maniæ, quædam quasi apoplecticæ concidunt, aliæ epilepticæ videntur & convulsionibus fugacibus & momentaneis agitantur, ex *Hippocrate in Coacis*, quia sublatâ causâ statim convulsio cessat. Varia igitur sunt symptomata, ut diximus *Cap. de affect. hystericis in genere*, ideò aliæ flent, aliæ rident, aliæ furiosæ evadunt, sicut in *Scholiis* annotavit *Hollerius, de filiabus Præsidis Rhotomagensis*, quæ risu longo ad horam unam vel alteram imminente paroxysmo corripiebantur, quem neque metu injecto, neque hortatu, nec aliis artibus poterant compescere.

Horum symptomatum alia paroxysmum præcedunt, alia comitantur, alia subsequuntur. Præcedunt cibi fastidium, nausea, mentis torpor, crurum pigrities & imbecillitas, faciei pallor, tristisque aspectus, cordis palpitatio, anhelitus compressio, dolor capitis, aliqua mentis alienatio, hypochondriorum murmur, frequens suspirium, vertigo quædam, melancholia absque causâ manifestâ, lassitudo & membrorum confractio, oscitatio, pandiculatio, sensus quidam alicujus rei ex utero ascen-

aſcendentis, quæ ſuffocare videtur. Si igitur mulier quæpiam præfocationi obnoxia eſt & hæc ſigna accedant, illam proximè imminere ſignum eſt.

Præſentem verò indicant ſtrangulationis ſenſus, quaſi à grandiori bolo devorato, ſubita aphonia, reſpiratio abolita, cum pulſu parvo, languido, cujus vicem gerit tranſpiratio. Accedit interdum delirium cum ſtridore dentium, crurum contractio, vel totius corporis convulſio epileptica, abolitio ſenſus & motus, corporis refrigeratio, & tandem in omnibus mortuæ ſimilis jacet, præterquam in colore vultus, qui ſæpè rubens eſt. Sub finem acceſſionis motus ſenſusque redeunt, pulſus augetur, palpebræ aperiuntur, genæ rubeſcunt, humor quidam ex utero emanat, inteſtina obmurmurant, vomitusque pituitoſus interdum ſuccedit ex *Avicennâ*, & frigus quoddam in collo, brachiis & ſcapulis ſentitur, paralyſis quandam ſpeciem inferens, ſed fugacem. Circuitu quodam redit morbus, hyeme præſertim & autumno. Non contingit autem prædicta omnia ſymptomata ſemper concurrere, ſed quædam mitius affliguntur, quarum ſymptomata melancholicis & cardiacis ſunt affinia, aliæ gravius laborant ob cauſæ magnitudinem, imò ob miros illos ſonos qui in imis viſceribus exaudiri ſolent, quales ſunt ranarum, ſerpentum, gallorum, corvorum, canum, creditæ fuerunt dæmoniacæ & ἐγγαστρίμυθοι, quæ tamen omnia pro viarum & erumpentis ſpiritus proportione caſus effingit, ideò à curatione non deſiſtendum.

Cauſas quod ſpectat, à ſemine fieri veriſimile eſt, ſi menſes ritè fluant, ſymptomata ſint vehementiora, adſunt cauſæ quæ ſemen coacervare aut corrumpere poſſunt, ut ætas florens, temperamentum ſanguineum, intermiſſus Veneris uſus, vita otioſa, victus opiparus, præcedere quoque ſolet uterinus furor, quo ſedato ſuccedit hyſtericus iſte affectus, & valdè juvatur blandâ contrectatione partium genitalium, ex quibus humor quidam craſſior cum voluptate effluit, qualis hiſtoria eſt apud *Galen. 1. de ſem. & 6 de loc. affect.* Quòd ſi venere utenti contingat & menſes ſupprimantur, vel parciùs fluant, veriſimile eſt à ſanguine retento fieri, ſuntque ſymptomata mitiora, mammæ turgent, corpus grave redditur, oculi, collum, lumbi dolent, & pro cacochymiæ ratione iracundæ, torpidæ, furioſæ, melancholicæ evadunt, prout ſanguis bilioſus fuerit, pituitoſus aut melancholicus. Si autem & venere utenti, & ritè fluentibus menſtruis, aut ſeniori mulieri contigerit, aut intempeſtivè uterinus fluor compeſcatur, à vitioſis erit humoribus & corruptis excre-

crementis, nec ſunt tam vehementia ſymptomata, quàm à ſemine putrefacto. Interdum autem omnes iſtæ cauſæ ſimul complicantur, quòd valde periculoſum eſt. Si fiat ab odoratis, aut aliâ causâ externâ, id Medicus diligenti inquiſitione cognoſcere poterit. Pariter quænam pars in hoc affectu præcipuè afficiatur, aut malum foveat, vel illi originem dederit, ex propriis ſymptomatis dignoſcetur, ſi ſcilicet cum uterino affectu ingraveſcant, aut deſinente miteſcant. Ventriculo laborante ructus adſunt, borborygmi, nauſea, cibi faſtidium, depravata appetentia. In corde palpitatio fit, ſyncope, tremor cum mœrore & metu. Cerebro affecto fiunt catarrhi, oculi madeſcunt, imaginatio perturbatur, convulſiones accedunt.

Habet autem magnam affinitatem cum ſyncope, catalepſi, apoplexiâ, epilepſiâ, cum quibus etiam ſæpe conjungitur: in omnibus enim hiſce affectibus repente concidunt, obmuteſcunt, nec poſſunt conſiſtere. In genere hæc ſigna afferunt *Cleopatra*, *Moſchio* & *Aëtius*, quòd ſemper præcedunt uteri querelæ, & quòd ſemper odoratis utero ſuppoſitis affectus ſedatur. Differt igitur à ſyncope, quia ſcilicet hic pulſus ceſſat, in ſuffocatione autem remanet, licet exiguus, rarus & languidus. In ſyncope ſudor eſt frigidus, color mortui ſimilis, grati odores juvant: In ſuffocatione minor pallor eſt, ſudor nullus, grati odores nocent, niſi admoveantur inferioribus, ſyncope ſolet citò finiri, ſed præfocatio interdum ad biduum & ulterius extenditur; ideò cavendum ne ante triduum ſepeliantur, nam multæ pro mortuis elatæ præter ſpem revixerunt. Sæpe tamen ſyncope cum hoc affectu conjungitur in debilioribus, tunc miſta ſunt ſigna & ſymptomata. A *catalepſi* autem differt, quia corpus non eſt rigidum, nec oculi ſunt aperti, nec alia ſunt ſigna catalepſis. Ab *apoplexiâ* verò differt ſenſu; ſentiunt enim quùm punguntur, aut pili extrahuntur, licet obtusè, & manu interdum locum indicant, nullus in reſpirando ſtertor adeſt, ſed mera reſpirationis ceſſatio, & poſt paroxyſmum meminerunt eorum quæ acta ſunt, quòd non contingit in apoplexiâ. Cum *epilepſiâ* in pluribus convenit, ſed etiam ab eâ differt, quòd non convellantur partes, niſi quando ſimul ſuffocatio uteri facit epilepſiam, ſed tunc convulſiones non ſunt ita univerſales, ut in epilepſiâ, ſed tantùm particulare aliquod membrum diſtorquent, nec ſpuma eſt in ore, quin potiùs tanquam dormientes excitantur, ſequitur murmur ventris inferioris, aut aquarum per vulvam effluxus, prætcrea pulſus major eſt in epilepſiâ, quàm in hyſtericis. Hæ poſt paroxyſmum recordantur,

dantur, & in ipso aliquando intelligunt, etsi loqui non possint. In *epilepsiâ* autem facultates principes læduntur, & respirant, quòd non possunt hystericæ. A *lethargo* verò distinguitur, quia in lethargo adest febris, pulsus magnus & undosus, quæ non adsunt in præfocatis.

At quoniam mortuis similes jacent, cautè id distinguendum est, ne intempestivè sepulturæ tradantur, nam quædam pro mortuis elatæ præter spem revixerunt. *Andreas Vesalius* nobilem fœminam in *Hispaniâ* quam mortuam judicabat dissecandam suscepit ad pollincturam, vel ut exploraret causam morbi, idque ex consensu omnium affinium. Ad primum scalpelli adactum exclamavit, unde solum vertere coactus est, cùm vix plebis furorem & inquisitorum authoritatem evasisset; ideò cautione magnâ opus est, ne mortuæ judicentur, quæ nondum sunt. Vulgò id exploratur, si lana carminata ori apponatur, tunc vivente muliere movetur, quia superest aliquis halitus. Idem dicendum est de vase aquâ pleno imposito regioni stomachi, quia si adhuc vivit, aqua movetur, aut speculum tersum naribus & ori proximè objiciatur, si ulla respiratio superest, ex halitu speculum inficitur. Hæc sunt tria signa quibus vita solet explorari, quæ tamen non sunt admodum certa, sæpe etiam solummodo transpirant, nec ullam habent sensibilem halitum, qui speculum inficere, lanam aut pelvim agitare possit: Ideò certius sternutatoriis vitam cognoscemus, ut *helleboro*, *euphorbio*, *pyrethro* naribus immissis, aut etiam *pennâ*. Tutissimum est non ante triduum eas sepelire, aut non ante horas 72, ut vult *Avicennas*, quia omnes humores intra illud tempus suum absolvunt circuitum, & si mortuæ sint, fœtere incipiunt.

GRavis hic affectus est, valdè molestus, terrificus, & interdum etiam lethalis, (quamvis rariùs) si syncope, convulsiones, abolita omnino sit respiratio, inde enim non minimum vitæ periculum impendet, est tamen differentia quædam: nam quæ fit ex semine retento & putrescente longe gravior est, quàm quæ fit ex retentis menstruis, nisi ut advertit *Mercurialis*, retenta menstrua sint melancholica, aut atrabilaria, solent enim tunc symptomata esse sævissima. Quò enim præstantior res quælibet est, eò deterior est illius corruptio, ideò fæces brutorum minùs fœtent quàm hominis; sic quæ res vitæ causa est, eadem corrupta mortem infert, ut docet *Galenus 6. de locis aff.* & si suffocata ex spermatis retentione coëat, observant quidam eam facilè imprægnari. *Prognostica.*

Obser-

Obſervanda præterea eſt natura partium affectarum, & multitudo ac gravitas ſymptomatum, hæc enim periculum vel ſalutem indicant, nam ſæpè in graviori acceſſione intereunt, impeditis reſpirandi inſtrumentis, ſi ſyncope & pulſus abolitio ſuccedant, & plures partes trahantur in conſenſum: contrà, quò ſymptomata ſunt leviora, eò minùs periculoſum malum eſt. Præterea circa ceſſationem menſtruorum naturalem, anno ſcilicet 45 vel 50, vel ceſſat prorſus, vel ingraveſcens vix unquam curatur, vires enim debiliores fiunt, & augetur cacochymia. In junioribus ſæpiùs ceſſat cum partu, ſed in prægnantibus periculoſiſſimum malum eſt ob metum abortus & extinctionem fœtus, ob denegatam reſpirandi libertatem. Puerperis quoque valdè nocet ob virium imbecillitatem. Scribit autem *Hippocrates aphor. 35. lib. 5.* mulieri hyſtericæ, aut difficulter parienti, ſternutatio ſuperveniens, bonum; ſcilicet ut cauſa & ſignum. Ut cauſa quidem, quia vehementi concuſſione partium natura excitatur, partemque vitioſi humoris tùm in cerebro, tùm in utero excutit, ſicut ſingultum eadem ſternutatio ſedat, inquit *Galenus in comment.* Ut ſignum verò, quia cerebri robur indicat, & naturam quæ priùs torpebat excitari & reviviſcere. In gravidis tamen periculoſum eſt ſternutamentum.

Curatio. IN curatione duo tempora ſpectanda ſunt, unum paroxyſmi, alterum intermiſſionis. *Paroxyſmus* igitur quamprimum tollendus eſt, naturam ſopitam excitando, ſic enim calor naturalis habet eclampſin, & quaſi reviviſcit, poſtea vapores illos malignos diſſipat & evincit, & præterea revulſionibus eſt utendum, dein incumbendum roborationi, non ſolùm uteri, ſed etiam cordis & cerebri: quæ igitur liberant à paroxyſmo, vel uterum deorſum ad naturalem locum propellunt, vel vapores ſurſum ferri prohibent, vel humores corruptos pravorum vaporum cauſas diſſipant. Quædam, quòd optimum eſt, hæc omnia ſimul præſtant. Laudantur ab omnibus graveolentia naribus admota, quia fœtida, ut diximus, cùm ſint utero inimica, illum vehementer afficiunt, concitant & repellunt, vapores diſcutiunt. Sunt autem ejuſmodi fœtida admodum varia, ut *ruta ex aceto trita, galbanum, ſagapenum, aſſa fœtida, caſtoreum, vapor ſulphuris, bituminis, gagatis & ejus oleum* (niſi mulier ſit epilepſiæ obnoxia) *capilli hominis, plumæ crematæ, cornu cervi & reliquorum animalium cornua cremata, lucernæ recens extinctæ fumus, ſoleæ combuſtæ, pix eliquata, euphorbium, opopanax, petroleum, allium*, quæ omnia & ſimilia fœditate

ditate suâ uterum deorsum propellunt. Possunt excipi vel *pice*, vel *galbano*, aut *aceto*, aut *oleis*. Igitur possunt fricari nares *oleo gagatino*, vel de *junipero*, aut *aßâ fœtidâ* dissolutâ cum *aceto*: ℞ *sulphuris vivi* ℥ ß, *assæ fœtidæ*, *castor. euphorb. galbani aceto* dissoluti *ana* ʒ j, *olei petrol.* q. s. fiant formulæ, quæ carbonibus injiciantur ad suffitum, vel includantur nodulo, & olfaciat. Matulam urinariam cum stercore humano etiam quidam naribus admovent, sed notandum plurima ex prædictis nocere, si mulier sit epilepsiæ obnoxia, quia ejusmodi fœtida spiritus agitant animales, cerebrum imbecillum offendunt, & humores in ipsius ventriculos præcipitant, tunc potiùs proderit *betonicam*, *rutam*, *puleg. calamint. thymum*, *orig. sinapi*, & alia acria aut contrita, aut aceto cocta naribus admovere, nam crassos vapores attenuant, stomacho, thoraci & pulmonibus opitulantur ex *Aëtio*. Admoveri quoque potest *oleum guaiaci*, *succini*: sed maximè commendantur *verrucæ* adnascentes tibiis equorum, quæ siccatæ in clibano & naribus admotæ, aut carbonibus injectæ, subitò tetro odore mulieres reducunt. Laudantur valdè à *Paracelso*, qui addit *gagatem*, *assam fœtidam*, *stercus caprillum*, à quo desumpserunt *Albert. Bottonus*, *Rodericus à Castro*, & alii Recentiores. Nec solum naribus excipitur hic fumus, sed etiam utero; & sanè mirum est uterum hunc fœtorem sustinere & eo gaudere, qui tamen alios adeò aversatur, unde specificum matricis has equorum verrucas quidam censuerunt, quamvis non valdè efficax invenerim hoc remedium, etiamsi eo sæpius usus sim. Circa usum horum graveolentium notandum, ea quidem posse vapores dissipare, frigiditatem emendare, expultricem irritare; non tamen iis absque magnâ cautione esse utendum, quia spiritus inficiunt, humores reddunt contumaces, ut advertit *Aphrodisæus in Problem.* Prodesse quidem solent in eâ suffocatione quæ ab uteri motu dependet, aut vapore putrido ex seminis corruptione exhalante, quicquid alii contra sentiant, minùs autem in eâ, quæ ex menstruorum suppressione oritur.

Sicut autem fœtida naribus admota uterum repellunt, sic contrà odorata pudendis apposita, uterum retrahunt & vapores tetros revellunt. Et de his observandum, quando ejusmodi bene-olentia supponuntur utero, unicè cavendum ne ad nares odor perveniat, allicerent enim uterum, non retraherent, ideò curiosè tegenda mulier, ne odor nares feriat. Pariter quando fœtida partibus superioribus adhibentur, cavendum iisdem integumentis, ne fœtores ad uterum perveniant. Vult autem *Alexander in Problem. lib. 2. 65.* hæc non prodesse quatenus sunt odo-

rata, sed quia calida & acria cùm sint, dissipant & exsiccant uteri vapores. Prosunt igitur suffitus ex *caryophyll. cynnam. nuce moschatâ, pipere, agalloc. thymo, spicâ, lavend. calamint. puleg. samsucho, artemisiâ, benjoino, zibeto, styrace, ambra, moscho, gallia & aliptâ moschatâ, diamb. diamosch. calamo aromatico, oleo de spicâ moscatelino* &c. fumumque pannis circumtecta excipiat in sede perforatâ per infundibulum. Quidam suadent ut nares claudantur, ne vapor suavis nares feriat, sed in paroxysmo paulò graviori periculosum illud est, ne respiratio quæ jam plurimum læsa est, ac ferè nulla, prorsus pereat & aboleatur. Valet quoque *bombax moschatus* & reliqua odorata, quæ vel formâ pulveris, vel *ladano* aut *mucilagine* excepta, formantur in trochiscos ad suffitum, vel illitum; fiant igitur inunctiones ex *oleo nardino, spicato, moschato, jasmeleo*, cum *styrace, calamitâ* & *moscho*. Sufficit prædictis imbutum gossipium in mulieris genitalia immittere: ℞ *galliæ* vel *aliptæ moschatæ* ℈ j, *caryoph. ligni aloës ana* ℈ ß, *piperis, spicæ ana gr.* v, *zibeti* ℈ ß, *benjoini* ℈ j, *styracis calamitæ* ʒ ß, excipiantur *oleo laurino* vel *spicato*, & illinantur prædictæ partes. Suppositorium & pessarium sequens valdè commendatur ab *Hollerio*; ℞ *galliæ moschatæ* ℈ j, *cinnam. malab. caryoph. ana* ℈ j ß, *ladani, styracis ana q. s.* cum *aquâ rosarum* fiat veluti suppositorium, quòd indatur genitalibus: Dosin mutavi, quia *gallia moschata* admodum cara est, nihil fermè nisi *ambra* & *moschus*. Proderit etiam si obstetrix blandè partes genitales confricet, digitis prius oleis odoratis intinctis. In virginibus sufficiet os uteri, in aliis etiam interiora blandè contrectare, ut *oleo amygdal. dulc. laurino, costino, de spicâ, jasmino*, in quibus aromatica etiam admisceri possunt & incoqui. Contingit enim interdum ejusmodi titillatione & frictione semen aut humorem quempiam corruptum excerni, quo excreto sedatur paroxysmus, sicut in viduâ quâdam se vidisse refert *Galenus*, quæ crassum copiosumque humorem hâc arte excrevit; Idque prodest quando ejusmodi suffocatio pendet à retento semine & alterato, in virginibus & viduis, quando coïtus denegatur. Verùm an id liceat facere, & sic naturam ad semen expellendum irritare, Theologorum est inquirere. Non absurdè creditur id licere, quia tunc semen fœminis invitis, minimèque consentientibus excernitur, estque ejusmodi semen minimè prolificum, sed venenum corporis, non solum inutile, sed etiam noxium excrementum, sicuti sanguinem seminis materiam, omnesque morbificas causas detrahimus, nec aliter curatio succedere potest, quidni pariter semen, quando tam periculosi symptomatis causa evadit, vacuare

cuare

cuare non licebit, aliarum causarum morbificarum more. Si mulier sit pauperior, *caryophyllis*, *nuce moschatâ*, *pipere*, *cinnamomo* dissolutis uti poterit, sic, propter calorem aromatum & manus titillationem, vulva ad excernendum incitatur. Pariter coïtus sedat paroxysmum, uterumque allicit, maximè si penis oleis odoratis illinatur, ut *oleo moschatelino*, aut alio quovis, in quo granum *moschi* vel *zibeti* fuerit dissolutum: Ideò nuptias virginibus, & viduis Medicus consulere debet.

Sed præterea tetros hosce vapores revellunt, frictiones asperiores partium inferiorum ex *sale* & *aceto*, & earundem partium ligaturæ dolorificæ, pilorum pudendi evulsiones, cucurbitulæ cum multâ flammâ fœmoribus admotæ & inguinibus, non autem umbilico aut partibus superioribus; ungantur plantæ pedum oleis attrahentibus, ut *laurino*, *nardino* &c. Ideò non sine ratione vidi à quibusdam applicari *ollas* cinere calente plenas, aut *allio* confricatas, attrahunt enim ad sese vapores, eosque dissipant. Pariter etiam *piper*, *zinziber*, *sal gemmæ*, & alia ejusmodi acria commodè pudendis immittuntur, tùm ut attrahant, tùm ut naturam irritent ad expulsionem. Et quoniam hysterici hi vapores sunt de genere flatuum, solentque sic affectæ mulieres, magnâ ex parte plenæ esse ventorum, glandibus & clysteribus acrioribus utendum erit ex decocto *pulegii*, *mercur. centaur. majoranæ*, *artemis. rutæ*, *matricariæ*, *sem. carui*, *cumini*: In quo dissolve *olei de spicâ*, vel *costini*, vel *rut.* ʒ j, *castor.* ʒ ß, *trochisc. aliptâ moscat.* ℈ j, *hieræ picræ* vel *diaphœnici* ℥ ß, *terebint.* ʒ ß. Clysteres quoque uterini in Venerem expertis non nocent: in virginibus verò *nascalia* ex *diaphœn.* cum *terebint.* & *galliâ moschatâ*, quæ gossipio excepta, indantur in uterum. *Crystalli Jovis* probantur à Chymicis. Præparationem docet *Sennertus in Institut.* sic & *oleum Saturni*, vel umbilico inditum, vel ad guttas tres assumptum, sed non inveni magnas illius remedii vires.

Sectio venæ malleoli probatur à *Mercuriali* & aliis quibusdam, si menses sint suppressi, & corpus sit plethoricum. Verùm id audacius factum crediderim, minusque tutum esse remedium in ipso paroxysmo, ob summam virium debilitatem, syncopes metum, & totius corporis refrigerationem, tùm quia paroxysmus à venenatis & malignis fit vaporibus, cor & cerebrum infestantibus, qui venæ sectione nec excludi possunt, nec emendari; potiùs periculum est, ne venenati vapores in viscera trahantur. Verùm extra accessionem & tempore intervalli, non erit inutile hoc remedium, si pendeat affectus à mensibus retentis, aut semine copioso

copioso diutius cohibito, ut *Cap. de menstr. suppress.* diximus. Aliàs si fieret in ipso paroxysmo, potiùs exasperaretur, agitato & commoto venenato hoc humore & vacuatis cum sanguine spiritibus, qui corporis vires sustinent, & humores malignos cohibent & emendant.

Sed præterea ad paroxysmum tollendum prosunt ea, quæ cerebrum ipsiusque expultricem stimulant, quæ tamen epilepticis sunt cavenda, ut *sternutamentum mulieri hystericis laboranti, aut difficulter parienti superveniens sternutatio bonum*; *aphor. 35. lib. 5.* ubi per hystericos affectus hunc intelligit, de quo locuti sumus; nam nec ulcera, nec inflammationes, nec eresypelata, nec abscessus uteri sternutatio juvat, ut docet *Galenus in com.* Commodè autem provocatur sternutatio *pulvere hellebori albi, pyret. euphorb. piperis*, sed potissimùm *castoreo*, quia ob odoris gravitatem etiam prodest. Monet autem *Mercurialis*, ne hæc & similia, repleto capite adhibeantur, periculum siquidem imminet, ne ex præfocatis fiant apoplecticæ, auribus instilletur *oleum spicæ, salviæ, succini.*

Aëtius vomitum commendat; verùm an conveniat, dubium esse potest: nam si causa morbifica in utero stabulatur, vix credibile est posse eam per tot viarum ambages ad ventriculum attrahi & sic vacuari; nec etiam antecedens, quia hæc paroxysmum nondum concitat, & propterea ejus vacuatio multum prodesse non potest. Quin etiam vomitus in paroxysmo humores sursùm evocat, eosque in utero latitantes, quia (ut diximus) vacuare nequit, magis commovet, sursum rapit, & paroxysmum graviorem efficere potest. Verumtamen certum est prodesse vomitum, tam in paroxysmo, quàm extra paroxysmum, sicut sternutatio motu & agitatione juvat, sic etiam & vomitus; nam in actu vomendi non solùm vacuantur humores morbifici qui malum faciunt, sed etiam contentione musculorum abdominis, uterus deorsum protruditur, & vapores inde elati dissipantur. Cùmque uterus facilè quibuslibet rebus offendatur, non semper in ipso causa latitat, sed etiam in aliis partibus, quæ suâ cacochymiâ uterum lacessunt, ut motus edat inordinatos, sicut sæpe de affectibus lienis hystericæ conqueruntur. Si igitur alibi quàm in utero causa hæreat, poterit per vomitum excludi, sicque competet tàm ratione causæ conjunctæ, quàm ratione antecedentis.

Sed præterea utilissimè hypochondria fasciis deligantnr & constringantur, ut sic compresso abdomine prohibeantur vapores sursum ferri. Familiare quoque est quibusdam comprimere os & nares, & respirationem cohibere, ut sic natura excitetur, quæ opinio dicitur fuisse *Haly*, quòd

quòd tamen mihi videtur periculoſum, cùm enim fermè abolita ſit reſpiratio, eam omnino prohibere & intercipere abſque animantis pernicie fieri nequit. Quidam non in ipſo paroxyſmo, ſed eo inſtante, hoc remedium utile putant, quia per anhelitus retentionem partes ſuperiores excrementa ſua ad inferiora expellunt, ut patet in urinâ & alvi dejectione, & in iis qui patiuntur herniam, anhelitu enim cohibito fortiùs expelluntur. Idem quoque matrici contingere probabile eſt. *Valeſius* tamen id probat in ipsâ acceſſione, modò conſtrictio & retentio anhelitus brevis ſit, levis, & interpolata, quia ſic calor nativus roboratur, vapores hyſtericos reſolvit, uterumque verſus inferiora impellit. Verùm *Sylvius* tantùm abeſt, ut anhelitum ſupprimendum putet, quin potiùs in nares, ore inſufflaſſe optimum cenſet, uterum enim, inquit, ſtatim deturbat.

In eundem quoque uſum plurimæ ore aſſumuntur, ut ſunt pilulæ ex *hierâ, caſtor. aßâ fœtidâ*, aut *trochiſci hyſterici Renodæi*, aut *trochiſci de myrrhâ*, ex quibus etiam diſſolutis, poteſt fieri potus cum *aquâ theriacali*, aut *epilepticâ Langii*, vel *hyſtericâ* deſcriptâ in *Pharmacopœâ Londinenſi*. ℞ *ſucci rad. bryon.* ℔ iiij, *ſucci rutæ, artemiſ. ana* ℔ ij, *folior. ſiccor. ſabinæ* M. iij, *matricar. nepetæ, puleg. regal. ana* M. ij, *fol. ocymi, dictamni cret. ana* M. j ß, *cort. arant. flavi recentis* ℥ iiij, *myrrhæ* ℥ ij, *caſtor.* ℥ j, *vini generoſiſſimi* ℔ xij. Digerantur per quatriduum vaſe idoneo, mox fiat in balneo diſtillatio, dein ſub medium diſtillationis expreſſio, & tandem per diſtillationis continuationem & tincturæ inſpiſſationem, præparetur *extractum hyſtericum*. Vel ℞ *rad. petaſ. angel. zedoar. liguſt. ana* ʒ iij, *jul. nucum jugland.* ʒ ij, *caſtor. myrrhæ ana* ʒ j, *vini opt. q. ſ.* Diſtill. doſis ſit cochlear j. Adde ſi vis, *ment. meliſſæ, calam. ana* M. ij, *ſem. dauci* ʒ ij. Vel ℞ *rad. aperient. Valer. majoris, Imperat. dauci ana* ℥ j, *chamæd. meliſſ. beton. ſcolop. ſoldanel. praßii albi, centinodiæ parvæ ana* M. j, *cortic. rad. cappar. tamariſci ana* ʒ vj, *enulæ campanæ, ſem. lithoſpermi, apii, dauci ana* ʒ ij, *pulver. diarh. triaſant. ana* ʒ iij; contuſa infundantur in *vini albi* ℔ iiij, per ſeptem dies diſtillentur: doſis cochlear unum in paroxyſmo vel extra. Laudat *Varandæus* ſequentes pilulas; ℞ *caſtorei, myrrhæ, aſſæ fœtidæ ana* ℈ j, *ſem. rutæ, croci ana gr. iij*, cum *ſyrupo de artemiſ. f. pilul. xij*: capiat unam aut duas inſtante paroxyſmo, atque etiam tempore intervalli, poteritque ſuperbibere parum *aquæ imperialis*. Sed præſtantiores ſunt *trochiſci Renodæi*; ℞ *aſſæ fœtidæ, galban. ana* ʒ ij ß, *myrrhæ* ʒ ij, *caſtor.* ʒ j ß, *azari, ariſtol. ſabinæ, matricar. nepetæ ana* ʒ j, *dictamni* ʒ ß, cum ſucco aut decocto *rutæ*

fiant *trochisci*, sufficiet ℈ j pro dosi. Spiritus quoque *castorei* in *Antidot. Londinensi* descriptus, utilissimus erit. ℞ *castor.* ℥ iiij, *florum lavend.* ℥ j, *summit. salviæ* & *rorismar. ana* ℥ ß, *cinnam.* ʒ vj, *macis, caryoph. ana* ʒ ij, *spiritus vini optimi* ℔ vj. Digerantur in phialâ ad tertias repletâ, & optimè clausâ per biduum in cineribus, vel arenâ, dein spiritus eliciatur per B. M. Verumtamen infusio distillationi præferri debet, sicut & extractum quòd in fundo post distillationem remanet. *Avicennas* grana aliquot *piperis* contusa exhibet cum jusculo. *Gesnerus* commendat *testiculos equorum*, præfertque *castoreo*: alii commendant *semen dauci* cum *vino*, *theriaca* quoque & *mithridat.* sumuntur cum *aquâ artemisiæ, cardui, naptæ* ad cor tutandum, sicut una aut altera gutta *olei de succino, caryoph. cinnam. terebinth.* vel de *gagate*, cum *aquâ camphoratâ*, aut *imperiali, cœlesti*, &c. ℞ *trochis.. Renodæi* ℈ j, dissolve in *aqu. hystericæ*, vel *epilepticæ Langii* ℥ ß, *aqu. menthæ* ℥ j: adde *olei piperis guttas ij*, *olei succini guttas iij*, *spiritus castor. cochleare unum*. Misce in duas doses. Prodest quoque *bryoniam* in *vino albo* ad ʒ j propinare. Recentiores ut *Quercetanus*, fæculam *bryoniæ* præferunt, quæ non est improbanda, quamvis non sit præferenda toti *bryoniæ*: Et *Matthiolus* adeò commendat *bryoniæ pulverem* semel in hebdomade, aut decoctum in *vino albo*, ut hoc solo potu mulierem convaluisse scripserit. Vel ℞ *conservæ salviæ, beton. ana* ℥ ß, *diaspolit. diacymini ana* ℈ j, *diacalamint.* ʒ ß, *olei succini guttas iij*, cum *syr. de artemisiâ*, fiat electuar. *Galenus* quoque *agaricum* præbet in *vino*, 9. κατ. τόπ. ubi etiam commendatur *acetum scylliticum*, aut ʒ j *theriacæ*, quæ *oleo rutaceo* soluta, parti illi applicatur. Quoniam autem cordis vires hic deficiunt & collabuntur, optimum erit epithematis cordialibus eas recreare ex *aquâ imperiali*, aut *vino generoso*. Quidam *pullos columbinos* per medium secant & imponunt, quòd familiare est *Monspelii*. *Vinum generosum* optimum & calens, præbet *Hippocrates*, 1. *de nat. muliebri*, ob magnam corporis refrigerationem, virium languorem, spirituum paucitatem, ideò sicut in qualibet syncope etiam hic vinum prodest. *Avicennas* tamen *aquam* præfert, *vinum* omnino prohibet, *fen. 21. lib. 3.* calore enim suo humores agitat, sanguinem calefacit, sperma auget, à quibus affectus hic solet ingravescere. Respondet *Valesius* convenire in paroxysmo ad cor roborandum, ut fumos istos à se expellat, & sic esse intelligendum *Hippocat.* *Avicennæ* autem sententiam veram esse extra paroxysmum, si sit à seminis copiâ. Verùm tutius est etiam in ipso paroxysmo abstinere, ab eo enim pejus habere solent, nisi gravitas symptomatum, ut magna syn-
cope

cope nos cogat ad illius exhibitionem, ſemper enim urgentiori eſt occurrendum.

Extrinſecus admoventur fomenta pubi & abdomini ex decocto *lilior. valer. chamæm. meliſſæ, angel. puleg. abſynth. roſmar. lauri, artemiſ. major. fœnic. nepetæ, carui, cumini*, aliiſque ſuaveolentibus, flatus diſcutientibus & hyſtericis, in *aquâ* & *vino albo* decoctis; vel ex prædictis fiant ſacculi, qui etiam apponantur *ruta* cum *vitello ovi*, & paucâ *aquâ vitæ* umbilico imponatur. Injectiones quoque in uterum non ſunt inutiles ex decocto hyſterico, in cujus ℥ *iiij* diſſolve *theriacæ* ʒ ß, *benedictæ* ʒ *iij*, *aquæ alicujus hyſtericæ* ℥ j; fiat injectio cum metrenchyte. ℞ *mercur. artemiſ. matricar. liguſtici, rutæ ana M. j, flor. anthos, ſtœchad. lavend. ſalviæ, chamæm. ana P. j, ſchœnant.* ʒ j, *ſpicæ nardi* ℈ j, fiat decoctio in *vino* ad ℔ *j*. In colat. diſſolve *benedict.* vel *hieræ* ℥ ß, *olei nardini* ℥ ß; Miſce, fiat injectio.

Poſtquam incipiunt loqui & melius reſpirare, in uterum ſunt mittenda peſſaria attrahentia, ut quicquid illic corruptum eſt, aut ſemen, aut aliud quippiam attrahatur, flatuſque concluſus abſumatur. Fiunt autem ex carminantibus & flatus diſcutientibus, ut *benedict. hiera, cumino, rutâ, carui, fœnicul.* &c. ut diximus *Capit. de emphyſemate uteri.* ℞ *elaterii* ʒ ß, *euphorb.* ℈ ß, *ſalis gemmæ, nitri ana* ʒ *j*, *bened.* ʒ j ß: irrorentur aceto optimo; dein involvantur panno ſericeo, & indantur utero. Poſt apponatur ſub umbilico *emplaſt. de baccis lauri*, vel *ceroneum*, non autem illud quòd pro matrice vocatur, quia adſtringit, & materiam retinet. *Ceroneum* autem ex *lacrymis* & *gummis* componitur, unde diſcutit, digerit, calefacit, materiam abſumit: Illi autem addi poteſt *ladanum, cumin. alipta, moſchata*, & cum *oleo nardino* ſubigatur. Formetur autem ad formam ſcuti, & quâ parte umbilicum tangit, apponantur grana aliquot *moſchi*. Quidam conficiunt ex *galbano, pice*, aut *aſâ fœtidâ*. Fieri quoque poterit ex *gummi elemni, caraǹâ, tacamahacâ, balſamo, ſtyrace liquidâ, diamb.* cum *terebinth.* & *cerâ*, aut ex ſolâ *theriacâ*, cum *oleo de ſpicâ*. Prodeſt abdomen inungere ex diſcutientibus & vias dilatantibus, ut *oleo rutaceo, anet. lilior. chamæm.* cum *caſtoreo*. Prodeſt unguentum ex *ſclareæ* coctâ in butyro, addito *gummi tacamahaca*. Quidam ſuadent *oßi ſacro* apponere dropacem: Cavendum tamen ſi mulier hyſterica prægnans ſit, ne horum uſu abortus concilietur, propterea leviora eſſe debent, minuſque valida quæ intus aſſumuntur: ſed rarius ſolent prægnantes iſto affectu teneri. Vix credibile eſt quòd ſcribit *Hippocrates 5. epid.* mulierem

lierem quandam hystericam, injectis triginta aquæ frigidæ amphoris, excitatam fuisse, quòd remedium in sanis, multò magis in ægris, periculosum est, nec temerè imitandum.

Eorum autem quæ diximus plurima, soluto etiam paroxysmo, conveniunt, imprimis autem causa tollenda est, uterusque roborandus. Cacochymia propriis catharticis tolli potest. *Galen. 9. κατ. τόπ.* præscribit *agarici trochisc.* ʒ j cum *vino*, hoc tamen remedium *Varandæus* reformidat in iis quæ sunt vomitui obnoxiæ, iis enim vomitus nocet ob partium inferiorum & uteri agitationem. Verùm vomitum prodesse experientiâ didicimus, ut suprà diximus, quia excitat virtutes omnes animales & vitales, ut expellant humores malignos. Præterea cavendum est à catharticis nimium dulcibus, quia uterum commovent. Prodest dare *terebint.* ʒ j ß, *pulveris hieræ, diacoloc.* ℈ ij. ℞ *terebinth.* ʒ iij, *agar. trochisc.* ʒ j, *pulveris hieræ* ʒ j ß, *seminis dauci, cannab. ana* ℈ j, cum *conserv. anth.* fiat bolus, ex *Hollerio* in duas doses. Vel ℞ *hieræ picræ* ʒ ß, *castor.* ℈ j, *agarici trochisc.* ʒ ß, cum *aquâ hyssopi*, vel *matricar.* fiant pilulæ. Vel ℞ *pilular. fœtidar.* ʒ j, cum *aquâ theriacali*, fiant pilulæ. Vere & autumno non erit inutile apozematis idoneis in plures doses institutis humores præparare & purgare: ℞ *succi rad. bryon.* ℥ iij, *decocti hyssopi, orig. ligust. sesel. cardam. stœchados* ℔ ß, *mellis* ℥ iij: Coqu. despumentur, fiat apozema. Optimum est decoctum *syrupi de artemis.* singulis diebus propinatum ad ℥ iij, dein purgari iterum poterit prædictis, aut *diaphœn. pilulis aggregat. de hierâ.* Quòd si adfuerit plethora, vel mensium suppressio, vena secanda erit in partibus inferioribus, tùm ut menses revocentur, tùm ut natura oneris parte levata, reliquum facilius superet, tùm ut fumi & vapores ascendentes revellantur. Loco venæ sectionis admoveri possunt hirudines, cucurbitulæ, etiam scarificatæ, omnique arte menses sunt provocandi, ut suo loco diximus. Uterum autem roborant, & humores absumunt decoctum *guaiaci, sassafras, chinæ*, per plures dies sumptum, sicut & potus ac balneum aquarum thermalium sulphurearum, theriaca quoque mithridat. &c. ℞ *pulveris diamargar.* ʒ ß, *aromat. rosati, diamoschi ana* ʒ j, cum *conserv. anthos* fiat electuarium. ℞ *pulveris lætificantis Galeni* ʒ j, *castor.* ℈ j, *sacch. aqu. melissæ dissoluti* ℥ ij, fiant tabellæ, addendo *olei carui chymici, & junip.* ana guttas duas. Balnea quoque, insessiones & fotus uteri fiant ex *matricar. calam. abrot. sem. carui, dauci, anis.* &c. Emplastra quoque supradicta conveniunt; ℞ *allium unum*, incidatur, *prunis* imponatur, & adde *aloës hepatica*

tica parum, ſuccus colligatur, quo inungantur mulieris umbilicus, pulſus, tempora & nares, & ſtatim expergiſcitur, valet quoque ad lumbricos. Optimum demum eſt dropaces & ſinapiſmos adhibere, & fonticulos in tibiæ parte internâ, qui ſenſim humores ab utero eliciunt & revellunt.

Quòd ſi fiat à ſemine retento, optimum eſt ut viro jungantur, ex *Hipp. lib. de virgin.* nam ſi conceperint, ſanæ fiunt, aliàs omni arte ſeminis generatio prohiberi debet. Caveat à piperatis, ſalſis, condimentis, vino generoſo, victu polytropho, ſed tenuis ſit victus, refrigerans ex piſcibus, pane & aquâ contentâ, aut oleribus crudis, *pomis, prunis, portul. lact. menthâ*, & ſimilibus; frequenter jejunet, multùm & diu laboret, vena frequenter ſecetur, & omnibus ſemen abſumentibus utatur, de quibus *Capite de furore uteri* dictum fuit. Verùm ſi ab aliis cauſis ut ſuppreſſis menſtruis morbus hic fiat, victus ſit tenuis, attenuans, calefaciens & incidens, ut *vinum album, cappar. olivæ, mentha*, &c. Aër purus, exercitium moderatum, ut ſuo loco etiam diximus.

Cap. XII.

De Lienis Et Hepatis Affectibus Ex Utero.

Etiam utero conſentiunt lien & jecur. Cùm enim uterus plurimas habeat venas, easque ſatis grandes, facilè ſanguis ſi ſupprimatur & vitietur, ad hepar regurgitat, unde variæ morborum ſoboles pro humoris peccantis naturâ, nam vel copiâ ſuâ calorem ſuffocat, unde cruditates fiunt & cachexiæ, pallidi colores, vel putreſcit, unde febres, vel ſcirrhum, aliosque morbos procreat, ut diximus *Cap. de ſuppreſſ. menſt.* nec alia cura eſt qaàm quæ illo *Capite* explicata fuit, & *Capite de pallidis coloribus*.

Sed lien maximè afficitur per arterias hypogaſtricas & cœliacas, unde quamplurimæ hyſtericæ tantùm putantur eſſe hypochondriacæ, regurgitantibus pravis humoribus ad lienem, ob mutuas anaſtomoſes venarum & arteriarum. Facilius autem afficiuntur, quæ ætate ſunt provectæ, temperamenti calidioris, quibus juvenibus menſes bene non fluxerunt. Sentiunt autem in latere ſiniſtro dolorem quendam, qui ad mammas & jugulum protenditur, cogitabundæ ſunt triſtes, & ex ſan-

Ff guinis

guinis fervore in facie phlogosis quædam apparet, sed quæ statim evanescit, crebris quoque ructibus infestantur: adest respirandi difficultas, alvus sicca, fœtidis juvantur, suave-olentibus læduntur.

Est autem affectus hic curatu difficilis, sicut & omnes sunt lienis affectus, multò magis si uterus vitia sua admiscuerit, facilè autem in scirrhos & hypochondriacam degenerat. Cura eadem est cum eâ quam *Capite de melancholiâ ex utero* descripsimus. Si fiat in iis quibus nondum ætatis ratione menstrua cessaverunt, erunt ea omni arte revocanda, vena secanda est, hæmorrhoides provocandæ, purgandum corpus melanagogis, ut decocto *epithymi Mesue, catholico, diasennâ, confect. hamech, helleboro nigro, lapide lazuli, antimonio, pilulis tartareis.* Demum ad usum chalybis veniendum, eaque omnia facienda sunt, quæ locis prædictis exposuimus.

CAP. XIII.

DE VENTRICULI AFFECTIBUS AB UTERO.

PAriter in ventriculo varia fiunt symptomata, picæ, malaciæ, appetitus læsiones, coctionis defectus, vomitus, ructus, cardialgiæ, dolores, ob pravos humores & vapores ventriculum obsidentes, qui ex corrupto semine, aut suppresso sanguine, aliave quapiam uteri cacochymiâ excitantur, & per arterias ac venas hypogastricas & cœliacas in ventriculum feruntur. Si calidus sit vapor & salsus, ac nidorulentus, facit inappetentiam & sitim; si frigidus, coctionem lædit; si pravam & malignam habet qualitatem, picam & rerum absurdarum appetitum inducit; si orificium ventriculi obsidet, lædit appetitum; si cavitatem, ructum & vomitum facit; si tunicas, nauseam & singultum, estque affectus satis diuturnus ob perennem humoris morbifici generationem, qui ab ejusmodi vaporibus inquinatur, atque ex pravorum ciborum usu, ut *fructuum, lacticiniorum*, possunt etiam ejusmodi mala fieri in mulieribus. Facilè autem cognoscitur ex ægrotantium relatione; & quoniam hic affectus sympathicus est, symptomata interdum remittunt, adsuntque uteri, lienis, mesenterii, & aliarum partium affectarum signa. Periculosa sanè hæc sunt symptomata, ob partis affectæ necessitatem, affectusque sæpè ex sympathico redditur idiopathicus, & curatu difficillimus. Si autem tantùm sit sympathicus, uteri solummodo habenda est

cura,

cura, parum roborato ventriculo. Sed ſi præterea fuerit idiopathicus, humores erunt purgandi vomitu & catharſi, ut *pilulis alephanginis*, *de hierâ*, & aliis blandioribus, tum roborandus erit ventriculus, *theriacâ, mithridat. arom. roſato, diarhod. ſyr. citon. granat. menthæ, abſynt.* ſicut inter affectus ventriculi pluribus expoſuimus.

DE AFFECTIBUS MULIERUM QUI CONCEPTUM ET PARTUM SPECTANT.

LIBER QUARTUS.

Cap. I.

De Sterilitate.

Foeminas factas fuiſſe ad fœtus conceptionem & geſtationem, ſuprà diximus. Generatio enim conſtat ſeminis conceptione, retentione, fœtus geſtatione & partu. Ad conceptionem autem oportet ſemen viri excipi, retineri, & ad actum promoveri, quòd uterus inſitâ facit proprietate. Semen etenim prolificum nullibi quàm in utero ad actum poteſt promoveri, in quolibet alio loco irritum evadit. Conceptio iſta variis modis lædi poteſt, vel tollitur in ſterilitate, vel minuitur in raro conceptu & difficili, vel depravatur quando loco veri conceptus mola fit, aut monſtrum, aut aliquid heterogeneum; de quibus omnibus ſigillatim nobis diſſerendum eſt, ducto initio à fruſtratâ conceptione, quæ propriè ſterilitas appellatur, malum priſcis odioſum, ut paſſim teſtantur Sacræ Litteræ. Vocatur à Græcis ἀφορία, ἀτεκνία, ἀγονία, στείρωσις: *Galenus* vocat ἀτοκίαν, & medicamentum inducens ſterilitatem ἀτόκιον. Eſt autem impotentia mulieris viro utentis, ad concipiendum, debito tempore & ætate. Nam quæ impuberes adhuc ſunt, aut ſenio confectæ, ſteriles dici non debent, quia naturæ inſtituto non poſſunt generare. Unde miraculoſa & ſupra naturæ vires fuit conceptio *Iſaac*, & *Joannis Baptiſtæ*, ſicut prodigioſum quoque illud

est, quòd scribit *Savanarola*, puellam novem annorum peperisse. Junioribus semen in corporis accretionem totum absumitur. Senioribus tenue est aquosum & languidum. Sunt autem quatuor istius affectus differentiæ, nam quædam absolutè steriles sunt, quæ nunquam concipere possunt, etiamsi utantur virili congressu unius aut plurium, & remediis adjuventur. Aliæ verò tantùm comparatè & respectu ad virum, quæ etsi in primo matrimonio steriles sint, in secundo tamen alteri viro conjunctæ concipiunt, & fœcundæ sunt. Aliæ verò tantùm ad tempus, ob affectum aliquem uteri, quo curato, postea concipiunt. Aliæ demum pepererunt quidem, postea tamen fiunt steriles ob vitium aliquod in partu contractum. Nam mulier etsi semel conceperit, censetur tamen sterilis, si amplius non concipiat. Steriles autem non debent censeri quæ concipiunt & semper abortiunt, quamvis *Moschio* eas steriles esse censeat, sed malè.

Causæ autem istius affectus variæ ab Authoribus afferuntur. Fit enim sterilitas vel vitio maris, vel fœminæ, vel utriusque: Ut si morbo aliquo vel acuto, vel diuturno laborent, à quo præcipuæ corporis partes, ventriculus, jecur, lien, pulmones labefactantur, atque vel intemperie, vel obstructione, vel scirrho tentantur, maximè si cachexia, leucophlegmatia, icterus, corporis extenuatio, tabes, lenta febris, aliusve similis affectus ex pravorum humorum congestione subsequatur. Quædam etiam citra manifestam corporis actionumque vitæ offensionem, latenti quodam vitio tentantur, unde pariter steriles esse solent. His enim omnibus aut deest semen, aut prorsus infœcundum excernitur. Visæ tamen sunt mulieres etiam cum ejusmodi vitiis concepisse, sed vel fœtus languidos & immaturos, vel molas, & irritos conceptus.

Sed specialius causæ sterilitatis sunt examinandæ, in iis quæ maturâ ætate, nullo sensibili vitio detinentur. Et quia ad integram affectus explicationem causæ sterilitatis in viris sunt cognoscendæ, de iis etiam paucis agemus. Igitur ad generationem tàm in maribus quàm in fœminis, requiritur partium genitalium proba temperies, constitutio & incolumitas, seminis fœcundi ubertas, ejusdem attractio, retentio, sanguinis materni moderata affusio. Verùm fœmina etiamsi semen habeat proprium, illud tamen debilius est, nec quicquam per se potest ad conceptum vel generationem, nisi semini virili admisceatur. Sterilitas igitur prædictorum vitio necessariò contingit.

In maribus igitur, in genitalibus vitium est, si penis sit longior, ex

Arist. 1. de gener. animal. cap. 6. quem sequitur *Avicenna*, quia scilicet semen in via refrigeratur, quasi possit penis in coïtu refrigerari, cujus calor undique uteri & partium vicinarum calore fovetur, ipsiusque penis glans ad partes internas quæ calidiores sunt, pertingit, & malè cum asino, equo, aliisque animalibus ageretur, quibus naturæ longiora fecit hæc membra. Probabilius alii idem de breviore affirmant, quia non tam facilè semen in uterum injicitur. Certum tamen est utrosque filios posse procreare, nam uterus vi insitâ semen attrahit ad sese, quamvis in ipsius sinum non effundatur. Potiùs sterilitas fit vitio penis, si perpetuò gracilis sit & flaccidus, ut erigi non possit ad seminis excretionem, si sit obliquus, distortus, viæ seminis sint angustiores, idque vel à naturâ, aut ob morbum aliquem post ortum contractum. Vitio testium fiunt steriles mares, si intemperie laborent, paralysi, imbecillitate & atoniâ, ut in gonorrhœâ, & in iis qui citiùs quàm par fuit, aut nimium sese veneri addixerunt, tùm quoque si adsit inflammatio, aut alius tumor præter naturam, vulnus, ulcus, vel solutio continui, ut ab extractione lapidis, si aliquod ex vasis seminalibus abscindatur. Ex semine autem fit sterilitas in viris, si paucum sit, aut vitiosum. Paucum est quia deficit materia, idque vel quoniam absumitur in corporis nutritionem, ut in nimium pinguibus, vel quia ob inediam, tabem, atrophiam, morbum quempiam diuturnum, aliasve ob causas absumitur, vel quia ob testium refrigerationem ex causis internis vel externis non generatur. Vitiosum autem redditur semen quando est intemperatum, liquidum, tenue, aquosum, ac frigidius, minimeque spirituosum, ob totius corporis vel partium principum vitium aliquod tam nativum, quàm adventitium, aut ob causas quasdam externas, cibos, potusque nimium refrigerantes. Imò sola antipathia virilis seminis cum muliebri generationem prohibet, & hæc causa ad vitium seminis referri debet: vel ex causis externis vitiatur semen, ut immoderatâ venere, ob quam effœta & languida redduntur genitalia, tàm quæ semen conficiunt, quàm quæ retinent, spiritus calorque innatus dissipatur & resolvitur, partesque principes imbecillitatem contrahunt, unde Mulus longioris vitæ esse creditur, contra animalia salacia, ut passeres, citiùs senescunt. Sic ebriosis semen utplurimum solet esse infœcundum, quia aquosum est & malè concoctum; & hæ sunt magna ex parte ordinariæ sterilitatis causæ. Sed *Hippocrates lib. de aëre, aquis & locis*, tertiam addit, scilicet importunas equitationes, quâ ratione Scythas scribit esse steriles, quòd assiduè equitarent, & sine stape-

ſtapedibus, unde pendentibus ſemper cruribus dolore corripiebantur, & venas poſt aures abſcindebant, quibus abſciſſis evadebant ſteriles, quia ſemen à cerebro poſt aures in ſpinalem medullam delabitur ſecundum *Hippocratem*. Verùm cauſam iſtam *Laurentius* non probat, quia vaſa adſunt interna, per quæ poſſet ſemen in teſtes derivari, nec poteſt cicatrix adytum præpedire, cùm ſanguis per hæc vaſa fluat & refluat. Cauſam autem ille reddit triplicem, equitationem frequentem, dolorem iſchiadicum, & nimiam ſanguinis profuſionem. Equitatio frequens quæ Scythis erat familiaris & ſine ſtapedibus, renum & lumborum vim exoluit, unde ex *Hippocrate* loco citato, nobiles apud Scythas magis afficiebantur, quia magis equitabant. Ex frequenti equitatione dolore iſchiadico corripiebantur, quæ altera eſt ſterilitatis cauſa, quia dolor corpus reddit infirmum. Ut autem dolori huic mederentur, venas ponè aures incidebant, & copioſo ſanguine detracto, ſpiritibusque vacuatis ſemen reddebatur effœtum & infœcundum, ut pluribus explicat *Laurentius in Anatome*. Verùm *Riolanus in Anthropog.* cauſam refert ad attritum glandularum proſtatarum, quæ ſemen propterea non poterant continere. Verùm non adeò certum eſt an Scythæ fuerint ſteriles, neque res eſt magni momenti. Et hæc de virorum ſterilitate.

In mulieribus pariter fit ſterilitas, vel ratione uteri & partium genitalium, vel ratione ſeminis & ſanguinis menſtrui. Atque hæ cauſæ prohibent, ne ſemen viri excipiatur, aut retineatur, aut conſervetur & foveatur. Nam tribus his conceptio omnis perficitur, attractione, retentione & conſervatione. *Hippocrates* autem de mulierum conceptione ſic loquitur: *Parvæ mulieres ad concipiendum præſtantiores ſunt majoribus, tenues craßis, albæ rubicundis, nigræ lividis, quæ venas conſpicuas habent, meliores ſunt aliis, carnem autem uberiorem habere malum eſt, mammas tumidas & magnas bonum. Menſtrua pariter benè apparere oportet, ſatis magnâ copiâ & colore bono. Locum autem in quo fit conceptio, ſanum eſſe oportet & ſiccum, & mollem, ſitque uterus non retractus, non pronus, os non ſit averſum, nec concluſum, neque everſum.* Quibus verbis omnia fermè continentur ad fœcunditatem neceſſaria. Nos autem diſtinctè magis rem hanc totam explicemus.

Uterus igitur triplici morborum genere laborat, vel morbis in conformatione, ut in ætate juvenili & parvæ ſtaturæ mulieribus, quæ ob exiguitatem partium virum admittere nequeunt, aut ſaltem non ſine magno dolore, maximè ſi vir ſtaturæ ſit procerioris, & membrum virile habeat craſſius. Idem contingit imperforatis & glutinatis vulvæ labris

bris & coalescentibus, quòd fit tribus modis ex *Aëtio*; 1. si labia pudendi inter se cohæreant: 2. si in medio sinu adsit membrana, peni adytum præpediens: 3. si uteri os internum prorsus occludatur, quæ vitia menstruorum purgationem & viri coïtum impediunt, ut refert *Paræus* de muliere, quæ ventrem tumidum habebat ex sanguine retento, ob istarum partium clausuram. Imò quædam sunt medicamenta, quæ partes istas adstringunt & exsiccant, ut non possint ampliùs commodè dilatari ad maris genituram recipiendam, quales sunt pessi & fotus adstringentes, & diuturnior etiam usus chalybis secundum quosdam. Pariter uteri lævitas, ulcera, tumores, obstructio, contorsio, aliusve in conformatione morbus potest sterilitatem facere, ut si ob ætatem partes istæ redditæ sint callosæ & arctiores. Sæpe ex fluxione contorquetur uterus, unde virum absque dolore non patitur. Sic pariter quæ sunt naturâ claudæ, & nimium distortis cruribus, vix possunt commodè semen excipere, unde rarius concipiunt. *Quæcunque præter naturam crassæ non concipiunt, iis omentum os uteri comprimit*; *aphor. 46. lib. 5.* aut quia materia seminis abit in pinguedinem.

Secundò laborat uterus morbo in intemperie, *5. aphor. 62. Quæcunque frigidos & densos habent uteros, non concipiunt, & quæcunque præhumidos uteros habent, non concipiunt; extinguitur enim in eis genitura, & quæcunque siccos & præcalidos, nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunque autem ex utrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.* In mulieribus frigido & denso utero præditis, frigiditas calorem seminis extinguit, atque ejusmodi mulieres quasi torpidæ coïtum non appetunt, nec eo delectantur. Addere licet venarum uteri angustiam, sanguinis menstrui frigiditatem & paucitatem, humoris pituitosi copiam, facilemque obstructionem. Pariter quæ humidum habent uterum non concipiunt, sicut in terrâ palustri germina obruuntur & inundantur, sic humore nimio extinguitur genitura, lubricus fit uterus, semenque non continet. Cùm enim uterus in mulieribus sit variorum excrementorum sentina & receptaculum, contingit sæpè eum pluribus humoribus liquidis & pituitosis abundare, quæ retentricem ipsius vim debilitant, ut non possit semen ipsi adhærere, sed facilè prolabatur, uterusque hiat, qui tamen in gravidis debet connivere. Ideò quæ gonorrhœâ, ulceribus, aut fluxu muliebri, diu multumque laborant, quæ uteri vim retentricem resolvunt, semenque inquinant & diluunt; Sic quoque quæ sub cœlo humidiore habitant, in otio vivunt, balneis utuntur humidioribus,

ebriosæ

ebriosæ ſunt & guloſæ, rarius concipiunt, quia replentur pravis humoribus, qui calorem nativum, vimque ſeminis ſuffocant & labefactant. *Tertiò*, in ſicco utero non fit conceptio ob materiæ & alimenti defectum. in calido verò genitura abſumitur, ut in viraginibus. Intelligendæ autem hic ſunt intemperies tàm nativæ, quàm adventitiæ, intemperies tam ſimplices quàm materiales, ut ſunt tumores præter naturam, phlegmone, œdema, ereſipelas, ſcirrhus, mola, calculus, flatus, aqua & ſimilia quæ conceptionem impediunt, quanquam interdum cum molâ & hydrope uterino quædam gravidæ viſæ ſint, ſed rarò ejuſmodi fœtus vitales ſunt. Demum morbi in ſolutâ unitate ſterilitatem inducere ſolent, ut ſunt præcipuè ulcera, iisque ſuccedentes cicatrices grandiores, quia inductâ lævitate præter naturam ſeminis retentionem prohibent, tum quoque ſi mulieres caſtratæ ſint, abſciſſis vaſis ſpermaticis. Et hæc de ſterilitate vitio uteri.

Ex ſemine verò pendet hæc affectio, quando peccat inopiâ & paucitate, vel malâ qualitate, ob totius corporis, vel partium principum intemperiem, malamque diatheſin, ut ſuprà diximus, vel ſi eodem tempore non emittatur.

Menſium quoque vitium idem facit, quando copiâ, qualitate, ordine, tempore, & excernendi modo præter naturam ſe habent, de quibus vitiis etiam ſuo loco diximus. Parcior ſanguis, ut in junioribus, ſenioribus, nutricibus, obſtructis, longo morbo laborantibus, conceptum impedit, quia deficit materia ad ſeminis nutritionem, perfectam fœtus conformationem & incrementum: ſic apud *Hippoc. 6. Epid.* mulier virago non concipit, nec hermaphroditica, quia hæc uterum non ſolet habere ritè diſpoſitum & conformatum, illa vero ſanguineam materiam in alios uſus conſumit. Nimia autem ſanguinis copia ſeminis vim obruit. Dubium tamen eſt, an mulieres fœcundas neceſſe ſit eſſe menſtruales, quòd etiam alibi à nobis fuit explicatum. Dicimus nunc menſtrua ætatis ratione, ut in ſenioribus & junioribus deficientia, conceptionem prohibere, pariter ſi ob tabem, febrem hecticam, morbos maciem inducentes, obſtructiones, ſimilesve affectus deſint, generationi obeſſe, donec ejuſmodi morbi curati fuerint. At viraginibus, calidioribus, & iis quæ plurimum exercentur, defectus vel paucitas menſtruorum non neceſſariò impedit hanc generationem, modò adſit ſufficiens ſanguinis quantitas, ad fœtum nutriendum, nullaque adſit in utero obſtructio, quæ illius affluxum prohibeat, ſicut brutorum fœminæ quæ nulla

nulla habent menstrua, concipiunt tamen; ideò graciles instantibus menstruis, plethoricæ iis cessantibus faciliùs concipiunt, quia tunc mediocris utriusque sanguinis quantitas adest. Mala præterea menstrui qualitas generationi multùm obest, maximè si malignæ cujusdam qualitatis sit particeps, ut si ab ulceribus pravis & cancrosis, lue venereâ, elephantiasi & similibus affectibus inquinetur, semen enim viri cum ejusmodi sanguine salvum permanere nequit, unde aut nulla fit conceptio, aut fœtus immaturus excluditur, aut morbosus est & imbecillis, vitæque brevioris. Si menses nimium fluxerint, labefactatur uteri facultas, unde semen aut non attrahit, aut non retinet.

Si igitur mulier quæpiam ætate maturâ, prædictis vitiis minimè tentetur, probè conformato sit corporis habitu, nec extenuato nimium, nec obeso, lumbis latis, & amplo ventre, fœcunda censeri debet. Accidit tamen sæpè, ut neuter coëuntium, sit naturâ suâ sterilis, sed quoniam quædam est inter marem & fœminam discrepantia, nec conveniens proportio in temperie & moribus, idcirco nihil ex sese, ex aliis verò generare possunt, sic si amborum eadem sit intemperies, ut si sint ambo impensè calidi vel frigidi, vix aut nunquam generabunt, quòd de cæteris quoque statuendum est intemperiebus, quoniam temperiem semini conciliare nequeunt: Sed si ambo sint temperati, facile generabunt, sicut etiam intemperati mares cum temperatis, aut etiam si contrariæ temperies permisceantur, fœcundus erit congressus. Hinc sæpè contingit, ut mulier quæ ex primo marito nullos potuit suscipere liberos, permutato conjugio fœcunda fiat, quia seminum major est concordia; imo etiam per ætatem uteri & seminis temperamentum immutatur, unde fit, ut quæ juvenis ex eodem marito nullos suscipit liberos, ætate provectior pariat, immutato scilicet uteri & seminis temperamento. Propterea non est impudicitiæ accusanda mulier, quæ post vigesimum matrimonii annum utero gestare incipit. Nec tantùm discordia est in manifestis qualitatibus, sed possunt esse occultæ & ignotæ seminum antipathiæ, unde nullis apparentibus causis manifestis sterilitatis, talis tamen interdum antipathia est cum virili semine, & certa quædam uteri constitutio & idiosyncrasia, ut in eo semen potiùs corrumpatur & depravetur, quàm perficiatur, unde fit ut quædam absolutè & simpliciter sint steriles, quæ nullam unquam prolem suscipere potuerunt, quamvis nullæ appareant ordinariæ causæ, hanc actionem impedientes. Observandum autem plures esse sterilitatis causas in fœminis,

quàm in maribus, quia hi ſolum ſemen ad generationem conferunt: illæ verò præterea ſuppeditant ſanguinem menſtruum, & locum idoneum, ita ut propterea ſæpiùs contingat illas eſſe ad generationem minùs præparatas & habiles.

Externæ cauſæ ſunt quamplurimæ, ætas immatura viro, ſenior quoque & effœta, nam ultra 45 annum raræ ſunt quæ concipiant, quamvis propriè loquendo nec hæ, nec illæ ſteriles dici debeant, ut ſuprà diximus. Habitus quoque pinguior, varias ob cauſas, tum quia propter pinguedinem & abdomen protuberans non poſſunt arctè conjungi, tùm quia ſeminis & ſanguinis menſtrui materia in corporis ſubſtantiam transmutatur, tùm propter nimiam frigiditatem, tùm quia ab omenti pinguedine comprimitur os uteri. *Quæcunque præter naturam craſſæ non concipiunt, iis omentum uteri os comprimit, & priuſquam extenuentur non concipiunt*; *aphoriſ. 46. libr. 5.* Quædam tamen pingues, modò menſtrua ipſis abundè profluant, concipiunt facilè. Frequentior quoque cum variis hominibus coïtus qui meretriculis familiaris eſt, conceptionem impedit, cujus rationem reddit *Plut. 6. de placit. Philoſ. cap. 9.* ex ſententiâ *Dioclis*, 1. quia ſæpiùs coëuntes ſemen non emittunt, aut ſaltem parcius quàm conveniat: 2. quia ſemen illud minùs eſt temperatum, minusque prolificum, ob pravam concoctionem ex debilitate vaſorum ſpermaticorum: 3. quia frequentiori concubitu, uterum ita debilitant, ut deinceps quaſi reſolutus ſemen continere non poſſit. Addere poſſumus variam ſeminum permiſtionem, quæ ſimul conjungi & coaleſcere commodè non poſſunt, uteri ipſius denſitatem & calloſitatem, quæ ex harum partium frictione contingit, tùm quia in vario ejuſmodi coïtu nullius viri amore tenentur, nec appetunt, aut admodum delectantur concubitu. Præterea diſcordia poteſt eſſe in amore & odio, ut ſi unus alterum averſatur, ideò rectè ſcripſit *Aëtius*, invitos coïtus eſſe irritos, quia quando mens averſa eſt, uterus promptè & cum voluptate ſemen non excipit, ſed illud effluere ſinit. Ebrietas quoque & crapula nocent conceptioni, ut ſuprà diximus. Adde diætam frigidiorem in frigidioribus, calidiorem in calidioribus, quæ intemperiem augent, timorem quoque & triſtitiam, quia animus cum ſpiritibus ab ejuſmodi voluptate refugit. Imò ob voluptatem nimiam, & intenſam libidinem, idem interdum contingit, dum uterus impensè agitatus & commotus, ſtatim excutit genituram. Præterea poſt coïtum, clamores, ſternutatio, tuſſis, motus vehementior, ut ſaltationes, choreæ & ſimiles, ſemen ab utero reji-

rejiciunt, ſicut in hiſtoriâ Pſaltriæ refert *Hippocrates*, quæ ſaltando excreuit geniturum ſeptem dierum. Sic pariter quædam mulieres clunes agitando, aut præpoſterâ corporis figurâ, ſemen virile non admittunt ne imprægnentur.

Etiam inter cauſas externas ſterilitatis recenſentur maleficia & incantationes, ut ſunt ligaturæ venereæ, quæ quibuſdam in locis ſunt nimium familiares. Utuntur ad id quidam teſticulis luporum. Sic refert *Iſaac* teſticulos gallorum ſanguine reſperſos in lecto poſitos congreſſum impedire; ſcribit quoque fabas quatuor in lecto poſitas, aut ſupra oſtium, maleficium eſſe potentiſſimum. Nux quoque vel glans utrinque in viâ impoſita, per quam tranſeunt ſponſi, nocere creditur. Hæc autem & ſimilia vel odium inter conjuges conciliant, vel congreſſum impediunt, vel ſeminis virtutem corrumpunt & labefactant. Hæc autem præſtandi nulla ipſis ineſt vis naturalis, ſed omnis à dæmone pendet, cujus opera hæc omnia perficiunt ſortilegi.

Verùm inſuper alia etiam ſunt quæ ſterilitatem inducere dicuntur occultâ vi & proprietate, ut *radix filicis fœminæ* pota, *pulvis* quoque *hederæ* potus ad ℥ j, *os de corde cervi*, *matrix mulæ* aut *capræ*, *lapis gagates*, *atites*, *ſmaragdus*, *ſapphyrus*, *camphora*, *cicindelæ*, *acetum*, *mentha*, *ſiſymbrium aquaticum*, *fabæ*. Peſſarium ex *nitro*, *alum.* & *pice*, aut *pipere*, tum *teſticuli muſtelæ maris* juxta vulvam ligati. Si mulier timeat nimiam ſobolem, liget in ſecundinâ infantis tot grana cataputiæ, quot annis vult ſterilis permanere. Aliaque plurima legere licet apud *Aëtium*, *Rodericum à Caſtro*, & alios, quibus non eſt magna fides adhibenda. Probabilius eſt *narcotica* matrici ſubdita id præſtare poſſe, extingunt enim geniturum, & partem ipſam refrigerando lædunt. In ſummâ, ut docet *Aëtius*, quæcunque generationem prohibent, vel ſemen & ſanguinem menſtruum in uterum recipi vetant, vel receptum corrumpunt, vel effluere ſinunt, idque in quibuſdam contingit ſtatim poſt concubitum, in aliis poſt aliquot horas, in quibuſdam poſt plures dies, prout vitium majus fuerit, vel minus. Seminis receptionem impediunt ætas juvenilis, parva ſtatura, partium denſitas & calloſitas, tumor, compreſſio, ulcus, obſtructio & anguſtia, odium inter conjuges, timor, triſtitia, uſus adſtringentium, & omnis meatus obturatio. Exceptum ſemen corrumpunt intemperies omnes, occultæ etiam antipathiæ, medicamenta φθόρια, maleficia, malignitas, contagium; Retentionem prohibent uteri poſt partum difficilem aut diutinam fluxionem, hiatus, lævitas, humiditas, ex-

crementorum nimius proventus, uteri exulcerationes, clamores, tusses, saltationes, aliæque similes causæ, quas supra satis fusè explicavimus.

Signa. MUlierem esse sterilem ex ipsius relatione facilè patere potest, sed causarum dignotio valdè difficilis est, quoniam sæpissimè occultæ sunt causæ sterilitatis, ideò ad empirica quædam recurrunt *Hippocrates* & *Aristoteles*. Mulierem fœcundam dignoscit *Hippocrat. aph. 59. lib. 5. Si mulier*, inquit ille, *non concipit, scire autem velis an conceptura sit, pannis circumtectam infernè suffito; si odor videatur per corpus via ad nares & os, scito quòd ipsa non ex seipsâ sterilis est; nam si odorem non sentiat, hauddubiè densum, obstructum, & intemperatum insigniter uterum esse necesse est*, ut docet *Galenus in com.* Istudque experimentum *Massaria* asserit esse verissimum: suffitus autem fiat ex *myrrhâ, thure, styrace, galbano, resinâ*, & aliis calidis odoratis, quorum vapor excipiatur per infundibulum. Quin etiam allium, si pessi formâ dormituræ subdatur, odorque vel sapor ad os pertingat, fœcunda est ex *Aëtio*, sin minùs sterilis. Pariter *galbanum* serico inclusum mulieris utero subdito, si manè caput mulieris *galbanum* redolet, fœcunda est. Obstructio uteri impedit odoris transitum, frigiditas & humiditas extingunt, siccitas & calor consumunt & resolvunt suffitum. Hordeum in viri, vel mulieris urinâ maceratum, si sepultum decimo die germinet, fœcunditatem sin minùs sterilitatem arguit, & sic vel viri, vel mulieris sterilitas exploratur. Præterea si urinæ vivum sulphur inspergatur, hincque postea vermes prodeant, fœcunda est, sin minùs sterilis. Jubet quoque *Aristot.* colores oculis imponi, qui si salivam inficiant, fœcnnditatem, si non inficiant, sterilitatem arguunt. *Amatus Lusit. cent. 6. curat. 66.* sequens commendat, coaguli leporis ℨj aquâ calidâ dissolve, & jejunæ propinato, si ventris dolorem sentit, apta est; sin minùs, inepta est ad conceptionem. Item fiat pessus ex melanthio & melle, si superveniat febris, fœcunda est, sin minùs, sterilis, sed pessus ter renovetur; si nullum succedit symptoma, infœcunda judicatur; ut refert *Rodericus à Castro* ex Medico quodam *Hispano*, quæ signa omnia sunt admodum infida & incerta. Seminis autem virilis vim prolificam explorat *Aristot. 4. de generat. animal. 7.* effundendo in aquam, quòd si tenue sit & aquosum diffunditur, fœcundum verò in imum descendit; verùm id negat *Mercur.* quia ob spiritus semen semper supernatat, quòd tamen est falsum; nam semen probè cohærens, nec divulsum fundum petit. Sed præterea ex eodem semen prolificum est album, viscosum,

sum, splendidum, globosum, odorem florum sambuci habens. Adde corporis habitum, temperiem, victus rationem, longam à coïtu abstinentiam, aliasque causas quæ spirituosum semen generare possunt. Addunt alii, si mulier & vir super malvam vel lactucam sæpè minxerint, cujus malva vel lactuca siccabitur, erit sterilis. Pariter si in vas furfure plenum singuli minxerint, ille in cujus furfure nascuntur vermes, sterilis erit. Sed hæc omnia empirica admodum infida sunt & incerta, ut diximus.

Causarum autem signa sunt investiganda. Plurimæ autem causæ facilè per se patent, ut sunt vitia in meatu & conformatione, ulcera, rhagades & similia, quorum signa fuerunt superioribus libris tradita. Pariter causæ omnes externæ sedulo interroganti facilè patent. Reliquas verò quòd spectat, optimum erit primum mulieris conformationem, habitum, colorem considerare, num pinguis sit an macilenta, procera aut pusilla, pectore amplo & mammis, qualem superiùs descripsimus; tùm an aliquâ parte doleat, sitne aliquod viscus imbecillum, vel obstructum, hepar, lien, uterus, num menstrua sint laudabilia quantitate, qualitate, exeundi modo, num ulcera patiatur, vel fluxus albos, num coïtus probè fiat, eoque delectetur, vel non, cæteraque Medicus interrogabit, quæ superiùs exposuimus, nam si semen non recipit, id fit propter obstructionem, tumorem, ulcus, dolorem. Si verò non retinet, internum os uteri vel durum est, vel compressum, vel distortum, vel lubricum: Si per aliquot dies contineat, post emittat, intemperies adest frigida, humida, aut cicatrix grandior. Si verò retentum semen non reducitur ad actum, corrumpitur, ab aliquâ uteri intemperie, aut malignâ qualitate, aut medicamenais, absurdisve alimentis, quibus utuntur in picâ, aut maleficio & incantatione. Intemperies igitur uteri cognoscentur signis à nobis Capite proprio recensitis. *Calidior* quidem promptitudine ad venerem, ob seminis impetum & acrimoniam, menses pauciores sunt, interdum cum dolore profluunt, & ob ardorem exulcerant, pili in pectine & cruribus multi sunt, crassi, venæ sunt amplæ, pulsus magnus, lotia flava, actiones omnes sunt celeres, adest audacia, sitis, adsuntque signa caloris in jecore, aut toto corpore. *Frigidior* autem contrariis ex signis, nam ad venerem non magna est propensio, & ex coïtu parùm delectantur: Et quamvis *Aristoteles* steriles dixerit esse libidinosas, intelligendus est, si steriles sint ex calidâ, non frigidâ intemperie; menses supprimuntur, aut parcè fluunt, iique decolores, lumborum, pubis,

crurumque ſtupor ineſt, venæ ſunt exiles, pulſus parvi, & ſimilia prædictis contraria, præceſſeruntque cauſæ quæ uterum debiliorem & frigidiorem reddere valent. *Humidum* indicant habitus corporis mollior, menſtrua copioſa, aquoſa, alba, fluxusque muliebris, ob copiam excrementorum, lumborum, pubisque gravitas, ſitis nulla, venus languidior. In *ſicco* utero menſes ſunt pauci, rari; ſi ſimul calor conjungatur, adeſt magna libido & coïtus appetentia, facilis ira, ſitis, habitus corporis tenuitas. Iiſdem ſignis cognoſcitur teſtium intemperies, nam frigida tardè pilos generat, minimum ad libidinem incitat. *Calida* contrà. *Humida* copioſum generat ſemen, pilos molles, parumque ad venerem incitat. *Sicca* pilos habet exiguos, ſemen paucum, & ad coïtum non admodum irritat. In *frigidâ humidâ* ſemen generat tenue & aquoſum, minimè ſpirituoſum, pauca adeſt ad venerem propenſio, pili tardius erumpunt. In *frigidâ ſiccâ* ſemen eſt paucum & craſſius, reliqua ſimilia ſunt. *Calida* & *humida* ſemen copioſum generat, ad venerem quidem non adeò incitat, ſed tamen eâ minùs lædit. In *calidâ ſiccâ* adeſt ſemen paucum & craſſius, inſignis ſalacitas, ſed citò veneris ſatietas eſt, pili citiſſimè naſcuntur. Reliquorum affectuum inflammationum, tumorum, ulcerum, obſtructionum ſigna ex ſuperioribus libris ſunt repetenda. Si ſemen corrumpatur ab occultis quibuſdam cauſis & malignis, ut pravis alimentis, quibus utuntur in picâ, aut malignis medicamentis, ex relatione ægrotantium & adſtantium id cognoſcetur. Aderit præterea fœdus faciei color, menſtruorum virulentia, interdumque quidam dolor in utero. Pariter ſi ſemen à malignis morbis ut elephantiaſi, lue venereâ, &c. corrumpatur, ex horum affectuum ſignis id ſatis innoteſcet. Vitia pariter ſanguinis menſtrui ex temperie & conſtitutione partium corporis, ex anteactâ vitâ, & præcedentibus quibuſdam affectibus cognoſcentur, ut ſi præceſſerint labores, vigiliæ, jejuniæ, animi mœror, vacuationes immodicæ ſanguinis, aut aliorum humorum, gonorrhœa, ulcera cancroſa, fiſtuloſa, dolores acerbi, febres hecticæ & acutæ, lactatio & ſimilia, quæ ſanguinis defectum indicant, ut in viraginibus. Si propter maleficia & incantationes fiat hic affectus, aberunt ſigna omnium aliorum affectuum & cauſarum, poteſtque interdum adeſſe ſuſpicio alicujus qui incantationem fecerit, divortiumque inter conjuges adeſt inſolitum, cujus ratio commodè explicari nequit.

Vitium hoc est admodum curatu difficilè, maximè si sit ab ortu contractum, aut sequatur affectum quempiam uteri inemendabilem, nam quædam sunt simpliciter steriles, quæ nunquam concipere possunt; imò nulla unquam concipit priusquam causæ omnes prohibentes removeantur. *Quæ præter naturam crassæ non concipiunt, priusquam extenuentur*; *aphor. 46. lib. 5.* Ideò cautè curatio ejusmodi suscipienda est, nec temere tentandum aut promittendum, quòd interdum fieri non potest, ut si pendeat ab affectibus incurabilibus, hæreditariis, venenatis, contagiosis, & diu confirmatis. *2. progn. 3.* Sterilitas ab ulceribus vix curatur, nec etiam ipso ulcere curato, quia succedit cicatrix seminis adhæsum prohibens, nisi ulcus fuerit parvum; cui succedens cicatrix, ob exiguitatem non potest seminis retentionem impedire. Quædam tamen non sunt absolutè steriles, sed tantùm comparatè, quæ cum alio viro concipere possunt, aut ætatis mutatione ex sterilibus fiunt fœcundæ, ob temperamenti mutationem. Intemperies quidem frigida si nativa fuerit aut inveterata, aut admodum insignis vix unquam sanescit, quia sic uterus fit densior, & ora vasorum redduntur angustiora, unde nec semen, nec sanguis menstruus ad conceptum commodè possunt concurrere. Si verò intemperies recens fuerit & moderata, poterit emendari, & fœcunda potissimum fit mulier, si viro contrarii temperamenti conjungatur. Utplurimum autem mulier sterilis robustior est, juventutem suam diutius conservat, sed utplurimum libidinosa est, & morbis obnoxia, quia caret expurgatione illâ quæ fit in partu, tum quoque fœtus plurima absumit excrementa, & calore suo uterum corpusque quodammodo roborat. *Prognostica.*

Curatio fit secundum causarum varietatem, ideò quoniam superioribus libris plures uteri affectus tractavimus, à quibus pendere potest sterilitas, ideò ad illorum curationem est recurrendum, & diligenter considerandæ sunt omnes causæ, quæ hoc symptoma inferre possunt, tam internæ, quàm externæ, ut ætas, habitus, temperamentum totius corporis & partium internarum, ut jecoris, ventriculi, & aliarum. Crassæ extenuandæ, nimium tenues impinguandæ, tenues quidem solent crassis esse fœcundiores ex *Aristot.* quia semen habent & sanguinem melius concoctum, vias liberiores, modò non sint morbo aliisve de causis nimium extenuatæ, sicut distinguendus est bonus habitus qui fit à forti calore & probâ concoctione, à pinguedine quæ fit à frigido, *Curatio.*

frigido, sic macies extrema, marasmus & tabes, distingui debet ab extenuatione eâ quæ cum statu naturali optimè consentit, de quâ scribit *Hippocrates* crassos citiùs interire quàm graciles. Ideò crassæ sic extenuandæ sunt, ut non prorsus fiant graciles; & macilentæ sic impinguandæ, ut bonum habitum tantùm consequantur, non autem evadant nimium corpulentæ. Cùm autem intemperies in efficiendâ sterilitate præcipuum locum obtineant, sive in toto corpore sint, sive in utero, sive in quibusdam visceribus, de iis paucis agemus, quoniam jam supra harum curatio fuit fusius explicata.

Intemperies calida contrariis corrigenda, victu scilicet refrigerante, (vitando omnia frixa, piperata, salsa, acria & dulcia, vini generosi, dulcis & meracioris potum) somno longiore, quiete, balneo, semicupio, refrigerante & humectante ex aquâ dulci, aut decocto emollientium. Si cum intemperie humores adsint vitiosi sanguinei, aut biliosi, mittatur sanguis, ut docet *Hippocrates lib. de superfœt. Mulier facilè concipiens, si per longum tempus non impraegnetur, bis in anno venam in manibus & cruribus secet*, corpus convenienti cathartico purgetur, ut *cass. cathol.* &c. fiant apozemata, julepi, emulsiones, opiata, balnea, fotus, litus ex *unguento rosaceo, santal.* & similibus, sed vitando semper *camphoram*, quia generationem impedit. Fiant quoque injectiones in uterum, ex decocto hordei, emulsionibus, aut decocto refrigerante. Suffumigia autem minus conveniunt, etiam ex refrigerantibus parata, quia semper omnis fumus, quoniam ab igne resolvitur, calidior est. Cavendum tamen ne uterus nimium refrigeretur, sic enim redditur ad concipiendum debilior, densatur, induratur, atque etiam scirrhescit frigore, propterea etiam vitanda sunt narcotica. Convenit in hâc intemperie sequens electuarium: ℞ *conserv. ros. flor. nymph. borrag. bugloss. ana* ℥ *iij, diarhod. abbat. triasant. manus Christi perlatæ ana* ℥ *j, rasur. ebor. visci quercini, pulveris priapi tauri, matricis leporis ana* ℥ ß, *sem. mercurialis* ℈ *j*, fiat electuar. Balneum in in hoc casu maximè prodest; ℞ *malvæ, althææ cum radicibus ana M. iij. foliorum violar. salicis, vitis, rosar. nenuf. junci ana M. ij, fol. ulmi M j, solan. attripl. lactuc. cucurbitæ & pepon. ana M. ij. fœnugræc.* ℔ ß; fiat decoctio pro balneo, in quo tepido sedeat bis in die, absque sudore. Prædictis etiam herbis sacculus impleatur, super quo sedeat. Ægredienti è balneo detur electuarium præscriptum, & ungatur regio renum & abdominis oleis & unguentis refrigerantibus, aut apponatur cataplasma ex *oleo ros. viol. nenuph.* cum *succis attriplicis, solani, umbil. vener. lact. port.* & *far. hordei.*

Si

Si cum calore adsit siccitas, victus ratio debet esse humectans, euchyma, polytropha & analeptica, ut corpus humectetur, & materia semini suppeditetur, & sanguini menstruo, ut sunt *carnes boni succi, jus-cula, consummata, amygdalata, fructus recentes horæi, ova tremula, olera, pepones*; sed præcipuè *lac, serum lactis*, victusque sit qualis hecticorum, quibus præcipuè conveniunt *lac* & *balneum*, quale superius descripsimus. Quidam addunt capita & intestina vervecum, vitulorum, sed hæc sunt inutilia, corpus enim non magis humectant, quàm aqua simplex calida. ℞ *gummi tragacant.* & *arabici ana* ʒ j. Coquantur in *aquâ rosarum* ad mucilaginis consistentiam; dein adde *amygdalar. excorticatarum, contusar.* ℥ ß, *farinæ purißimæ siliginis* ℥ j, *specierum diarhod. abbatis* ʒ j, *triasantali* ʒ ß, *sacchari optimi* ℥ iij: Iterum coquantur parum & lento igne, fiatque confectio. Prosunt quoque somnus longior, vita hilaris, & sine curâ, corporis & animi quies: Ex decoctione balnei præscripti potest fieri suffumigium, aut injectio in uterum, sicut & ex pingui jusculo & *lacte*, cum *oleo amygd. dulcium*, vel *lilior.* vel *carth.* Inungatur quoque osculum interius uteri ex oleis prædictis cum *unguento dialth. adipe gallinæ, medullâ cruris vituli*, &c. Vel fiat pessarium cum *rad. lilii, alth.* contusis *storace liquidâ*, & pauco *succo porri* & *adipe gallinæ*: excipiantur *lanâ*, vel *bombace*, fiatque pessarium.

In humidâ corpus est exsiccandum, uterus à sordibus & excrementis expurgandus ac roborandus, quòd fit diætâ tenui & exsiccante, vitatis recentibus oleribus, fructibus horæi, piscibus, lacte, jusculis, aquæ potu. Sed prosunt omnia exsiccantia, carnes potiùs assæ, quàm elixæ, vinum generosum, aromaticum, sed parcius sumptum ex *Aëtio, cinnam. coriand. fructus adstringentes, decoctum secundarium guaiaci, sassaf.* vel *sarsæ-parillæ, panis biscoctus* cum *sem. carui* & *anisi, exercitia, vigiliæ, frictiones*: sed maximè prosunt frequentes & repetitæ vacuationes, venæ sectio si sanguis abundet, vomitus & purgatio per apozemata & pilulas; post quæ utendum est exsiccantibus & roborantibus internis & externis: ad quod maximè prosunt decocta sudorifica ex *guaiaco* & cæteris, *thermæ, laconica, balnea sulfurea, nitrosa, cauteria in cruribus & brachio*, quæ fluxiones revellunt, humores multos vacuant. Commendat *Guainerius* balneum ex aquâ in quâ coriarii sua conficiunt coria. ℞ *conservæ rosar.* ℥ j, *conf. anth. cortic. citri conditi ana* ℥ ß, *myrobal. condit.* N. j, *pulveris arom. ros.* ʒ j, *diarh. abbat.* ʒ j ß, *eboris usti* ℈ ij, *margarit. præpar.* ʒ ß, *matricis leporis pulver.* ʒ ß, *carnis scincor. præpar.* ℈ j, *semin. fraxini* ℈ ß, *olei cinna-*

mom. chymici guttas iij, cum *syr. de cort. citri*; Fiat electuarium. Prodest quoque usus frequens *theriacæ* & *mithridat. Grana hederæ* pulverisata quidam commendant; alii dicunt sterilitatem facere; alii frequentem usum *aloës lotæ* ad decem vel duodecim dies. Topica quòd spectat, ea ante universi corporis purgationem non sunt administranda, ne pravos humores intus cohibeant. Fiant fotus & injectiones ex *aquâ thermarum*; vel ℞ *folior. myrti, rosar. rubi, plantag. symph. ana M. ij, gallar. sumach ana ℥ j, malicorii ʒ iij, baccar. junip. ℥ j, folior. chamæm. M. j, schœnanthi ʒ j, absynthii, rutæ ana M. j ß*, fiat decoctio; ex quâ fieri possunt fotus, injectiones suffitus, atque etiam cataplasmata. Pessaria, aliaque remedia inferius describenda, possunt huc referri.

Potissima igitur & frequentissima causa sterilitatis est frigida & humida intemperies, tum corporis totius & partium nobilium, tum uteri, eaque vel simplex & immaterialis, vel cum materiâ. Corrigitur autem ex lege contrariorum calefacientibus & exsiccantibus: Sed primum tollendi sunt humores frigidi qui in toto corpore & utero reperiuntur. Purgetur ante omnia corpus *pilulis de hierâ, aloë, agarico, senna*, &c. Præparentur humores decocto *beton. borrag. hyssop. majoranæ, orig. puleg. syr. de artemis. de menthâ, oxymel.* etsi ratione *aceti* à quibusdam improbetur; verùm exigua aceti quantitas in magnâ copiâ decocti nocere non potest. ℞ *rad. cyperi, rubiæ tinctor. bistortæ ana ℥ ß, rad. enulæ campan. ʒ iij, rad. petros. fœnic. ana ℥ j, fol. artemis. melissæ, sabinæ, calament, balsamit. capilli veneris, scolop. orig. sampsuc. puleg. abrot. menthast. ana M. ß, semin. anisi, carui, petros. ameos, dauci ana ʒ j, sem. seseleos ʒ j ß, schœnant. calami aromat. ana ʒ j, spicæ nardi Indicæ & celticæ ana ℈ j, ligni aloës ʒ ß, liquir. passul. mundat. ana ℥ j, florum anthos, stœch. ana P. ß, ras. eboris ʒ j*, fiat decoctio ad ℔ *ij*. In colat. dissolve *syr. de artemis. ℥ iij, sacchari ℥ vj, aquæ cinnam. ℥ j*, fiat apozema. Hyeme quando herbæ non suppetunt, potest fieri decoctum ex *sem. anisi, carui, fœnic. cuscutæ, baccis lauri, junip. cicer. rub. foliis dictamni cret. spicæ, junco odor.* & similibus. Præparato humore, catharticis valentioribus est utendum, ut *pilulis cochiis, turbith, diaphœnico*, &c. fiantque vel pilulæ, vel potiones, ut alibi dictum fuit. Ad movendos menses si parcius fluant, fiant decocta aperientia, qualia suo loco descripsimus. Ad corpus verò siccandum hydrotica, ex *guaiaco, sarsaparillâ, chinâ*. Ad calorem excitandum, partes roborandas, veneremque excitandam, multa præscribuntur interna & externa. Primùm victus ratio instituatur optima, calefaciens, & semen augens; cibi sint boni

boni succi & attenuantes, atque omnibus alimentis admisceantur ea quæ menstrua movere possunt, ut *olera odorata & acria, crythmon, fœnic. gingid. apium, smyrnion*, exercitia prosunt, venus sit parcior. Laudant *Aëtius & Paulus absynt.* potum, item *castor. cumin. puleg. juniperi baccas* cum *pipere*, & hæc vino optimo admista bibantur: sed potus aquarum thermalium calidiorum maximè prodest. Quidam *pæoniam* valdè commendant, alii *rasuram eboris*. Fieri possunt opiatæ, electuaria, tabellæ, ex *conserv. flor. citri, melissæ, anthos, salviæ, beton. pulvere diamb. arom. rosf. diamosc. diagal. diacalam. theriac. mithrid.* &c. ℞ *conserv. symph. & rad. satyr. condit. ana* ℥ ß, *conservæ flor. citri*, vel *arantior.* si haberi possint, ℥ j, aliàs *myrob. condit.* N. j, *baccar. junip.* ʒ ß, *caryoph. sem. sesel. pastin. erucæ ana* ʒ j, *ras. ebor.* ʒ ß, *pulveris diamb.* ℈ j, *syrupi conservat. corticis citri* q. s. Misce, fiat electuar. Vel ℞ *rad. eryng. corticis citri cond. ana* ℥ j, *cons. flor. salv. & anth. ana* ℥ ß, *pulveris ligni aloës, sem. pæon. ras. eboris ana* ℈ ij, *zinzib. condit. nucis mosc. condit. ana* ʒ ij, *pulveris diamosc. & diamb. ana* ʒ ß, *confect. alkermes* ʒ j, *cineris priapi tauri* ℈ ij, *olei stillat. cinnam.* vel *major. gran.* ij. cum *syrupo de stœchade* fiat electuar. Quidam laudant *tripheram magnam* sine *opio*, cum pulvere *plerisarchont. Gordonius* remedium sequens maximè commendat: ℞ *styr. cal.* ℥ j, *mastic. thuris, car. ligni aloës, cinnam. nucis mosc. ana* ℥ ß, *ambræ* ʒ j; cum *oxym.* & *aquâ ros.* fiat confectio, quæ dividatur in quatuor partes. Ex unâ fiat pomum odorandũ si non sit hysterica; ex secundâ fiat massa pil. quarum capiat ʒ ß in pilulas tres efformatam: ex tertiâ fiat pessarium, quarta injiciatur in prunas pro suffitu: ℞ *zinzib. galang. pip. caryop. ana* ℈ j, *nucis mosc. gran. parad. card. ligni aloës ana* ʒ ß, *sem. fraxini, sesel. ras. eboris ana* ʒ j, pulveris ducis qui fit ex *sacch.* & *cin.* ℥ j, fiat pulvis, qui sumi potest ex cochleari, aut cum jusculo.

Externa remedia varia sunt; primum olea calefacientia & siccantia, ut sunt *olea spicæ, myrrhæ, nucis moscat. jasmin. lilior.* quorum ℞ ℔ ß infund. & coqu. *baccar. junip.* ʒ ij, *artemis.* M. j, *pyreth* ℈ j, *benjoini, styracis calam. ana* ʒ ß; addi potest aliquid *ambræ, aquæ vitæ* ℥ ij. Coque parum & lento igne ad consumptionem *aquæ vitæ*, & hoc oleo liniantur interiora & exteriora vulvæ: Vel ℞ *olei liliorum, nucis moscatæ ana* ℥ ß, *styracis liquidæ, balsami peruviani ana* ℈ j, *ceræ* parum, fiat linimentum. Fotus fieri potest ex decocto *artemis. major. lauri, salviæ, rutæ, bryon. valer. ireos, juniperi, cymini, puleg. acori, schœnant. costi, cinnamom.* & aliorum hystericorum. Vapor quoque hujus decocti utero excipi potest, ex eodem fiat injectio, vel ex aquis thermalibus; vel ℞ *absynt. artemis. mercur.*

cur. rutæ ſabinæ ana M. j, *myrrhæ* ʒ j, *pulpæ coloc.* ʒ ß, *agar. trochiſc.* ʒ j, *zinzib.* ℈ j, *cinnamom.* ʒ ß; coque in *vino*: cujus ℥ j injiciatur per metrenchyten, maximè poſt fluxum menſtruorum: Vel ℞ *turbith*, vel *agar.* ʒ ij, bulliant cum *majoranâ, matricar. arthemiſ.* vel aliis hyſtericis. In colat. ℔ ß diſſol. *hieræ picræ*, aut *triphera magnæ* ſine *opio* ʒ iij; fiat injectio. Suffitus fiat ex vapore prædictorum decoctorum, vel ex calidis ſiccantibus, odoratis, mulierque pannis circumtecta ſit; & ſi odor ad mulieris nares perveniat, ſuâ culpâ ſterilem non eſſe vult *Hippoc. aph. 59. lib 5.* ℞ *ligni aloës, cyperi, ſtyrac. calami aromat. ana* ʒ ij, *aliptæ moſc.* ʒ ß, fiat pulvis, qui injiciatur ſuper carbones ad ſuffumigium: Vel ℞ *nucum cupreßi, maſtich. thuris, ladani, myrrhæ, baccar. lauri ana* ʒ j, *ſtyracis calam.* ʒ ß, *benjoini* ℈ j, fiat pulvis ad ſuffitum. Vel ℞ *ligni aloës, ſabinæ ſiccæ ana* ℈ ij, *roſ. rubr.* ʒ j, *caryoph.* ʒ ß, *galliæ moſc.* ℈ ß, *olibani* ʒ j, fiat pulvis ad eundem uſum. Vel ℞ *nucis moſcat. benjoini, macis, ſtyracis ana* ʒ j, *caſtorei* ʒ ß, *aliptæ moſcatæ* ℈ ij, *caryoph. ladani ana* ʒ j, *zinzib. cinnamom. ſpicæ ana* ʒ ß, fiat pulvis, ex quo *terebinthinâ* excepto, fieri poſſunt trochiſci ad ſuffitum. Ex prædictis etiam *melle* exceptis, fieri poſſunt peſſaria, quibus ſi addatur *hiera*, uterum purgabunt. Fiat peſſarium ex *theriacâ* cum pulvere *aromat. roſat.* vel *diamb.* Bombax balſamo madefactus & ſuppoſitus, maximè commendatur. Peſſarium quoque ex *felle* cum *caſtoreo, moſcho* & *zibeto* confert: ℞ *hieræ picræ* ℥ ß, *agarici trochiſc.* ʒ j, *diaphœn.* ʒ ij, *mithrid.* ʒ j, *pulver. aromat. roſ.* ʒ ß, *galang. roſar. rubr. pulveris ireos florent. ana* ʒ j, *thuris, maſtich. ana* ʒ ß, cum *ſucco artemiſ.* fiat peſſar. linteolo intinctum, quòd utero indatur, illicque per aliquot horas relinquatur. Si acrimoniam quandam ægra percipiat, poterit partem abluere decocto *roſarum* & *hordei*, aut *vino albo*. Fieri quoque poſſunt ex *myrrhâ, rutâ, galbano, caſtoreo, maſtiche, cypero*; & ne mordeant ac exulcerent, excipiantur *adipe anſeris, gallinæ*, & linteo ſerico involutæ, oleoque liliorum vel irino intincta, immittantur. Commendat *Aëtius* peſſarium ex coagulo leporis & alumine ſciſſo, item ex ſemine ſatyrii & melle. ℞ *thuris, maſtich. ſumach ana* ʒ j, *myrrhæ, nucum cupreßi, alum. ana* ℈ j, *cinnam.* ʒ j, *ladani* ʒ ß, *galliæ moſcatæ* ℈ ß: Incorporentur cum *melle*, fiant peſſaria inſtar ſuppoſitorii, quæ relinquantur per totam noctem ad uterum roborandum. Parti imponatur etiam emplaſtrum *ceroneum* pro matrice, de *maſtiche*, contra rupturam, cum granis *kermes*, & *bolo armenâ*; *ceroneum* humiditates reſolvit, reliqua verò roborant. ℞ *gummi carannæ, tacamahacæ, gummi animæ ana* ʒ j, *ſtyr. calam.* ʒ ß, *liquid.*

quid. amb. ℈ ß, *emplast. pro matrice* ℥ j, *olei liliorum & ceræ ana q. s.* Misce, fiat emplastrum. Rectè autem advertit *Valesius*, his remediis utendum esse per annum unum vel alterum, quia admodum difficilis est & operosa mutatio sterilitatis in fœcunditatem. Verùmtamen quædam sunt quæ proprietate occultâ conceptionem juvare creduntur, quorum tamen plurima aut falsa sunt, aut superstitiosa. *Porrum* & *semen pastin.* ex *Dioscor. radix lapathi* majoris, coagulum leporis, testes omnium animalium, *matrix leporis, suis, succus salviæ hortensis* potus cum *sale*, placentæ factæ ex *farinâ tritici*, cum *aquâ artemisiæ*, aut ejus succo, frigantur autem in sartagine, & per dies quindecim sumat diebus singulis unam, semen *sesel.* cum *saccharo, caricæ, pudendum arietis, tauri, cervi, semen urticæ, lac vaccinum, ova perdicis, fimus accipitris* cum *mulsâ, moschus*, quæ sedulò collegit *Rodericus à Castro*, à quo sequens laudatur; ℞ *salis ammon.* ʒ ij, *salviæ, cumini ana* ʒ j, menstruis deficientibus cum vino præbeto. *Serapion* laudat *rasuram cornu capræ*, cum *oleo de spicâ* impositam, vultque esse remedium expertum. Ex *allio* in *oleo rosato* decocto fiat pessarium, & valdè commendatur à *Guainerio*, potissimum in robustioribus & rusticis mulieribus: Sed cauteria in brachio, vel cruribus, non sine ratione multi laudant, corpus enim ab humoribus multis qui in uterum ruere possunt, expurgant.

Ejusmodi remediis præparata mulier, ut facilius concipiat, quædam notare debet. *Primò*, tempus illud ad conceptum esse maximè opportunum, quo à menstruis mulier est probè repurgata, turpe enim est & noxium illis fluentibus coïre, ab his siquidem humiditatibus eluitur genitura, aut si ulla fit generatio, proles erit ad elephantiasin propensa: verùm iis desinentibus, mulier faciliùs semen excipit, retinet & fovet. Verùm si mulier tenuis sit, paucum habeat sanguinem, illis imminentibus, aut intervalli tempore coïre utilius est, sic intelligendus est *Aëtius*, quando scripsit appetente menstruorum fluxu esse coëundum. Quòd si mulier albo fluxu teneatur, curanda priùs est, quàm concipere possit. *Secundò*, circa coïtum quædam sunt consideranda. Post cibum & ante somnum coëundum est, nam succedens somnus laborem minuit, seminis retentionem adjuvat. *Hippocrates* quidem venerem suadet post somnum, *labor, cibus, somnus, venus*, omnia mediocria, verùm rationem habuit sanitatis, non conceptionis. Mutuus quoque coëuntium amor, & veneris insigne desiderium, omnis curæ & sollicitudinis vacuitas, conciliant faciliorem conceptum: mulierque ipsa omni blanditiarum ge-

nere ad venerem eſt excitanda: curandum pariter ut uterque eodem momento ſemen emittat, ſitque illud ſemen benè elaboratum, quòd fiet, ſi per rariora intervalla venus exerceatur. Figura quoque decens ſit in coïtu, nam mulierculæ varia clunium agitatione excutere ſolent genituram, ne commodè utero recipiatur & retineatur. *Paulus Ægineta* & *Lucretius*, venerem à tergo commendant, more brutorum, quòd valdè fœdum eſt. Poſt coïtum non ſtatim à mutuis amplexibus divellantur. Mulier autem cruribus paululum elatis, eodem ſitu quo excepit ſemen, aliquamdiu permaneat, & placidè ſomnum ineat. Poſtea ſenſim ex lecto ſurgat, vitando tuſſim, riſum, loquelam, vocis contentionem, iram, ſaltationem, omneſque animi & corporis motus, qui genituram foras expellere poſſunt. *Tertiò*, aër multum opitulatur generationi, maximè ſi ſit temperatus. In Ægypto mulieres ſunt maximè fœcundæ, quia regio calida eſt & humida, quæ corpori humano amica eſt, & ſeminis copiam facit: unde omnium animalium ferax eſt ea regio, illicque mulieres plures fœtus ſæpè pariunt, imò illic tantùm ex *Ariſtotelis* ſententiâ octimeſtres fœtus ſunt vitales. Aër autem calidior aut frigidior minùs ob intemperiem generationem promovet, ut in *Africâ*, *Æthiopiâ*, & circa *Polos*. Unde verè propter aëris temperiem potiùs fit conceptio, ómniaque tunc animantia in venerem ruunt. Poſt ſuccedit autumnus, quia ſuccedente hyemis frigore, adaucto in præcordiis calore, fovetur in utero genitura & conſervatur. Quibuſdam mulieribus ſterilibus loci mutatio aliis remediis irritis profuit ad fœcunditatem, mutatâ ſcilicet temperie. Ventorum quoque habenda ratio eſt, nam Aquilo juvat conceptum, Auſter contrà, 7. *Polit.* Ventus quidam auſtrinus *Agrigentinis* ſterilitatem induxerat, quam reſtituit *Empedocles* obſtructo meatu per quem ventus flabat. *Quartò*, reliquarum rerum non naturalium habenda eſt ratio, nam menſtrua rectè ſe habere debent in copiâ, qualitate, tempore, & excernendi modo. Pariter exercitia, pathemata, ſomnus, vigilia, cibi pro varietate temperamentorum præſcribi debent, ut in extenuatis victus plenior, ſomnus, quies longior, animique hilaritas & gaudium. Contrà, obeſis vigiliæ, labores, curæ, victusque parcior magis conveniunt: Sed maximè cavendum eſt ab uſu eorum omnium quæ venerem minuere poſſunt, ut ſunt *camphora*, *vitex*, *ruta*, *faba*, *apium*, *poma*, *legumina*, *acetaria*, *aqua chalybeata*, *glacies*, *aquæ nivales*, *crapula*, *cibi potuſque* nimia quantitas, & ſimilia, de quibus in gonorrhœâ diximus. *Mentha* ſecundum quoſdam maximè nocet, unde

apud

apud Veteres proverbium, *In bello mentham, nec edas, nec seras*, quòd admodum torquet nostros Recentiores. *Mentha* secundum *Aristot.* refrigerat & venerem minuit; verùm certum est *mentham* potiùs calefacere, unde secundum alios venerem potiùs auget, ideoque tempore belli edenda non est, quia ad venerem incitat, propter quam milites debilitantur. *Aëtius* vult eam multum semen generare, sed debile. *Mercatus* vult viridem venerem excitare, siccam verò semen absumere. *Rodericus à Castro* vult extinguere venerem proprietate substantiæ, non autem quòd calida sit aut frigida. Penes eos sit diffidium, non est siquidem res hæc magni momenti, imò credo illud proverbium inter plurimos Veterum errores, qui pauci non sunt, esse referendum.

Si fiat ex maleficio, incantatione, ligaturâ, characteribus, precibus & auxilio divino opus est: plurimi tamen ipsos magos maleficii authores consulunt, ut dissolvant incantationem. Quidam verò remedia plurima commendant adversus ejusmodi magica, ut *verbenam*, *hypericum*, *scyllam*, *eryngium*, *rutam*: Hæc in ædibus aliove loco suspensa, prohibere creduntur omnes fascinationes. Quidam laudant *hydrargyrum* calamo inclusum, nescientibus sponsis lecto impositum. *Cardanus priapum lupi* gestatum, alii *adamantem* & *hyacinthum*; alii *fel canis masculi* domui aspersum. *Abrotonum* cum *oleo* illitum. Quædam etiam sumpta prodesse creduntur, ut idem *abrotonum* cum *vino* sumptum, *allia*, *satur. ocymum*, *asparag. carduus hortensis* cum *vino*, ut pluribus quidam explicant. Verùm in his non minor est superstitio quàm in ipsis incantationibus, nec minor esse debet suspicio magiæ, in remedio, quàm in ipso maleficio; nam remedia hæc adversus Dæmonem vix quicquam possunt naturaliter, sed patitur Dæmon ut faciliùs illudat nobis, se hujusmodi herbis cogi, quæ tamen id efficiendi nullam habent virtutem. Imaginatio tamen etiam in his multum potest; nam qui confidenti animo contemnunt istas artes, vix aut raro quicquam ab iis mali sentiunt. Optimum tamen erit locum mutare, & vestes & quicquid hominem attigit, ne fortè in iis lateant vires istæ malignæ & veneficæ: Et hæc de curatione sterilitatis secundum varias causas. Quidam hæc pro secreto commendant; ℞ *piperis*, *cardam. sem. erucæ ana* ʒ j, *sem. urticæ*, *macis*, *caryoph. ana* ʒ ß, *testic. apri siccatorum* ʒ j, *rasuræ ebor.* ℈ ij, *testicul. vulpis* ʒ j ß, *matricis* & *coaguli lepor. ana* ℈ ij, *pulveris diamb.* ʒ ß, *sem. seseleos* ʒ j, *ras. priapi*, *tauri*, vel *cervi* ℈ ij, *renum scincor.* ℈ j, *boracis* ℈ ß, *sacch.* ℥ ij. Excipiantur *mucilag. gummi tragacant.* factâ cum *aquâ salviæ*, & fiant morselli; Imò quidam

etiam

etiam addunt *cantharides*. Sed de his satis. Quædam sunt quæ non statim post nuptias, sed post annos aliquot concipiunt, vel quia sunt juniores, vel quia mala quædam est in utero dispositio, quæ vel ætate, vel remediis tolli debet, ut inter semen virile & uterum adsit proportio. Quædam rarius pariunt, vel quia in priori partu uterus debilitatus fuit, vel ob morbosam constitutionem, aut menstruorum fluxum vitiatum, tunc omni arte uterus roborandus est, cibis & medicamentis. Credunt plurimi virgines valetudinarias ex coïtu meliùs habere, unde maritum ipsis optant, quòd tamen non est semper verum. Si ex suppressione menstruorum, aut semine retenti malè valeant, viri consortio curantur; non semper autem si ex viscerum malâ affectione laborent. Potiùs ea augetur coïtu, attractis ad uterum, & agitatis vitiosis humoribus, unde febres augentur & obstructiones; atque ejusmodi morbi sunt sedulò curandi, materque roboranda.

CAP. II.

DE PRÆGNANTIBUS ET EARUM SYMPTOMATIS.

SI igitur mulier viro jungatur qui ad venerem non sit ignavior, atque ipsa nullo proprio vitio sterilis sit, atque omnia rectè sese habeant, haud dubiè ad concipiendum apta est. Conceptionem autem cognoscere maximè necessarium est, cùm enim mulier variis affectibus tentetur, facilè ignoratâ conceptione, ex præpostero usu remediorum in gravissima pericula conjici potest. Verùm imprægnationem certò cognoscere difficile est admodum, unde rectè observavit *Zacchias in quæstionibus Medico legalibus* ante motum infantis nulla adesse signa certa conceptionis, videmusque & Medicos & obstetrices sæpissimè decipi etiam post motum infantis, sicut de seipso narrat *Avenzoar tertio libro Theizir*. Multique sunt affectus in quibus venter intumescit, menstrua supprimuntur, symptomata varia contingunt, quæ Medicum decipere possunt. Multæ tamen sunt probabiles conjecturæ; ut si semen cum delectatione excipiatur, ex quo voluptatis sensu mulier quodam cum rigore concutiatur, & uterum contrahi percipiat, virque in coïtu virgam sibi sugi sentiat, atque retrahi absque humectatione, signa hæc sunt attracta fuisse ab utero semina, sed certius est, si eadem per aliquot dies reti-

retineantur, nec excidant, intra ſeptimum ſiquidem diem, adumbrata ſunt & inchoata partium omnium ſtamina & rudimenta. Eo tempore os uteri ita clauditur arctè, ut ne ſpecilli quidem mucronem admittat. *Quæ utero gerunt, iis os uteri comprimitur*; *aphor. 51. lib. 5.* Contingit quidem propter ſcirrhum & inflammationem os uteri comprimi, ſed id dignoſcetur loci duritie & dolore, nam gravidis mollis eſt uterus, & abſque dolore; in aliis autem adſunt dolor & renitentia, ac durities. *Quibus os uteri durum eſt, iis uteri os comprimi eſt neceſſarium*; *aphor. 54. ejuſdem libri.* Poſt hæc menſtrua purgatio ſubſiſtit, quòd ſi eam interdum fluere contingat, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum: *Si mulieri utero gerenti, purgationes procedant, impoßibile eſt fœtum eſſe ſanum*; *aphor. 60. lib. 5.* quia ſubtrahitur fœtui alimentum, ſicque fit debilior. Fieri tamen poteſt, ut in plethoricis admodum mulieribus, aut primis menſibus antequam fœtus ſit grandior, ſanguis abſque incommodo vacuetur, ſupereſt enim embryoni ſanguinis ſatis ad alimoniam; ideoque etiam interdum venam in quibuſdam ſecare cogimur, ad aborſum præcavendum; ſed ſi ſæpiùs & multum excernatur, atque ſuam ſervet periodum, vix poterit fœtus incolumis perſiſtere ſuo genio fraudatus. Effunditur autem tunc ſanguis ex vaſis in cervicem uteri deſinentibus. Nam ſi ex internis vaſis proflueret, aut uteri cavitate, coërcitus putreſceret, & gravia concitaret ſymptomata, aut aperto uteri orificio, quòd connivere debet, fœtum ſimul cum matre in periculum abortus conjiceret. Verùm multis præterea mulieribus menſtrua ſubſiſtunt, quæ non ſunt gravidæ: Ideò addit *Hippocrates, aphor.* ſequenti; *Si mulieri ceſſent purgationes, neque febri, neque rigore ſuperveniente, & faſtidia cibi incidant, judica ipſam in utero habere.* Aliis etenim non ſolent menſes innoxiè ſupprimi, præterquam gravidis: Imò ipſis gravidis ejuſmodi ſuppreſſio varia ſecum affert ſymptomata, cibi faſtidia, vomitus, picam, nauſeam, aliaque, de quibus poſtea dicemus. Verùm grandeſcente fœtu ſenſim hæc omnia minuuntur, tandemque evaneſcunt, quia majorem menſtrui portionem abſumit, ex cujus inquinamento & pravis vaporibus fiebant. Verùm quando ex morbificâ causâ menſtrua cohibentur, augentur in dies ſymptomata, non miteſcunt, niſi revocatâ ſolitâ purgatione. Cùm grandiori igitur fœtu uterus intumeſcit, quaſi in mucronem verſus umbilicum & ventriculum, & tandem tertio, vel quarto menſe infans motu ſuo ſeſe prodit, eoque leni, blando & ordinato, atque in variam ſitus differentiam, quaſi muſcæ volantis, quem manus calens impoſita animadver-

advertere potest. In molâ autem aut flatibus, palpitans adest motus, & quasi convulsivus, interdumque rugitus audiuntur. Sensim quoque mammæ augentur, papillæ rubescunt, vel nigricant, tandem majori sanguinis copiâ affluente, lac in mammis colligitur. Atque hæc sunt præcipua signa conceptionis, quæ quoniam fallacia sunt & incerta, ad empirica quædam confugit *Hippocrates*. *Si velis noscere an conceperit mulier, cùm dormitura est ei aquam mulsam potandam dato, & si alvi tormina patietur, concepit, sin minùs, non concepit*; *aphor. 41 lib. 5.* verùm hoc signum mihi videtur esse fallacissimum. Viros enim novi, qui usu mellis & mellitorum omnium tormina patiuntur, ob mellis acrimoniam & flatuosam naturam. Ideò ad veritatem *aphorismi* quidam has adhibent conditiones: *primò*, ut fiat experimentum hoc statim post conceptum, in muliere mediocris habitus, nam in calidiore flatus facilè dissipantur; *secundò*, non sit facilè obnoxia dolori colico, aut torminibus; *tertiò*, non sit assueta hydromeliti, nam ab assuetis non fit passio; *quartò*, alvum nec citam, nec tardam habeat, nam cum alvo adstrictâ facilè flatus conjunguntur; si alvus sit fluida & laxa, flatus facilè effluunt. Verùm quis non videt, hæc etiam esse viris communia, propterea non posse esse signa graviditatis in mulieribus. Quidam etiam alia adferunt experimenta, sed fallacia admodum & incerta, ut si muliere pannis benè tectâ fiat suffitus; si odorem naribus senserit, minimè prægnans est. Alii supponunt *allia* & *aristolochiæ* pulverem cum *melle*, quorum sapor si ad os pervenerit, minimè prægnans erit, quia hæc ostendunt uterum minimè plenum esse, sed apertum & vacuum, eademque ad sterilitatis indagationem fuerunt adhibita, atque periculum est, si fortè gravida mulier fuerit, ne horum usu fœtus corrumpatur.

Sed admodum familiare est, quibusdam ex urinis de conceptione mulierum pronuntiare, quòd tamen nullo modo certum est, neque fieri potest. Urina etenim cùm fiat ex sero humorum in venis contentorum, propriè tantùm affectus venosi generis indicat: ideò in pleuritide, phrenitide, aliisque affectibus qui extra venas consistunt, nihil certi ex urinis cognosci potest. Idem dicendum est de fœtu; atque si ulla in urinis alteratio percipitur, ea non propter fœtum, sed propter menstruorum suppressionem contingere deberet, sic nihil peculiare de conceptione demonstrat, ut pluribus *lib. 2. errorum popularium* demonstravimus. Ridendi ergo sunt *Avicennas* & alii, qui urinas prægnantium nobis explicant, nec inter sese probè consentiunt. In principio secundum *Avicennam*,

cenam, urina est citrina & albicans, in sequentibus mensibus crassior fit & ignea. Pariter si in superficie adsit nubecula, & in medio corpuscula quædam veluti lanæ fragmenta fluitent, signum est graviditatis. Verùm quia in aliis affectibus hæc eadem apparere possunt, ideò inter signa graviditatis non sunt recensenda.

Pariter alia adduntur signa, etiam fallacia & incerta, ut quòd veneris sequatur fastidium, quòd in brutis, non mulieribus verum est: quòd oculi fiant profundiores, minùs nitentes, facies maculis quibusdam nigricantibus inficiatur, & similia dicuntur, quibus non est magna fides adhibenda. *Fernelius* etiam ipse aliàs minimè superstitiosus, aliud addidit experimentum, meo judicio fallacissimum, scilicet gravidarum urinam jusculo fabarum elixarum permistam, vino albo similem evadere. Alii addunt in urinâ gravidæ per triduum servatâ, apparere animalcula quædam, quasi pediculos, quorum rationes reddere vix possibile est.

An autem masculinus sit fœtus, vel fœmineus, etiam dignoscere quidam conantur. Et primò scribit *Hippocrates, aphor. 48. sect. 5. Fœtus, mares quidem in dextris, fœmina verò in sinistris magis*, quia locus calidior, magis competit fœtui calidiori, frigidior verò frigidiori; quòd tamen non est perpetuæ veritatis, nam sæpe utramque partem tàm masculeus, quàm fœmineus fœtus occupat, nec raro in dextris fœminæ, in sinistris mares fiunt; unde falsum est quòd *Galenus* scripsit in *comment.* ob calidiorem seminis temperiem mares generari, eam autem accidere maximè ob locum, nam calida hæc temperies, quæ maribus generandis aptior dicitur, pendet potiùs à generante, eamque semen habet antequam in uterum effundatur; nec calidius semen quasi animal ratione præditum, calidiorem uteri partem, rejectâ frigidiore sibi eligit, sed in quamcunque effusum fuerit, in eâ hæret & conformatur: Unde signum hoc ab *Hippocrate* allatum, admodum est incertum. Præterea *aph. 42. sect. 5.* scriptum reliquit; *Mulier gravida si marem concepit, benè colorata est; si verò fœminam, malè colorata est*; quia scilicet mas calidior, plura absumit excrementa, & vires quasdam addit matri. Verùm ut advertit *Galenus*, id ex eorum numero est, quæ sæpiùs eveniunt. Hæc enim, atque ejusmodi similia signa perpetua non sunt; fieri enim potest, ut concepta fœmina mare sit robustior, & propterea quæ eam gerit mater coloratior est, quàm si marem gereret imbecilliorem. Sub hâc coloris præstantiâ comprehenduntur reliqua symptomata, quæ in eâ quæ marem gerit & leviora sunt, & pauciora, ac citius evanescunt, ipsa quoque agilis est,

læta, meliusque appetit, fœtus alacrius & citius movetur, lac crassius est, meliusque compactum. Sed magis superstitiosum est quòd addunt alii; si fœtus sit masculeus, mulier dextrum pedem priùs promovet, dextrum oculum vegetiorem & alacriorem habet, oculi dextri & mammæ dextræ venas turgidiores. Ex urinâ autem etsi quidam arioli embryonis sexum se dignoscere posse persuadere velint, sciendum est meras esse nugas & imposturas, ut suprà diximus.

Progno-sis. PRognosin quòd spectat, sæpè graviditas mulieribus admodum salutaris est, & à quamplurimis morbis præservat, unde sæpè virginibus quæ gravibus & longis morbis conflictantur, nubere profuit, ut succedente ingravidatione, atque ex benignâ virilis seminis præsentiâ, calor illarum nativus roboraretur, qui postea rebelles morborum causas superaret, tum quia per vomitum plurima vacuant excrementa, atque ipse fœtus absumit plurima, vel generari prohibet, quia illorum materiam sanguinem scilicet menstruum ad se allicit, antequam corrumpi possit. In quibusdam tamen sæpè pernitiosa est graviditas, quæ solummodo hoc tempore in epilepsiam, maniam, aliosque affectus incidunt, quando scilicet acribus plenæ sunt excrementis, quæ superveniente ingravidatione retinentur, & magis corrumpuntur. Certissimum autem est, mulieres gravidas pluribus vexari symptomatis, atque interdum in morbos acutos incidere cum summo & matris & fœtus periculo; nam mulierem gravidam acuto morbo corripi, lethale; diarrhœa quoque & tenesmus periculosè iis accidunt, de quibus suo loco dicemus.

REGIMEN GRAVIDARUM.

PRopterea sedulò conservari debent mulieres gravidæ, & quendam vitæ modum tenere, quoniam probo sanguine non solum mater, sed etiam fœtus indiget, qui facili de causâ vel ejicitur, vel saltem debilior redditur. Aër igitur sit temperatus, nam nimium calidus, aut frigidus nocet, maximè si mulier alicui morbi sit obnoxia, qui per aëris mutationes ingravescit: propterea autumnus ob inæqualitatem ipsis noxius est. *Si hyems australis & pluviosa, & serena fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, ex quacunque occasione abortiunt. Quæ verò pariunt, imbecilles & morbidos infantes pariunt; quare vel statim intereunt, vel tenues & valetudinarii vivunt*, inquit Hippocrates, *aph. 12. lib. 3.* Cavendum ne in aëre sint acres odores, ut *rutæ, pulegii, menthæ*; graves fœtores, ut *candelarum extinctarum, sulfuris, castorei*, &c. quæ uterus

rus adeò averſatur, ut deorſum fugiat; imò quædam ſuavia nocent, quia uterum nimis agitant, in iis quæ ſuffocationi hyſtericæ ſunt obnoxiæ. Nocet pariter res horridas aſpicere, quia terrorem maximum incutiunt, & ſæpè fœtus ab iis immutatur. Terrent pariter ſonitus nimium vehementes, ut *tonitruum, bombardarum fragores, clangores tubarum*, & ſimiles. Caveat pariter ab omni vehementi labore & exercitio, ut *ſaltu, choreis, tuſsi, ſternutatione, gravis alicujus ponderis geſtatione, equitatione*, vel *curruum agitatione, coïtu, balneo*, & ab omnibus iis, quæ Capite proprio dicemus abortum provocare, primis ſaltem menſibus, in quibus tenellus fœtus facilè excutitur, tum quoque circa octavum menſem, in quo infauſtè ſæpè partus ſuccedit: Sed poſtremo menſe circa tempus partus motus paulò vehementiores & balneum & coïtus proſunt, ad dilatandas partes & relaxandas. Sed dubium eſſe poteſt, an gravidis coïtus noceat, nam ab eo periculum imminet ſuperfœtationis & provocationis menſium. Paucæ tamen eo abſtinent, & oſtendit experientia, nec ab eo niſi rarò fieri ſuperfœtationem, & menſes provocari. Propterea quamvis ſatius foret, ſi eo abſtinerent, concedendum tamen eſt aliquid ipſarum libidini, ſit tamen coïtus moderatus. Otium pariter nimium gravidis afficit, nam plurima cumulat excrementa, caloremq; reddit debiliorem; deambulationes igitur & moderata proſunt exercitia. Nocent pariter immodici motus animi & affectus, nã & gaudium, & riſus, & ira, timor, mœror, zelotypia, gravidam facilè in periculũ aborſus conjiciunt. Gaudium mediocre prodeſt, quia infantẽ exhilarat, facultates omnes excitat. Imaginatio præſertim in iis adeò valida eſt, ut ſi quid viderint, vel audierint, aut ardentiùs deſiderarint, ſtatim inde fœtus afficiatur, vel notas rei deſideratæ gerit, vel extinguitur. Solent ideò mulieres forſan ſuperſtitiosè magis quàm verè, manum natibus, vel parti occultæ admovere, ne ejuſmodi notæ cerni poſſint, credentes ſcilicet eas partibus illis imprimi quas tetigerint. Hæc imaginatio præſtat, quia fœtus corpus eſt unum cum matre continuum, propterea alteratis & perturbatis humoribus ac ſpiritibus matris facilè immutatur, maximè quamdiu tenellus eſt, & tanquam cera mollis admittit quamlibet effigiem; non quòd imaginationis vim ullam tribuamus extra proprium corpus operandi, ut fusè alibi diximus, & rectè explicat *Thomas Fienus libro proprio de viribus imaginationis*. Propterea valdè cavendum, ne mulieribus objecta ejuſmodi objiciantur, vel de iis mentio fiat, quæ poſſint mulieres ad ejuſmodi prava deſideria invitare.

Vestes pariter caveant arctiores quæ uterum comprimunt, nam vel fœtus incrementum prohibent, vel pravam ipsi figuram conciliant, ideò præstat laxioribus uti indumentis & liberis. Nocent pariter nimiæ vigiliæ, nam somno melior fit concoctio, meliorque retentio: sicut quoque cavenda est alvi magna constipatio, tum quia uterum premit, tum ob fortem in egerendo conatum, comprimentibus alvum musculis abdominis, qui propterea possent fœtum tandem ad inferiora detrudere; Itaque semper alvus mollis servetur, vel jusculo prunorum, vel enemate quopiam blando, ex *lacte*, aut *jusculo pulli*, cum *cassiâ* & *oleo chamæmelino*, vel *mannâ* cum *decocto pulli*.

Cibos quòd spectat, sint illi euchymi & eupepti, vitatis omnibus crudis, crassis, dyspeptis, flatuosis, ut sunt *poma*, *olera incocta*, *legumina*, *fabæ*, *milium*, *tubera*, *rapæ*, *fructus horæi*, *carnes bubulæ salsæ*. Omnibus pariter calidioribus, acribus, diureticis, amaris, salsis, menses moventibus; ut sunt *allia*, *cæpe*, *sinapi*, *fœnic. petros. raphanus*, *crocus*, *cappares*, *cinnom. piper*, *zinziber*, *aromata*, & alia ejusmodi menses moventia. Fructus quidam improbant, scilicet crudos & frigidos, quibus tamen gravidæ sæpè delectantur, ut *pomis*, & tamen fœliciter pepererunt: nocere tamen certum est, nisi immodicè eos desiderarint. Scribit *Aristoteles* usu salsorum fœtum nasci absque unguibus, quia scilicet unguium materia ab iis exsiccatur & absumitur, quòd an sit verum, experientia docere potest: id enim à me nondum fuit observatum, neque id facilè crediderim. In fine autem pastus dentur roborantia, ut *citonia pyra*, *poma dulcia*, *passulæ*, *granata*, *pyra*, cum pulveribus stomachicis adstringentibus. Et quamvis semper propter concoctionem talis ciborum debeat esse quantitas, quæ vires non gravet, tamen præstat ad pleniorem victum inclinare, quàm ad parciorem, præsertim ultimis mensibus, ut sufficiens fœtui alimonia suppetat, viresque ipsius conserventur. Potus sit *vinum rubrum* mediocris substantiæ; abstineant verò à *vino albo* & generosiori, sitque potus parcior, cum cibo exactè permistus, ne nimiâ humiditate ligamenta fiant laxiora, flatusque in ventre & fluctuationes generentur. Iis autem quæ aquæ potu delectantur, proderit decoctum *coriandri*, *cinnamom. chinæ*, &c. Poterit quoque uti roborantibus, *diambr. ebore usto*, *magisterio corallor. perlarum*, & similibus, *Cap. de abortu* dicendis. Et hæc de victus ratione, quæ mulieri convenit quamdiu sana permanet & incolumis. Nam si morbo aliquo detineatur, alia victus ratio instituenda erit pro variâ morbi naturâ.

Et

Et præterea non erit alienum ipsam purgare, ut docet *Hippocr. aph. 1. lib. 4. Prægnantes medicandæ si materia turget, quarto mense usque ad septimum, sed hæ minùs. A juniore autem fœtu & seniore abstinere oportet.* Purgantia nocere videntur ob conatum naturæ ad humores purgandos, corporis agitationem, malignam pharmaci qualitatem, ideò semper purgatio venæ sectione periculosior est. Primis siquidem mensibus fœtus vincula tenera sunt & molliora, ac facilè rumpi possunt, ut pediculi fructuum recens natorum: In postremis autem vel minimo conatu, ut maturus fructus excidit fœtus. Mediis autem tutius purgare licet, quia validiora sunt vincula; sic *quinto epid.* mulier pilulâ, ex elaterio secundo mense exhibitâ, periit: Atque reformidat *Hippocrates* in gravidis alvi fluxum & tenesmum, *aphor. 34. sect. 5. Mulieri utero gerenti, si alvus plurimum profluat, periculum est ne abortiat.* Vidi quæ cum alvi fluxu fœtum incolumem gestarunt. Et *aphor. 27. sect. 7. Mulieri utero gerenti, si tenesmus supervenіat, facit abortum.* Verùm cathartica *Hippocratis* validiora erant, atque gravidis absque periculo non poterant propinari. Nostra autem sunt benigniora atque innoxia; ideò si ex cacochymiâ intus latente mulier laboret, sive materia turgeat, sive non, modò cocta sit, licebit nostra præscribere, ut *cassiam, rhabarb. agaric. syr. de pom. de cichor. rosar.* &c. pro varietate redundantis cacochymiæ. Quibusdam tamen *aloës* usus non probatur, tùm quia gravi amarore fœtui nocet, tùm quia proprietate quâdam ora venarum aperit, sanguinisque profluvia concitat, nisi cum adstringentibus & roborantibus permisceatur, ut *mastiche, rhab.* qui omnia tuta timent. Nec tantùm ad curationem, sed etiam ad præservationem uti licet catharticis quolibet mense; securius tamen ea præscribentur mediis mensibus, quàm primis aut postremis ob rationes dictas. Adsuntque plurimæ gravidarum historiæ, quæ ad fœtum corrumpendum, innoxiè tamen sustinuerunt graves, & sæpiùs repetitas, purgationes. Immaturus enim fœtus arctè hæret, nec adeò facilè excutitur. Clysteres quoque possunt infundi, mollientes tantùm & lenientes, atque in minori quantitate, ne uterum comprimant, & acrimoniâ irritent. Nec inutile fuerit vomitum ex levioribus provocare, quem in gravidis minùs periculosum esse id indicat, quòd perpaucæ sint, quæ cardialgiâ & nauseâ, ac etiam vomitu ad sextum mensem non infestentur. Diazarum suum scribit *Fernelius*, esse prægnantibus tutum. Alii etiam infusione croci metallorum utuntur satis fœliciter: semper tamen vomitoria sint leviora, ne fœtum præcipitent.

Du-

Dubium parit eſt, an erconveniat ſanguinis miſſio; nam *aph. 3. lib. 5.* ſcribit *Hippoc. Mulier utero gerens, ſanguine miſſo ex venâ, abortit, & præcipuè ſi fœtus ſit grandior,* quia ſubtrahitur fœtui alimentum. Verùm cùm experientia doceat contrarium, quidam intelligunt aporiſmum de largâ illâ vacuatione, quæ Veteribus erat in uſu, quam certiſſimum eſt gravidis non competere. Sanè quamvis Veteres audacius ſanguinem mitterent, non ſequitur tamen eos nunquam parcè miſiſſe ſanguinem: Unde rectè obſervat *Celſus*, Veteres quamlibet ſanguinis miſſionem reformidaſſe: *Perſuaſerant*, ait ille, *ſibi gravidam ſic curatam aborſum facturam eſſe, poſtea tamen uſus oſtendit nihil ex his eſſe perpetuum. Intereſt enim non quæ ætas ſit, nec quid intus in corpore geratur, ſed quæ vires ſint.* Propterea verus tantùm erit aphoriſmus in debilioribus, quæ parùm habent ſanguinis; at in robuſtis & ſanguineis locum habere non poteſt: ſunt enim quædam quæ copiâ ſanguinis fœtus ſuos ſuffocant, quibus niſi detrahatur, nunquam vitales edent; Tum quoque ſi contigerit prægnantem plethorâ, morbo acuto, febre putridâ, pleuritide, anginâ, peripneumoniâ, & ſimilibus corripi, qui nonniſi ſanguinis miſſione curari poſſunt, dummodo vires conſtent, ea ſanguinis quantitas mitti poteſt, quæ & vitioſi ſanguinis copiæ, & viribus reſpondeat, & ſic abſque periculo vacuare, revellere, & temperiem poterit emendare, majusque à morbo, putredine, febre & dolore impendet periculum quam à remedio, quòd ſi omittatur, vix poterit oppreſſa natura ſeſe recreare, & morbum ſuperare; unde fœtus peribit, qui matrem poſtea perimet. Satius demum eſt matris quàm fœtus rationem habere & anceps remedium experiri quàm nullum. Ego ſæpè gravidis etiam octavo ac nono menſe ſanguinem miſi fœlici cum ſucceſſu, quæ vix aliter convaluiſſent. Quòd ſi purgationem quæ periculoſior eſt, concedit *Hippoc.* quidni phlebotomiam, quam ad lubitum ſiſtere poſſumus. Verùmtamen quantitatis habenda eſt ratio, & ſi copioſus ſanguis detrahendus ſit, id unâ vice non eſt faciendum, ſed interpoſitis horis quibuſdam & diebus; tutiusque ſemper mittetur ſanguis à quarto menſe ad ſeptimum, ut de purgatione diximus. Unde malè *Altimarus* libro proprio conatus eſt probare, venæ ſectionem gravidis non competere, 1. quia per ſe eſt cauſa abortus, *aphoriſ. 31. lib. 5.* 2. quia ſubtrahit alimentum fœtui; 3. quia inedia eſt cauſa aborſus, multò magis ſanguinis evacuatio; 4. quia diarrhœa periculoſa eſt, ratione vacuationis, multò magis ſanguinis miſſio, quæ fœtui ſubtrahit alimentum; 5. quia cauſa aborſus in primis menſibus ſunt mucores

cores in uteri acetabulis, hanc autem causam phlebotomia non tollit; 6. quia gravidis humores crudi sæpè sunt in ventriculo, quibus præsentibus phlebotomiam vetat *Galenus*, nam ea hos humores commovet & agitat, ac in venas deducit. Verùm hæ rationes *Altimari* tantùm locum habent, si à nullo morbo periculum aborsus immineat, tunc sanè abstinendum erit à venæ sectione, quando illam nihil indicat. Verùm si morbus quidam venæ sectionem postulans gravidam corripiat, cogitur ipse fateri prodesse phlebotomiam ad ipsius curationem, quòd nos pariter volumus, sicque inter se conciliari possunt contrariæ hæ sententiæ, facilèque erit ex prædictis *Altimari* rationibus respondere. Nec enim venæsectio moderata subtrahit alimentum fœtui, nisi mulier sit admodum extenuata, nec abortum per se conciliat, potiùs vacuatis causis aborsum facientibus illum præcavet; nec semper diarrhœa periculosa est, nec semper fit aborsus à mucoribus qui sunt in acetabulis, sed etiam ab aliis causis. Nec censemus omnibus causis, quæ aborsum concitare possunt, convenire phlebotomiam, sed tantùm quibusdam. Demum non semper adsunt crudi humores in ventre prægnantium, sed etiam acres quidam & putridi, ut vomitus indicat: quòd si forent, possent illi præmissâ blandâ catharsi vacuari, sicut etiam *Capite de abortu* iterum insinuabimus. Cavendum tamen est à sectione venarum inferiorum, quæ menses movent, & ideò fœtum deturbare possunt. In quibusdam tamen casibus posse inferiores venas secari, ostendit *Zacutus Lusitanus*, vir expertissimus, sed id absque insigni cautione non est imitandum, credo esse falsum.

His in genere præmissis, de symptomatis gravidarum speciatim agemus, quæ varia sunt in principio, medio & fine, & plurima ab *Hippocrate* recensentur, *5. aphorism.* & quidem primis mensibus prægnantes malè habere solent, ob suppressionem menstruorum, quorum copiam fœtus absumere non potest. At contingit interdum, quamvis raro, postremis eas malè habere, non autem primis. Quæ scilicet pauciora habent menstrua, melius habent in principio, quia totum id quòd retinetur, in fœtus vel generationem, vel nutritionem facessit. At procedente tempore fœtus grandior, non solùm inutilem, sed etiam utilem sanguinem trahit, unde genio suo mulier defraudatur. Notandum autem est, quamvis similia symptomata in iis quæ gravidæ non sunt, ex menstruorum suppressione contingant, magnam tamen esse in curandi ratione differentiam, quoniam in his unica curandi ratio ex vacuationis menstruæ

revocatione dependet; in gravidis verò cavendum sedulò ne cieantur menstrua.

Primis itaque mensibus fiunt *picæ, malaciæ, cibi fastidia, nauseæ, vomitus, singultus, ventris imbecillitates*, aliaque ejusmodi. *Pica* accidere dicitur iis quæ pulchriores edunt fœtus, quia puriorem tantùm sanguinis partem fœtus exugit. Impurior autem si ventriculum petat, vel tetros halitus ad illum mittat, depravat appetitum, picam facit, anorexiam, aliaque ejusmodi symptomata, maximè in cacochymis, quæ antea commodè purgabantur. Quibusdam statim à conceptione incipit, aliis tantum post vigesimum diem aut trigesimum, usque ad quartum mensem. Sensim tamen meliùs habent, tùm quia fœtus grandior omnia excrementa absumit, tùm quia per vomitum exhauritur sæpè mali sentina. In principio si fieri possit, blandis verbis avertantur ab eduliorum absurdorum esu: nec abstergentibus, nec purgantibus utendum, metu abortus. Si persuaderi nolint, humores pravi temperentur cibis optimis, ut jusculis optimarum carnium, *succo citoniorum*, *granatorum*, abstineatque à dulcibus pinguibus, quia vomitum provocant. Astute etiam & cautè fallantur, ut iis quæ terram appetunt, detur amylum, loco carbonum, fabæ tostæ & similia præbeantur, quæ Medici ingenium excogitare potest. Verùm si falli non possint, satis magnæ sunt undique angustiæ. Denegatis enim ejusmodi rebus, ex valido imaginationis motu, sæpè sequitur aborsus, iis autem concessis, cacochymia variorum morborum parens generatur, maximè si pessima illa fuerint, ut *carbones, gypsum, calx, fructus immaturi*. Et quamvis quædam innoxiè res ejusmodi absurdas comederint, sæpè tamen ab iis læsæ sunt. Præstat autem quædam concedere, quàm in certissimum discrimen mulierem præcipitem agere. Atque interea remediis pugnandum, levioribus purgantibus ex *melle rosato*, pauco *rhabarb.* &c. sed frequentius repetitis, atque etiam levi vomitu, vix enim unico pharmaco cedit affectus, sed sæpissimè facit recidivam. Quidam probant polypodii pulverem ad ʒ j datum cum vino adstringenti. Prosunt quoque *olivæ conditæ*, *passulæ*, *granata*, *citonia*, *sinapi* cum *obsoniis, avellanæ, pyra cocta, portulaca, vinum vetustum* & *odoratum*, *aqua virgæ pastoris*, & similia. *Succum* ex *vitis foliis* expressum quidam commendant, cum *syrupo citoniorum*, vel *aquâ foliorum vitis* distillata. *Succus citri* & *arantiorum*, cum pauco *vino* prodest. Exterius apponantur emplastra & cataplasmata roborantia, ex *palmulis* & *citoniis decoctis* cum *rosis* & *fœniculo*; *Oleum* quoque *nardinum* cum *vino* & *mica pa-*

nis tosta cum *aceto* apponantur. Fiat litus ex *oleo nardino, mastiche* & *rosacco*: Fotus ex decocto *mastich. sumach, ros. balaust. absynth. cyperi, corticis citri, melissæ, orig. menthæ, calami odorati, spicæ nardi* cum *vino rubro*, sicut *Capite de picâ* pleniùs diximus.

Inappetentia & *ciborum fastidium* gravidas periculosè afficit, quia fœtus suo genio defraudatur, maximè si sit grandior. Si cessent menstrua, neque horror, neque febris superveniat, & cibi fastidia incidant, judica ipsam in utero habere, *aphor. 61. lib. 5.* Fit autem hoc cibi fastidium, eâdem ratione, quâ pica, læso ore ventriculi in mulieribus gravidis, ex sanguinis retenti vaporibus. Volunt autem quidam in plenilunio, vel fœtu capillos producente, mulieres magis fastidire cibum, quòd supertiosum esse credo, nec facilè observatu. Irritandus est omni arte appetitus, vomitus levis, & blanda ex pilulis stomachicis & alephanginis cum *rhab.* purgatio. Postea convenit cibus optimus, macer potiùs quàm pinguis, aromatis quoque conditus, vinum quoque sit paucissimum, idque austerum, nam omnia austera & acida prosunt, ut *succus arant. granat. pyra, citonia, palmulæ, olivæ, pulvis diarhod. aromat. ros. diamarg.* &c. Extrinsecus roborantia, ut *ceratum stomachicum*, de *crustâ panis*, vel ex *cinnamomo, citoniis, dactylis, calamo odorato, oleo absynth. menthæ, citon. micâ panis tosta*, cum *pulvere cinnam. rosar.* & *diarhodon abbatis*, ut in affectibus ventriculi diximus. Si simul adfuerit sitis, cavendum à nimiâ frigidi potus copiâ, quæ calorem nativum obruit, ventrem gravat, alvique fluxum interdum concitat, sed prodest acidorum usus, quæ ventriculum refrigerant & roborant. *Nausea* & *vomitus* gravidis sæpè contingunt ob prædictas causas, prodestque in principio vomitus, vacuatis causis morbificis, tandemque sponte cessat, neque statim sistendus. Quin potiùs si laboriosus sit, juvandus erit *decocto hordei*, aut *raphani*, cum *oxymelite* & *oleo*, quin etiam interdum infusione *antimonii*, vel blanda fiat purgatio, ex *hierâ, rhabarb. aloë, myrob. sennâ*, &c. Sic enim vacuatâ cacochymiâ, vomitus cessat, fœtusque redditur alacrior. Si his non cesserit, aut fœminæ cibum statim rejiciant, adstringentibus utendum erit & roborantibus internis, ut *syrupo de menthâ, granator. citon. de cortic. citri*; & externis, ut emplast. stomach. de *crustâ panis Montagn.* & aliis jam supra recensitis. *Cucurbitula* apposita maximè prodest, quæ etiam ructum juvat & singultum: Si ructus sit nidorosus, optimum erit aquam frigidam deglutire, vitatis jusculis & omnibus pinguibus.

Contingunt quoque sæpè *ventris dolores* & *tormina*, ob flatus plurimos.

Atque hic etiam roborandus est ventriculus, flatusque statim discutiendi, sæpè enim contingit ex ejusmodi dolore uteri vasa reserari, sanguinemque profluere, cum summo fœtus discrimine. At tunc quæ flatus dissipant ob calorem hæmorrhagiam concitant majorem: Quæ verò illam compescunt, ventris dolores exacerbant; quare statim à principio huic symptomati occurrendum internis & externis, modò non sint nimium aperientia. Laudatur à quibusdam *aquæ* calidissimæ potus, vel *vini aromatici*, vel parum *aquæ cinnam. imperial.* cum *syr. de corticibus citri*, vel *piper* contusum cum *vino albo*. Fiant litus cum *oleo rutaceo*, *laurino*, *unguent. resumptivo*, *pulvere cumini*, *ireos*, *croci*, &c. fotus ex decocto carminante cum *vino rubro*, aut sacculi etiam admoveantur, ut in dolore colico. Nimius tamen usus fomentationum periculosus est in gravidis, ne uterum relaxent, & abortum faciant. Laudat *Varandæus* frustum carnis carbonibus calefactum, insperso pulvere *cymini* appositum, vel *omentum arietis* adhuc calens, vino calente aspersum. Tandem in summâ doloris acerbitate prosunt *narcotica*, ut *requies Nicol. laudanum*, & similia. Interdum tamen ab acribus humoribus fieri potest ejusmodi dolor, qui blandè sunt purgandi, dein lactis usu & epicerasticis demulcendi.

Alvi fluxus sæpè gravidis molestus est, quisquis ille fuerit, lienteria, dysenteria, vel diarrhœa. *Mulieri utero gerenti, si alvus plurimum profluat, periculum est ne abortiat, aphor. 34. lib. 5.* quia alimento fœtus destituitur, inde cum matre redditur imbecillior, & ligamenta redduntur laxiora, uterus commovetur excrementorum vaporibus irritatur maximè, si dysentericum aut lientericum profluvium fuerit. Uxor tamen *Epicharmi* gravida dysenteriâ correpta, fœliciter peperit, & liberata est. *5. epidem.* *Pariter mulieri in utero habenti tenesmus superveniens, abortum facit*; *aphor. 27. lib. 7.* propter dolorem & frequentem in egerendo conatum. Si autem fiat alvi fluxus ex pravis humoribus, non erit statim sistendus, ne retenti ejusmodi humores & matri & fœtui noceant. Sic uxor *Stymargi, 2. epid. sect. 2. t. 4.* ex diarrhœâ intempestivè suppresſâ, fœtum quadrimestrem ejecit. Prius igitur humor blandè purgetur cum *rhab. myrobal. syrupo rosar. agarico*, & similibus, pro ratione dominantis cacochymiæ. In dysenteriâ humor temperandus est, *syr. rosar. violar. borrag. bugloss.* cum *aquâ chalybeatâ*, sintque clysteres primò abluentes & anodyni, addito *oleo rosar. violar. butyro*, aliàs acriores nocent, demum sint adstringentes. Si fiat fluxus vitio ventriculi, aut viscerum imbecilliorum, quæ vomitui prosunt, huic quoque conferunt, ut adstringentia, *cinnam.* *myr-*

myrtil. coral. mastich. rosæ siccæ, margar. ras. eboris, terra sigill. conserva rosar. citon. condita, & similia alibi recensita: atque si opus sit, ad narcotica veniendum. Si à pravo victu concitetur, etiam fiat curatio, sicut alibi dictum, mutatione diætæ, blandâ purgatione, ventriculi roboratione, &c.

Interdum autem contrà *alvus supprimitur*, etiam cum aborsus periculo ob conatum in alvo reddendâ ob compressionẽ musculorum abdominis, idque quia fœtus intestina comprimit, tum ob viscerum fervorem, tum ob vitam sedentariam. Utendum erit emollientibus, atque etiam paululum detergentibus, ut *cibo humectante, juscul. pinguibus* alteratis, *malvâ, but. lact. port. betâ viol. borrag. jusculo prunorum*, atque *prunis* ipsis primâ mensâ cum *sacchbaro* assumptis, decocto *hordei* cum *melle rosato* vel *sacch.* jusculis leniter purgantibus. Demum clysteribus emollientibus ex *lacte*, aut *jusculis*, cum *butyro, oleo, sacchbaro*, sed hæc exiguâ quantitate injiciantur. *Glandes* quoque leviores indi possunt, neque in his quicquam est periculi, contra quam mulieres sentiunt, quæ omnia tuta timent.

Sæpissimè quoque ex vaporibus in caput elatis ob suppressos menses fiunt *vertigines, cephalalgiæ, destillationes, dentium dolores, sputatio frequens, oculorum caligo*, & (si vapores sint acres) *vigiliæ*. Sæpe quoque ejusmodi vapores ex ventriculo imbecilliori, qualis esse solet in gravidis, in caput elevantur. In horum autem curâ nihil peculiare observandum occurrit, sed corpus blandè purgandum; repellentia capiti, frontique admovenda, ut emplastrum ex *mastich. tacamahacâ, cont. ruptar.* revellentia autem partibus inferioribus, ut cucurbitæ frictiones; & si aut vigiliæ, aut dolor urgeant, dentur *narcotica* horâ somni, sicuti alibi diximus. Si fiant vitio ventriculi pulveres digestivi præscribantur ex *coriand. C. C. spodio, diamarg.* &c.

Oculorum in illis cavitas, fit ob caloris, spirituum & humorum inopiam, qui non satis partes dilatant, unde in se collabuntur, & hæc ob suppressionem menstruorum: Hinc quoque fit decoloratio, puriorem enim sanguinem fœtus absumit, & qui supersunt, spiritus sunt impuriores, vaporibus humorum crudorum defœdati. Hinc quoque album oculi fit lividius, nam copiosus sanguis, spirituum puritas & ubertas sunt causæ boni coloris. Atque his opitulatur levis purgatio, & postea proba victus ratio.

Medio gestationis tempore fiunt *cordis palpitationes*, à tetris halitibus os ventriculi & cor infestantibus, unde interdum fiunt *cardialgia, lipothymia* & *syncope*, cum summo abortus discrimine, vel à copiâ sanguinis cor

cor opprimente. Fieri tamen poteſt lipothymia ob ſpirituum defectum, vel quia fœtus grandior aut numeroſior nimium abſumit. In hoc caſu cibo euchymo & polytropho opus eſt, ad ſufficientem ſanguinis quantitatem generandam. Si verò fiat palpitatio à flatibus & pravis vaporibus, victus ratio ſit exquiſita, atque poſt primos menſes levior ex *rhabarbaro* purgatio utilis erit, dein uſus cardiacorum, ut *confect. de hyacint. de gemmis*, *diamarg. lapis bezaar*, cum *aquâ ſcorzoneræ, naſſæ, cardui*, &c. Sed præcipuè laudatur *confectio alkermes*, quæ abſque ullo periculo ſuaviter roborat & partum juvat, vires recreat, & calorem nativum fovet. Internis pariter & externis remediis adverſus hunc affectum pugnare oportet, ut electuaris, epithematis ex aquâ quâpiam cordiali, quâ imbutum linteum cordis regioni applicetur: ſed maximè probatur à quibuſdam aquæ calidiſſimæ potus. Verùm ſi fiat à copiâ tetri ſanguinis, ſemel ſanguinem ex partibus ſuperioribus mittere opus erit. Plurimæ enim aliàs abortum patiuntur, niſi copia ſanguinis fuerit imminuta, & calor nativus ventiletur.

Tuſſis in gravidis valdè formidanda, quæ ex vehementi muſculorum epigaſtrii concuſſione periculum aborſus facit, vires dejicit, cephalalgiam, vigilias, dyſpnœam, febremque aliquando accerſit. Fit autem vel ab halitu tetro diaphragma & reſpirationis organa feriente, vel ex catarrho, eoque tenui, vel craſſo, maximè in mulieribus catarrhoſis, & quibus pulmo imbecillior eſt. Si fiat ab halitu, tuſſis ſicca eſt, & ructu, crepitu, atque carminantibus ſolis levatur. Si à capite delabitur, ſputatio adeſt, & à ſomno affectus recrudeſcit. Purgatio lenior prodeſt, tum cibi & potus moderatio, ſintque alimenta boni ſucci & ſiccantia. Laudant quidam potum *aquæ calidiſſimæ*, vel *vini*, vel *aquæ cinnamomi*, vel ipſum *cinnamomum maſticatum*, tum *cinnamom.* & *caryoph.* decoctum cum *ſacchar*o & *melle* in formam *lohoc* redactum. Si catarrhus ſit tenuis & ab humoribus acribus & ſalſis pendeat, conveniunt lenientia & incraſſantia, ut *amylum, farina hordei* cum *melle, hordeata, amygdalata, panatelæ*, & ſimilia; tum levior fiat purgatio, dentur maſticatoria, bechica, ex *lohoc de papavere, diatragacant.* & ſomni tempore adſtringentia, ac ſoporifera, ut *ſyrupus de papavere, roſar. ſiccar. diacodium, conſerva roſarum* cum *laudano.* ℞ *ol. amygd. dulc.* ℥ j ß, *ſacch. cand.* ℥ ß, *mucil. ſem. pſyll. & citon. ana* ʒ *ij*, *diacodii* ʒ *iij*; Miſce, fiat *lohoc*. Nec omittantur revellentia ſi affectus poſtulet, ut ſunt cucurbitæ, frictiones, &c. de quibus à nobis dictum fuit.

Cùm

Cùm fœtus grandior eſt, quidam *lumborum* & *artuum* dolores affligunt, iſchiadicis ſimiles, vixque ante partum ceſſant, nec minùs torquent in quiete, quàm in corporis motu. Fiunt à ſanguine ſuppreſſo, venas illarum partium diſtendente, aut à fœtu grandiori qui ligamenta offendit, unde vicinæ partes per conſenſu dolent. Poſſunt tamen quodammodo leniri, inunctione ex *oleo liliorum, chamæm. lumbricorum, myrtino*, &c. tum etiam moderatâ venæ ſectione ſanguis adimi poteſt. Quòd ſi fœtus adeò grandeſcat, ut ab uteri ligamentis non poſſit commodè ſuſtineri, ſubligaculis collo appenſis & pellibus mollioribus fulciatur.

Sanguis interdum gravidis profluit, variis ex partibus, ut naribus, hæmorrhoidibus, utero, variiſque ex cauſis, quæ etiam aliis communes eſſe poſſunt, ut ex caſu, ictu, ſubitâ perturbatione, ex vaſis alicujus diſruptione, vel anaſtomoſi, maximè ſi præceſſerit lumborum & umbilici dolor, tuſſis, reſpirandi difficultas, cruciatus à flatu, fæcum ariditas, alvique fluor, vel quòd frequentius eſt, ob ipſius copiam, vel acrium humorum permiſtionem & pravitatem, & aborſum minatur. Si fiat à ſolâ copiâ, facilè toleratur; ſi fiat ab humoribus pravis, ſanguis erit malè coloratus, guttatim & cum dolore, adſuntque ſigna cacochymiæ. Cauſæ externæ relatione cognoſcuntur. *Si mulieri utero gerenti purgationes procedant, impoßibile eſt fœtum eſſe ſanum*; *aphor. 60. lib. 5.* Verùm hic conſideranda eſt ſanguinis excreti copia, qualitas, & locus ex quo excernitur. Nam interdum fluit ex venis colli & cervicis uteri, tuncque niſi admodum exuperet, malum non prænuntiat, in plethoricis, ſi ſine dolore & moleſtiâ profluat, mulierque boni coloris remaneat, nec ſeipsâ imbecillior facta videatur, potiùs quibuſdam prodeſt, vacuatâ ſanguinis copiâ. Verùm ſi copioſior fuerit ejuſmodi vacuatio, admodum nocere poteſt, quia fœtui ſubtrahit alimentum, ſpiritus viresque exhaurit. Sed periculoſiſſima eſt, ſi ex internis uteri venis, ſive ruptione, ſive anaſtomoſi, reſeratis profluit, nam ſecum fœtũ præcipitat, retentus quoque ſanguis aut putreſcens ac grumeſcens peſſima infert ſymptomata. Quòd ſi ſanguis effluens pravus ſit, nigricans, virulentus, odoris tetri, peſſimum eſt, quia pravorum humorum dominatum arguit, qui neceſſariò & fœtui & matri moleſti ſunt, morboſque procreant acutiſſimos. Quòd ſi ſanguis paucus fluat, aquoſus & dilutus, fœtum imbecillum eſſe oſtendit, & abortus ſequitur, vel partus difficilis, ut ſi circa tempus partus ejuſmodi ſanguinis fluxus contigerit abſque ullo dolore, periculum eſt ne fœtus mortuus exeat, tunc ſollicitanda mulier ad partum, ſed ſi ante tem-

tempus partus profluat, utendum erit remediis. Minus autem periculi eſt, ſi per nares aut hæmorrhoides vacuetur. Cautè utendum adſtringentibus, in fluxu ex internis venis facto, ne ſuppreſſus ſanguis in utero corrumpatur. Aliàs in plethoricis, ne abortus contingit, optimum erit ſanguinem ex brachio mittere, cucurbitulas hypochondriis adhibere, revulſionibus, frictionibus & ligaturis uti, victum parcum inſtituere, blandâ interdum purgatione humores acres vacuare, ut *rhabarb.* cum *conſer. roſarum*, dein adſtringentia, ſanguinemque denſantia adhibere interna & externa, ut *ſaccharum roſaceum*, *amylum* cum *lacte amygd. ſantal. bolum*, *terram lemniam*, *corallum*, *margaritas*, *ſyrup. granator. ribes*, *corallorum*, de quibus variis in locis abundè dictum fuit. Umbilico etiam admovenda ſunt, quæ fœtum roborant, & mica panis vino auſtero cocta, cum pulvere *cinnamomi* & adſtringentium. *Cineres corticum nucum uſtar.* cum *vino* appoſiti, prodeſſe creduntur tanquam ſecretum quoddam. Hæmorrhoidibus ſicuti ſuo loco explicavimus, erit ſuccurrendum, ſed maximè dolor demulcendus, ne major fiat attractio.

Aqua etiam interdum ab utero profluit in gravidis, ſive per venas uteri interiores, ſive per venas cervicis, tuncque vel uteri hydropem, vel falſam gravidationem oſtendit, atque periculum eſt, ne febris corrupto humore accendatur, vel alimentum fœtus conſpurcetur, & relaxatis ligamentis abortus provocetur, ut de hæmorrhagiâ diximus. Vacuatur tamen interdum tenuis quidam humor per diapedeſin, ſenſim, paulatim & abſque dolore, idque non eſt admodum periculoſum. Fluunt quoque interdum ſanioſæ quædam humiditates & ſanguinolentæ, vel alba uteri purgamenta in cacochymis, quæ ejuſmodi fluxui etiam abſque graviditate ſunt obnoxiæ. Omnis tamen humorum fluxus ab utero periculum aborſus facit, ob uteri & ligamentorum relaxationem & emollitionem; Sed ſi aqua, quæ eſt in ſecundinis fœtus, effundatur, abortum vitare non poteſt. Quòd contingit ruptis membranis fœtus, vel ob cauſas externas, ut ictum, contuſionem, ponderis alicujus elevationem, vel ob fœtus magnitudinem, vel ob aquarum copiam membranas dilatantem, vel ob ſuppreſſam quandam aliam vacuationem, quam poſtea natura impetu facto in uterum detrudit. Hæc vacuatio ut diximus, certiſſimum eſt aborſus indicium, nec vitari poteſt, & fruſtra adſtringentibus pugnamus. Potius roborantibus fœtæ conſulendum, ut ſecurius fœtum quamvis immaturum excludat. In reliquis fluxibus periculum eſt, ne nimio madore fœtus ligamenta difrumpantur. Cura

potiſ-

potissimum in victus ratione sita est, quæ siccans esse debet; ideò prosunt *carnes assæ* potiùs, quàm *elixæ, amygdalæ tostæ, passulæ, aquæ chalybeatæ, decoctum chinæ, sarsaparillæ*. Externa adstringentia esse debent, ut cataplasma ex *citonio* in *vino* adstringenti decocto, cum *mastic. caryoph. cinnam. rosæ. coral.* vel frustum carnis cum iisdem pulveribus, aut sacculus ex *mastic. cinnam. angel. caryoph. rosæ. balaust.* &c. vel emplast. ex prædictis cum *ladano* & *balsamo*. Prodest quoque interdum assumere ℥ ß *rhabarb.* vel pulverem *cornu cervi usti, rasuræ eboris, diarhod. margarit.* & similia; sed humores primum corrigendi, ac dein blandè vacuandi, ante usum adstringentium.

Mammarum in gravidis consideratio, sive turgentes sint sive flaccidæ, multum facit ad præsagium. Flaccidæ fiunt ob lactis defectum, molles ob ejus mediocrem copiam, tunc nec duræ sunt & renitentes, nec flaccidæ, sed inter utrasque mediæ; In prægnantibus fiunt mammæ solidiores, idque secundum naturam, quando suppressus sanguis ob miram inter illas partes societatem ad mammas fertur, quòd summâ naturæ providentiâ factum, ut paulatim sanguis assuescat eò ferri ad fœtus alimentum. Addit *Hippocrates*, quia fœtus grandior vasa comprimit, unde fit expressio sanguinis ad superiora. Vel præter naturam mammæ solidescunt ante tempus, ob fœtus imbecillitatem, qui sanguinem totum ad se trahere nequit, unde portio ad mammas fertur, & interdum per papillas effluit, tuncque fiunt mammæ duræ & dolentes. Virginibus quidem & iis quæ non sunt gravidæ, sed benè valent, solent mammæ esse mediæ inter molles & laxas, magnas & parvas. Si olim fuerint repletæ, dein inaniantur, magnæ remanent & flaccidæ; si magnæ sint & solidæ, id ex lactis habent copiâ; si duræ sint & dolentes, sunt inflammatæ. Laxæ & molles à quibus lac fluit aquosum, fœtum imbellem indicant, solidæ verò sanum arguunt. *Mulieri utero gerenti, si lac multum è mammis effluit, fœtum imbecillum significat. Si verò mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem; aph. 52. lib. 5.* Nam si multum lac est in mammis, tantùm fœtui adimitur, quia illud ob imbecillitatem non trahit: Ubi notandum, cùm benè se habet fœtus & alacriter trahit sanguinem, tantò solidiores magis fieri mammas & majores; quòd si extenuentur, abortum significant; *Quæ corruptura sunt fœtus, iis mammæ extenuantur. Quòd si rursus duræ fiant, dolor; aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit & non corrumpent; aphor. 53.* ejusdem libri. *Et mulieri utero gerenti, si mammæ graciles repente fiant, abortit*; 37. ejusdem. *Et mulieri*

lieri utero gerenti & geminos habenti, si altera mamma gracilis fiat, alterum abortit, & siquidem mamma dextra gracilis fiat, marem, si verò sinistra, fœminam; aph. 38. Curari autem debent, ut lactis abundantia & fluiditas: sed observandum plurimas mulieres importuno remediorum adstringentium usu, interdumque etiam narcoticorum, maximas incurrere noxas, sed de his dicemus *lib. de mammarum affectibus.*

Circa postremos menses grandior fœtus alvum nimium distendens, fissuras quasdam & rugas facit, præsertim in pusillis, primiparis, in quibus venter in tantam molem commodè distendi nequit. Mollientibus propterea & laxantibus utendum, ut *oleo lilior. amygd. dulc. pomatâ, pinguedine gallinæ, anatis, pelle caninâ* præparatâ. Quòd si jam factæ sint fissuræ, profunt *unguent. rosac. de cerussâ, citrinum,* & similia. ℞ *spermat. ceti* ℥ j, *olei amygdal. dulc.* ℥ ij, *medulla cervinæ, axungiæ, anseris ana* ℥ j, *ursi* ℥ ij, *tereb. venetæ* ℥ ß; fiat unguent. Si venæ in cruribus & abdomine evadant varicosæ, quia sponte post partum curantur, nihil agendum, sola quies sufficit, curatio enim quæ his morbis debetur, malo ipso gravior est.

Sed sæpissimè crura prægnantibus inflantur, & si humor acrior sit, inflammantur & exulcerantur, maximè si mulier sit cacochyma, lienosa, scorbutica, sed statim à partu, spontè redeunt ad sanitatem. Incipit inflatio sæpenumero post quartum mensem, interdum tardius, quia copiâ sanguinis suppressi jecur tandem refrigescit. In principio sub noctem crura inflantur, manè detumescunt, quamdiu adhuc virtus valida est: sed tandem inflatio tam interdiu quàm noctu fatigat. Fit autem vel ab humore seroso, vel flatu, adsuntque dolor, tumor, distensio, atque incessus prohibetur. Victus sit euchymus & exsiccans. Parti apponenda sunt discutientia & roborantia. Laventur crura decocto *caulium, corticis citri, origani, calam. puleg. furfuris* cum *sale* & *alumine*; vel *lixivio cinerum vitis*, vel *aquâ fabrorum*: vel fiat cataplasma ex *caulibus* in *vino* coctis, cum *terrâ cimoliâ*, ex *farinâ cicerum, fabarum, orobi*, cum *oxymel.* vel *aceto*, & pauco *sulphure*. Charta quoque *aceto* infusa & imposita laudatur, addito interdum *sulphure*. *Oleum chamæm.* cum *sale* etiam prodest. ℞ *unguent. de artan.* ℥ iij, *sulph.* ʒ iij, *baccarum lauri* & *alum. ana* ʒ j, *aceti* parum, fiat unguent. Sedulò cavendo ab omnibus repellentibus: hepar debilius roborari potest internis & externis.

Contingit interdum *urinæ difficultate* laborare mulierem, quia fœtus grandior vesicæ collum comprimit, maximè cùm erecta stat mulier.

Tunc

Tunc fove perinæum decocto *petrof. fœnic. alth. pariet. sem. lini*, &c. Aut in vesicam immittatur *catheter*, ut in suppressione urinæ dicetur. Et hæc sunt præcipua symptomata quæ ratione graviditatis accedunt.

Verùm interdum alii accedunt morbi cum reliquis mulieribus communes, ut hydrops, paralysis, febris, pleuritis, aliique ejusmodi, qui in gravidis admodum sunt periculosi, & ratione graviditatis redduntur curatu difficiliores, maximè si sint acuti, ut febres, pleuritides, &c. Nam *mulierem gravidam aliquo morbo acuto corripi, lethale*; *aphor. 30. lib. 5.* Duplexque est ex *Galeno* periculum, unum à febre fœtum interimente, alterum ex tenui diætâ, quæ morbis acutis competit, sed fœtui nocet. Nam si ut fœtum servemus, pleniorem victum matri concedamus, augetur morbus, matremque simul & fœtum destruemus. *Pariter si in utero mulieris gravidæ fiat eresypelas, lethale*; *aph. 43. lib. 5.* quòd etiam de omni in utero inflammatione verum est. Notandum autem morbos acutos in gravidis, vel esse cum febre, ut phrenitis, pleuritis, febris ardens; vel sine febre, ut epilepsia, apoplexia, tetanus, atque hi matrem primum, dein fœtum perimunt, contra si sint cum febre, primum læditur fœtus ob putredinem & calorem, dein mater pereunte fœtu, imbecillior redditur, ac periclitatur. Fiunt autem hi morbi ex vitiosis humoribus, vel ante conceptum generatis, qui quâpiam ex causâ moventur, vel quia fluentibus menstruis conceptio facta est, vel quia suppressis menstruis cumulantur excrementa quæ postea putrescunt, vel ob pravam victus rationem. Si igitur mulierem acuto morbo corripi contigerit, periculum Medicus prædicere debet; fœtus quidem trimestres & quadrimestres injuriis resistunt, reliqui minùs; nam seniores & qui ad partus tempora accedunt, ob tenuem victum qui morbis acutis debetur, pereunt, ut docet *Galenus 3. epid. sect. 5.* Moderanda igitur diæta est, atque satius est ad pleniorem, quàm ad tenuem & exquisitam diætam vergere. Pariter si opus sit tum venam secare, tum purgare utilissimum fuerit, nec sunt hæc remedia in gravidis adeò formidanda, ut jam supra diximus. Clysteres quoque leniores non nocent, sed acriores fugiendi, ne fœtui noceant. Alterantia autem maximè conveniunt, quæ nunquam nocere possunt: Sed cautè utendum est diureticis & sudorificis, nam diureticorum virtus accedit ad ea quæ menses movent, detergent enim & aperiunt, ideoque si iis utendum sit, leviora sint. Sudorifica quoque non improbat *Varandaus*, quæ putat nullam vim inferre gravidis, vidisse refert quasdam innoxiè & sudores, & inunctionem ex hy-

drargyro pertulisse. Et sanè fatendum est sæpè adeò arctè fœtum utero adhærere, ut nullis remediis excuti possit, ut quotidiana ostendit experientia, & nos *libro quarto* errorum popularium explicavimus: Propterea pernitiosum est quorundam consilium, qui in morbis acutis abortus provocationem suadent. Id enim nec facilè est, nec tutum, cùm abortus ipse sit periculosus & lethalis affectus, ut ostendit experientia; nam *aphor. 30. lib. 5. gravidam acuto morbo corripi, lethale esse* dixit, ob febrem, ob tenuem victum, & ob periculum aborsus. Afflictionem addere afflictæ malum est, atque interfecto fœtu sæpe mater perit, ut rectè advertit *Petrus Salius Diversus.* Non est tamen abstinendum à necessariis auxiliis, ut phlebotomiâ & purgatione, ex quibus si forte sequatur abortus, non Medici aut remediorum culpa est, sed vel morbi acuties, vel matris debilitas, vel si fœtus jam mortuus sit, omni arte erit excludendus. Abortus nullum morbum levat, præsertim acutum, sed potiùs auget, nisi fœtus mortuus sit, qui necessariò debet excludi.

CAP. III.

DE FALSA CONCEPTIONE.

DIximus de conceptione & symptomatis quæ ad eam consequuntur, nunc de ipsius vitiis agendum est. Sicut igitur aliæ actiones, tollitur, imminuitur, vel depravatur. De prioribus *Capit. de sterilitate* abundè dictum fuit. Sequitur depravatio, quæ fit quando veri conceptus loco falsa fit gravidatio, aut mola, aut monstrum, aut plures fœtus fiunt, de singulis quædam dicemus. Falsa gravidatio si generalem nominis significationem solùm spectemus, etiam molam complectitur, & quicquid in ventre præter verum conceptum continetur, atque in principio, sæpius etiam in progressu mulieribus illudit naturalis fœtus specie, ob ventris intumescentiam & symptomatum similitudinem, unde etiam sub molâ Veteres eam complexi sunt. Sed tamen apud *Hippoc.* falsa conceptio à molâ distinguitur, generationis modo, naturâ, signis, & curandi ratione. Fit enim cùm mulieri viro utenti menses supprimuntur, venter intumescit, similia gravidis adsunt symptomata, nil tamen vivum efformatum, sed tantùm flatus, aut aqua, *lib. de morb. mulier. & de nat. pueri*, aut pus, aut sanies quædam fœtens & acris. Causa potest esse multiplex; 1. utriusque seminis morbosi susceptio; 2. uteri intemperies & imbe-

imbecillitas, qui ſemina perficere non poteſt, unde in aquam vel vaporem degenerant, extinctâ ferè facultate formatrice, cujus cùm nullum aut exiguum in hoc opere appareat veſtigium, ut in molâ, ideò ab hâc ſeparari debet; 3. eſt vitioſi ſanguinis, aut pituitæ, aut humoris ſeroſi, aquoſi, aut diluti permiſtio, qui ſemen corrumpit, ut in iis quæ menſes decolores pituitoſosque habent. Difficilis autem eſt certa hujus affectus dignotio in principio, quia veram gravidationem æmulatur, menſesque ſupprimuntur, & venter intumeſcit. Sed præterea in conceptu hoc irrito ſequuntur capitis, dorſi, ventris & lumborum dolores, in mammis lac non apparet niſi modicum & aquoſum. Auget ſuſpicionem ſi pravi menſes ſubſiſtant, & ſtatim citiùsque, quàm in vero conceptu, venter intumeſcat, qui percuſſus tympani ſonum edit, ſi flatus continetur; ſi verò aqua adfuerit, gravitas & fluctuatio perſentitur. Interdum album quid, grave & fœtens deſtillat ab utero, corporis color immutatur, oculi & pedes intumeſcunt, febres fiunt inordinatæ, & varia ſequuntur ſymptomata, cibi faſtidia, appetitus depravatio, animi deliquium, & ſimilia. Sed demum poſtquam tempus partus præteriit, certiſſimè ſe deceptas fuiſſe mulieres cognoſcunt, quamvis ſæpè ante partus tempus hæc ſoleant ejicere, interdum tamen ultra terminum ſervant. Solet autem ex hoc morbo tandem uterus lædi, nam ulcera, ſterilitatem, aut aliud immedicabile malum afferunt. Similis eſt hic affectus uteri inflationi & hydropi, eandemque curam poſtulat, ut ſuo loco diximus; nam quòd continetur, evacuari debet. Optima ſit victus ratio, calefaciens & exſiccans, frequens & validum exercitium, potus parcior ex *aquâ cinnam. cortic. citri*, *aniſi*, *rad. chinæ*. Dein aborſum provocare oportet purgationibus validis, clyſteribus acrioribus, fomentis, inſeſſionibus, peſſariis & aliis ejuſmodi internis externisve quæ menſes movent, molam & ſecundam derelictam cient, tum iis quæ ad hydropem & emphyſema proſunt, ut *dianiſ. diacym. theriacâ*, & aliis ejuſmodi.

Eſt alia quædam cauſa quæ graviditatem etiam in virginibus repræſentat, quando ſcilicet membranâ quâdam denſâ uterus obſtruitur, ita ut ſanguinis vacuationem prohibeat, unde venter intumeſcit, doletque admodum. Extant apud *Paræum* & *Cabrolium* hiſtoriæ duarum virginum, quibus cùm hac de causâ venter intumuiſſet, omnesque eas gravidas judicarent, abſciſsâ ejuſmodi membranâ, plurimus effluxit concretus ſanguis, ſicque liberatæ fuerunt.

CAP. IV.

DE MONSTRIS, GEMELLIS, ET SUPERFOETATIONE.

QUoniam de his ſat multa dicemus *lib. de gener. hom.* pauca tantùm hoc loco addemus. Natura ſi non impediatur, ſemper facit quòd eſt optimum, agit enim propter finem; finis autem & bonum ſunt idem; nihil enim fit caſu aut fortuito, nec etiam ex quolibet, ſed ex certo & determinato. Contingit tamen ob quædam impedimenta eam à fine ſuo aberrare, unde fiunt monſtra, in quibus quæ ſpeciei debetur conformatio corrumpitur & perturbatur, vel in toto, ut ſi canis ex equo generetur, vel in parte, cùm fœtus alienam ſpeciem parte quâpiam refert: tum quoque quando in eâdem ſpecie pars quæpiam ita deficit, aut ſupereſt, ut inſigne adſit vitium, ut ſi fœtus abſque brachiis, aut biceps naſceretur, nam qui ſextum habet digitum, aut tertium teſticulum, aut gibboſus eſt, vel claudus, quia inſignis non eſt error, non eſt inter monſtra recenſendus. Generaliter hic monſtri nomen uſurpo, pro omni errore in conformatione animalis viventis, nam in corporibus mere ſimilaribus, non fiunt monſtra. Sunt autem variæ monſtrorum differentiæ, quas ſuprà tetigimus; 1. quando ex toto conformatio ſpeciei debita perit, ut viſæ ſunt mulieres, quæ ranas, ſerpentes, feraſque varii generis geſtarunt, quas *Fratres Lombardorum* quidam vocant; 2. quando tantummodo ex parte brutum fœtus repræſentat, ut ſi cum capite canis naſcatur; quando pars quæpiam deficit, ut homo abſque brachiis, aut redundat, ut infans biceps, hermaphroditus; 4. quando etſi nihil deficiat, aut redundet, debita tamen corporis proportio & magnitudo non ſervatur, ut in gigantibus & pygmæis, aut ſi pars quæpiam major ſit, vel minor; 5. quando pars quæpiam alieno loco ſita eſt, ut ſi oculi ſint in pectore, manus in dorſo. Interdum autem plures ſimul conjunguntur differentiæ. Hinc patet, omnia quæ monſtra vocamus, non eſſe toto genere præter naturam, lumbrici & feræ, de quibus diximus, ſunt toto genere præter naturam, non tamen gigas, aut pygmæus, aut homo biceps, aliumve ſimilem habens defectum.

Contingunt autem monſtra ex defectu quopiam vel in ſemine, vel in menſtruo, vel in utero, vel matris imaginatione, vel cauſarum externarum diſpoſitione, ob quæ errare formatricem contingit. Si ſemen ſit

parcius,

parcius, fiunt nani, aut mutili. Si verò fit copiosius, fiunt gigantes, aut plures fœtus, vel pars quæpiam redundat: Tum si semen vitiosum sit, aut crassius, aut tenuius, aut corruptum, quòd inde generatur ab humanâ specie dissidet. Semen enim imbecillius & spiritibus carens, probè conformationem perficere non potest, crassius aut tenuius ineptum est ad probam conformationem: Eadem est ratio menstrui sanguinis. Uterus autem peccat vel intemperie, vel conformatione, si angustior sit, aut amplior, aut aliis vitiis laborare potest, de quibus jam sat multa diximus. Imaginatio pariter conformationem alterare potest; verùm non quælibet id præstat, quùm quotidie boves, oves, sues, fructus & alia videant mulieres, quorum tamen figuram fœtui non imprimunt; sed ea tantùm quæ appetitum, terrorem, vel admirationem infert; ut si aliquid insperatò contingat, aut aliquid ardentissimè desiderent, quòd assequi non possunt. Phantasia autem cùm sit actio immanens, id non præstat per solum imaginandi actum, nec species intentionalis phantasiæ ullam realem qualitatem producere potest, ut apparet ex variis imaginationibus, quæ nullo modo fœtum afficiunt. Nec id præstat mediantibus animi pathematis, quoniam ab eodem pathemate, quamvis à diversis causis proficiscatur, idem fit humorum motus, ut in terrore: verùmtamen non eadem fit in fœtum impressio, sed diversa pro varietate rei imaginatæ. Nec etiam id præstat, spiritus & humores agitando, nam spiritus animales & species intentionales spiritibus in sanguine non permiscentur, neque nervi matris ad fœtum perveniunt. Est igitur consensus quidam omnium facultatum cum imaginatione, quæ spiritus quocunque libuerit, movet, ut ex imaginatione rei venereæ ad solum penem spiritus moventur; sic in irâ, tremore ad manus & pedes, prout his opus habet appetitus. Id igitur fit movendo humores spiritusque, qui prout in hanc vel illam partem influunt, formatricem turbant, vel eam humoribus obruunt, vel spiritibus aliò avocatis, partes non rectè format. Non tamen omnibus mensibus mutari potest formatio, colores quidem & pili quovis tempore. In medio & fine gestationis potest magnitudo partis vitiari, affluente humorum copiâ. Numerus verò, figura & situs, tantùm dum fit conformatio, alterari possunt.

In specie igitur monstra quæ mutila sunt, oriuntur à defectu materiæ aut ejusdem ineptitudine, aut imbecillitate virtutis plasticæ, aut à phantasiâ, quæ etsi materiam non potest minuere, potest tamen eam ita disponere, ut pars quæpiam omnino pereat. Pariter quæ superflua sunt, fiunt

fiunt ob materiæ copiam, & ob phantasiam, quæ materiam diversis locis disponit. Partium situs variari potest ob phantasiam, ob uteri angustiam, ob casum, aut violentum matris motum, dolorem à flatu, seminis visciditatem, aliasque ejusmodi causas. At quæ alienam speciem parte quapiam referunt, fiunt utplurimùm ex imaginatione matris, aut saltem ex mistione animalium diversæ speciei, quòd satis frequens est in brutis, in hominibus rarissimum.

Cognosci autem monstrum per certa signa non potest, conjectura tamen quædam esse potest, si graviora sint symptomata, motusque violentior, quàm in ordinario conceptu esse solet. Nec curari ejusmodi monstrum semel genitum potest. Sufficit si fœmina monstrosum quid peperit, præcavere ne tale quid amplius contingat: Quòd fiet vitando, ne post ingravidationem frequenter coëant conjuges, nec quando menstrua patitur mulier, nam & sanguinis pravitate & nimiâ copia labefactatur virtus seminis formatrix. Cavendum quoque ab omnibus iis quæ terrorem, appetitum, aliosve animi affectus fortiter movere possunt. Sed animus sit constans & hilaris, ne ab ejusmodi objectis quæ forsan occurrere possunt, impensius agitetur. Demum roborantibus utendum, & cibis & medicamentis, ut *vitellis ovorum*, cum *cinnam. caryoph. vino hippocratico*, *hispanico*, *theriacâ*, *mithridat. emplastris*, aliisque internis externisve, de quibus alibi diximus. Sed præterea si opus sit, venæ sectione & purgatione utendum est, antequam gravidæ fiant, si aut nimis copiosum aut pravum fuerit semen, quòd etiam intelligendum est de sanguine menstruo. Pariter si crassum sit semen, attenuantibus utendum; si verò sit liquidius, incrassantibus, ut in nimio fluxu menstruorum, uterusque erit calidis roborandus.

Per gemellos non tantùm binos fœtus, sed etiam plures intelligimus, unico coïtu procreatos, quòd in brutorum genere est admodum familiare, rarius inter homines, cùm mulier unicum procreare soleat, interdum tamen etiam geminos, ut mulierem novi, quæ ter gemellos enixa est, omnesque adhuc superstites. Imò ad prodigium usque aliquando multi extiterunt, si historiis habenda fides, vixque credibile est 365 uno partu editos, attamen ea res historiis prodita est. *Plinius* quidem refert quinque sexve, *Albucasis* septem unâ partu editos, vix tamen possunt tot fœtus esse vitales, quia tum locus, tum alimentum ipsis deficit, unde antequam perfectionem adipiscantur, excluduntur. Fiunt autem ejusmodi plures fœtus uno coïtu, atque eadem secundinâ continentur,

nentur, qnamvis singulis sua sint vasa umbilicalia. Uteri varias esse cellulas Veteres prodiderunt, quòd tamen Anatomicorum recentiorum experientia falsum deprehendit. Nam reverâ uterus tantùm lineâ quâdam, cui similis in scroto virili cernitur, in dextram sinistramque partem distinguitur. Cùm igitur virile semen in varias partes dividitur, variisque uteri partibus adhæret, tot fiunt fœtus, quot variæ illius partes fuerint, maximè si amplior fuerit uteri capacitas, quæ varias seminis portiunculas ita excipere possit, ut sese immediatè non tangant. Habent autem unam eandemque secundinam, chorion scilicet & placentam, sed amnion tunicam singuli propriam habent, quæ cùm admodum tenuis sit, si casu, lapsu, ictu, fœtus gravitate & pondere, aliisve de causis interdum disrumpatur, confunditur utriusque fœtus conformatio, sicut nuperrimè vidi unum ex cujus alvo alterius crura & abdomen propendebant; si utriusque perfectâ conformatione membranam hanc disrumpi contingat, sibi mutuò quapiam parte, vel capite, vel dorso, vel abdomine cohærentes nascuntur. Gemelli autem si uterus capax sit satis & validus, vitales exeunt, sicut duos fratres gemellos novi, sibi invicem admodum facie similes, quorum alter Medicus, alter Theologus est. Raró tamen plures fœtus superstites sunt, præsertim si mulier debilis sit, cacochyma, paucumque habeat sanguinem, aut uteri morbis sit obnoxia. Creduntur autem fœtus qui diversi sunt sexus, minus esse vitales, quia eodem simul tempore nec perficiuntur, nec moventur, nec incrementum sumunt, unde alterum debiliorem esse necesse est. Verùm id perpetuæ non est veritatis: Nam mulier illa de quâ loquutus sum, quæ geminos ter enixa est, uno partu marem fœminamque habuit, qui adhuc sunt validi & superstites; atque idem *Rodericus à Castro* de fratre & sorore suâ refert. Pariter nec perpetuò verum est, gemellos esse inter se similes, quia inquiunt, ab eodem fiunt semine, eademque facultate formatrice. Id quidem interdum contingit, sicut duo illi fratres, de quibus loquutus sum, facie, pilis, voce, incessu adeò sibi similes sunt, ut vix internosci possint. Idemque de aliis duobus fratribus refert *à Castro, 3. de nat. mulier. cap. 9.* quos non nisi ex voce mater discernebat; Attamen in aliis contrarium vidi, ut in illâ muliere, de quâ jam dixi, inter cujus filios quamvis omnes sint gemini, nulla intercedit similitudo.

Superfœtationem quòd spectat, per eam intelligimus plurium fœtuum generationem, sed quæ variis fit congressibus, atque nec eâdem

ſecundinâ continentur, nec eodem tempore animantur. Rarò adeò id contingit, ut quidam illud fieri poſſe negarint, quia gravidis uteri os ita clauditur, ut ne acum quidem admittat, nec poteſt uterus abſque fœtus detrimento aperiri, unde natura venas ad uteri collum produxit, ut per eas gravidæ poſſint ſanguinem expurgare, ſemenque emittere, ne ſi quid ejuſmodi in uterum influeret, aut conceptio impediretur, aut fœtus intempeſtivè præcipitaretur. Deinde prior quoque fœtus adeò uterum implet, ut nulla ſuperſint acetabula, quibus adhærere ſuccedens fœtus poſſit, aut ſaltem propter compreſſionem commodè nequit accreſcere, unde periculum eſt ne prioris fœtus immatura excluſio conſequatur. Verùm raram quidem eſſe ſuperfœtationem, certum eſt, non tamen prorſus impoſſibilem, ſicut *Ariſtotelis*, *Plinii*, veterum & recentiorum authoritas, atque etiam ipſa experientia ſuadet. Et quamvis ſecundum *Hippoc. 5. aphor. 21.* claudatur uteri orificium, poteſt tamen interdum ex laſciviâ & libidine paululum hiare & aperiri ad novum ſemen excipiendum: Nec inde tamen ſequetur neceſſariò prioris fœtus abortus, ſi arctè ſuis ſecundinis utero adhæreat. Sic *aphor. 38. lib. 2.* mulier interdum unum abortit, altero incolumi permanente: Sed præterea differunt ſuperfœtationes ratione temporis, nam ſi fiant intra tres quatuorve dies poſt primum conceptum, aut ſaltem non longo poſt intervallo, uterque fœtus ſimul accreſcere & excludi poteſt, atque eſſe vitalis, parumque differt à gemellorum conceptione. Si verò poſt tertium quartumve menſem fiat ſuperfœtatio, periculum eſt aborſus, aut utriusque, aut ſaltem illius qui noviſſimè conceptus eſt, atque tùm aut ex duplici dolore, tùm ex inſigni hæmorrhagiâ mater periclitatur, ob diſruptionem duplicis ſecundinæ, nam ut diximus, ſinguli fœtus ſuam habent ſecundinam. Cùm enim plurima ſint venarum & arteriarum ora ad uterum attinentia, non eſt veriſimile prioris infantis chorion omnibus adhærere, ſed quædam libera ſunt, aut ad menſium vacuationem, ſi ea neceſſaria ſit, aut ad novos conceptus alendos, ſi coïtu fœminam uti contigerit. Attamen ex *Ariſtotele* certum eſt, *7. de hiſt. anim. 4.* quaſdam unum excluſiſſe fœtum, alterum autem continuiſſe. Imò ſi validæ ſint mulieres, ſæpè utrumque fœtum ad legitimum tempus geſtant, adſuntque apud *Scenckium* hiſtoriæ mulierum, quæ poſt tres menſes à priori partu, alium fœtum ediderunt vitalem, adeò admiranda interdum ſunt naturæ opera, uterus enim retinere ſemper geſtit, quantùm poteſt, nec immaturum fœtum niſi irritatus exire patitur. Cognoſcere autem multiplices

tiplices fœtus admodum difficile eſt, nam interdum ab unico tantùm diſtenditur abdomen, quantùm à duobus. Solet tamen ut plurimùm eſſe major, & inæqualis tumor abdominis, ob inæqualem duorum fœtuum molem, nec eſt eorum motus uniformis, ſed diverſus, & in variis locis percipitur. Pariter ſuperfœtatio vix à gemellis dignoſcitur, ſuſpicio tamen magna eſt, ſi unus fœtus tardius quàm alter moveatur. Magnum hic, ut diximus, eſt aborſus periculum, ob duplicem in partu laborem & copioſam hæmorrhagiam, maximè ſi mulier cacochyma ſit, debilis & extenuata, quia ipſi ad utriusque nutritionem ſanguis deficit.

Præcavere autem ne fiant gemelli, non eſt in noſtrâ ſitum poteſtate, ſuperfœtatio quidem prohibetur, ſi mulier gravida non coëat. Si autem id contingat, reliquarum gravidarum regimen ipſis convenit, & ſi onus nimium abdomen gravet, faſciis & ſubligaculis ſuſtineatur, ne pondere rumpatur peritonæum, ſimulque laxantibus & emollientibus abdomen inungatur, ut facilius dilatari & extendi poſſit, ſicque ipſius diſruptio prohibeatur.

Cap. V.

De Mola.

Ad depravatas conceptiones etiam *mola* refertur, quæ loco embryonis in utero mulierum ſæpe inchoatæ conformationi ſupervenit, eſtque carneæ molis loco veri fœtus conceptio, ſic dicta, quia inſtar lapidis molaris difficulter movetur, non quòd lapidem piſtrinarium referat. Ideò *Hippocrates* & *Ariſtot.* hac dictione non tanquam propriâ uſi ſunt, ſed tanquam vulgo receptâ & uſitatâ; propterea quoties de molâ loquuntur, *μύλην κεκλισμένην* *molam* ſic dictam vocant. *Paulus* autem & *Aëtius* hoc nomine tumorem intellexere ſcirrhoſum uteri, ut quoque ait *Erotianus in Onomaſt.* ſive in orificio, ſive in concavitate uteri fuerit. Alii etiam quemlibet tumorem uteri intelligunt, ſive flatuoſus, ſive aqueus fuerit, cùm tamen potiùs ad falſam gravidationem referri debeat, ut ſuo loco diximus. Nam propriè ſecundum *Ariſtot. Hippoc.* & *Galenum*, caro eſt rudis, informis & indigeſta loco veri fœtus in utero genita, membraniſque involuta ex imbecilliori ſemine & nimiâ ſanguinis menſtrui copiâ. Fit enim ſemper præter naturæ intentionem ex vitio materiæ, & ſic diſtinguitur à falsâ gravidatione, quæ fit ab humoribus

bus & flatu. Rudimentum interdum cujusdam formæ obtinet, sed sæpius est moles informis, cute & membranis obducta, intus autem caro confusa, venis respersa compluribus, absque ossibus, intestinis & visceribus. Informis autem dicitur, non quòd omnino formâ careat, quia sæpiùs rotunda est, sed quòd à formâ humanâ, aut alterius animalis sit aliena, nullamque habeat partium distinctionem, sitque tota omoiomeres. Secundum *Galenum* autem *14. method.* est morbus in numero, pars addita in corpore, toto genere præter naturam, ut lapis in vesica; quòd tamen videtur falsum. Si enim caro est, censeri debet toto genere secundum naturam, ut sextus digitus. Dicamus veram carnem esse, dici tamen toto genere præter naturam, quia formationem non habet, sicut sextus digitus. An autem verè morbus sit, sicut & lapis, diximus in *Pathologiâ*. Variæ autem hujus differentiæ afferuntur ab *Avicennâ*, *Raze*, & aliis. Triplicem enim eam faciunt, aquosam, flatulentam & carneam, quæ tamen sola propriè nomen molæ meretur, nam priores ab uteri hydrope, inflatione & falsâ gravidatione non distinguntur. Vera autem mola quædam videtur esse inanimata concretum sanguinem referens, licet appositione materiæ augeatur. Alia animata est & vivens, quæ vegetat, & alimentum per venas prolicit, nutritur & augetur, ventremque admodum fœtus instar distendit, quam per annos plures, interdumque & totam vitam quædam gestarunt: Interdumque etiam quendam motum habet instar Zoophytorum, membranâ chorio involvitur, multasque habet venas, quibus sanguinem attrahit. Putat autem *Vega* nullam molam augeri nutritione verâ. At cur tot venæ factæ sunt, nisi ut sanguinem attrahant, jam autem quâ facultate sanguis ille attractus in illius substantiam transmutatur, siquidem sanguis concrescens, nunquam suâ sponte in carnem vertitur, sed in grumos. Quòd si appositione tantùm augeretur, non in omnem dimensionem accresceret. Vivere ergo videtur & attrahere alimentum, sicut terra succum alibilem. Quòd si motum habet & palpitat, multò certius vivere videtur. Scribit *Aristoteles* fœtum primò vivere vitâ plantæ, deinde animalis, postremo hominis, non quòd tot sint in animali formæ, sed quòd priores posterioribus contineantur, ut numeri minores majoribus, sic quòd vivit, non est necesse ut sentiat, aut quòd sentit, intelligat; quòd tamen intelligit, priora omnia continet. Cùm igitur natura ita progrediatur, non ut ex specie aliam efficiat speciem, ut ex plantâ hominem, sed ut formam gradatim perficiat: idem in hac portentosâ generatione fieri possibile

ſibile eſt. Primùm enim rudis quædam moles gignitur, quam natura quantùm poteſt perficit, ut jam videatur ſtirps, deinde animal. Hinc molæ quædam rudiores ſunt, aliæ ad legitimũ fœtum magis accedentes, aliæ variis animalium figuris effictæ. Verumtamen periculoſum eſt credere ullam eſſe animã in molâ, niſi ſtatuamus tres eſſe in homine animas, quarum inferiores abſque ſuperioribus conſiſtere poſſunt, quòd valdè dubium eſt. Aut ſi anima eſt ex traduce, ut voluit *Sennertus*, hic explicandum illi fuerit, an ea ſit in irrito hoc conceptu, an ſit rationis, immortalitatisque capax. Cùm igitur nunquam obſervatum ſit etiam plurium annorum ſpatio ad fœtus magnitudinem excreviſſe, veriſimile eſt eum propriè non nutriri, aliàs excreſceret in immenſum, & quotidiè augeretur. Non igitur venas habet ut ſanguinem trahat, eoque nutriatur: Nam venæ illæ rudimenta erant legitimæ conformationis, quæ ob affluxum copioſioris ſanguinis interturbata fuit, unde nullum amplius habent uſum, ut in rebus præter naturam, quarum non eſt finis.

Carnea igitur illa moles quæ venis circumfunditur, propria caro non eſt, ſed parenchymatis quædam ſpecies ex concreto ſanguine facti, cujus corruptio prohibetur, tum quia arctiſſimè unitur ſemini, in quo maxima vis eſt calidi innati, tum quia veri conceptus inſtar annectitur utero, & ſic corruptio ejus prohibetur, quæ planius, cùm de cauſis agemus, explicabuntur. Aliæ igitur ſunt molarum differentiæ, nam quædam parenchyma tantùm referunt, aliæ ſunt membranoſæ & admodum duræ, ut ferro non cedant, quales ſe vidiſſe refert *Petrus Salius Diverſus*. Quædam ſunt omnino informes, interdum etiam aliquam formam habent, ſicut refert *Salius* ſe vidiſſe molas variarum formarum oblongas, rotundas, ad formam quorundam animalium effigiatas. Interdum etiam unica eſt, interdum adſunt plures ſimul, ſæpè abſque ullo fœtu, interdum etiam cum eo conjunguntur, & vel ſimul, vel ante, vel poſt excernuntur. Imò quædam per annos quamplurimos, atque etiam per totam vitam hærent, quo tempore nec increſcunt, indicio illas nequaquam vivere, nec putreſcunt, indicio pariter illas antea non vixiſſe, nunc autem eſſe emortuas, ſic enim putreſcerent, ut fœtus in utero mortuus ſolet. Demum quædam ſunt majores, quædam minores, aliæque adſunt differentiæ, præcipuas tamen recenſuimus. Notandum autem in ſolis mulieribus fieri molas, quia ſolæ habent menſtrua, atque frequentius & inordinatè coëunt. Falſum enim eſt, urſam informes & molis ſimiles fœtus parere: Pituitâ quidem involuti ſunt, quam lambendo deterget, & ſic

ſic fœtus perficere credita fuit. Pariter notandum, molas utero adhæreſcere, & ſic illius virtute ſuſtineri, hancque eſſe cauſam cur mola non putreſcat & diutius in corpore hæreat; nam & ſemen & ſanguis, & fœtus ipſe, quamvis propriam habeat animam, ſi utero non conjungantur, vel excluduntur à naturâ, vel in corpore retenta putreſcunt & corrumpuntur.

Cauſas autem molæ quod attinet, de iis apud Scriptores quædam eſt controverſia. Quemadmodum in terræ frugibus cùm matureſcere incipiunt, inſperato frigoris appulſu fit cruditas, quàm μώλυνσιν vocarunt Veteres. Ita in mulierum utero ſemen interdum patitur quandam mólynſin, unde inchoata conformatio perturbatur. Naturæ quidem finis eſt & ſcopus, hominem generare, quam perfectionem ſi quopiam vitio impedita aſſequi non poteſt, quia otioſa nunquam eſt, ad eam tamen quantum poſſibile eſt, accedit. Sicut ex putredine vermes generari ſcribit *Ariſtoteles*, quòd calor nativus qui diſſolvitur, ne prorſus intereat, animal effingit, in quo poſſit conſervari, inductâ quammaximâ poteſt perfectione. Pariter vis corporis noſtri formatrix, ſi materiam convenientem repererit, fœtum perficit. Si autem ſit imbecillior, aut materia ſubjecta vel qualitate, vel quantitate, vel conſiſtentiâ, vel alicujus extranei miſtione, probè conformari non poſſit, aliquid tamen generat, ſive animatum, ſive rude & expers vitæ, ſicut viſæ ſunt mulieres, quæ vermes, animalcula ranis ſimilia, aliaque monſtroſa in lucem ediderunt. Fit igitur mola ſecundum *Hippocratem libr. 1. de morb. mulier.* cùm multi menſes & copioſi exiguum & morboſum ſemen exceperint, quòd repetit *libr. de ſteril.* ubi duplicem cauſam affert. *Prima* eſt ſemen viri invalidum & imbecillius, ut ſi naturâ ſuâ ſit debile, paucum, morbidum, aqueum, ideò cùm materiæ dominari non poſſit, rudimentum & inchoationem fœtus molitur, ſed perficere nequit. Tale eſt quòd ſenex, valetudinarius, aut juvenis imbecillior effundit. In crapuloſis quoque nimium coëuntibus, gonorrhœâ, aliiſve morbis laborantibus, ſemen effœtum redditur & languidum. *Secunda* eſt ſanguinis menſtrui vitium, ſi pravus ſit, corruptus, putris, & ſi nimiâ copiâ virile ſemen obruat. Hinc ſemen per ſe quidem prolificum ex eventu redditur infœcundum, unde plethoricæ mulieres molis ſunt obnoxiæ, tùm quæ imminentibus aut fluentibus menſtruis coëunt; hinc fit fruſtratio inchoati operis, quem natura perficere nequit. Sic *Gorgiæ* uxor *5. epid.* poſt ſuppreſſa per quadriennium menſtrua, ejecit molam cum copioſa ſan-

ſanguine & ſanata eſt. Aptiſſimus autem ad hanc rem ſanguis eſt fervidior aut craſſior; ille ob calorem venarum ora facilius aperit, nimiâque copiâ affluit; hic autem à virtute formatrice commodè regi non poteſt. Vitioſus verò redditur vel pravâ victus ratione, vel viſcerum intemperie, vel pravorum humorum permiſtione. Semen igitur imbecillum, aut paucum nimiâ ſanguinis copiâ obrutum, conformationem inchoat, venas membranasque quaſdam, ſed non perficit, unde degenerat in rudem carneam molem, interdum unicam, interdum plures, atque utero firmiter adhæreſcit. Affluere autem poteſt ſanguis copioſius quàm par eſt, vel quia menſtruis fluentibus aut imminentibus mulier coït, aut quia calidior eſt, unde à ſemine attractus majore quàm par eſt copiâ ad illam partem ruit, vel ictu, caſu, ira, terrore, aliâve quapiam de causâ, & quidem ſi in principio conformationis id contingat, obliterantur fermè omnia vaſorum rudimenta, & carnea tantùm quædam moles apparet. Circa autem medium vel finem conformationis magis ad legitimum fœtum accedit, & figuram quandam nanciſcitur. Probabile autem eſt à ſolo ſanguine vitioſo, niſi majori quàm par eſt quantitate affluat, non fieri molam, quæ carnea maſſa eſt & informis, ſed fœtum, aut monſtroſum, aut morbidum & invalidum; nam paucus ſanguis quantumvis pravus, non obruit, nec prolificam ſeminis vim labefactat, ſed tantum labem ſuam fœtui communicat. Opinionem hanc *Hippocratis* non probat *Mercur.* quia unumquodque operatur ſecundum gradum ſuum; ſi gradus ſit debilis, debiliter operatur. Igitur ex ſemine morboſo fieret fœtus morboſus, non mola. Sed hæc objectio nullius eſt pretii; ſemen enim ejuſmodi quia debile eſt, non poteſt perfectam facere conformationem tunc, quia accedente ſanguine interturbatur. An autem à colore vel frigore fiat, dubitant nonnulli. Non quidem à frigore, quia ipſius non eſt in corpore vis tanta, ut quicquam in corpore faciat. Reſtat igitur ut fiat à calore, qui omnium actionum in corpore noſtro opifex eſt, atque facultatis formatricis præcipuum inſtrumentum, unde etiam facultas hæc noſtra formans caloris plaſtici nomine intelligitur. Unde non erravit *Avicennas*, ut quidam volunt, quando à calore ſanguinem coquente fieri dixit, non enim ſimplicem intelligit coctionem, ſed quæ cum formatione quâdam conjungitur. Calor ille non quidem præternaturalis eſt, qui ſanguinem corrumpit & putrefacit, ſed naturalis qui alterat, concoquit, & formam introducit in materiam. Verùm calor ille obrutus copiâ ſanguinis, imper-

fectam

fectam facit conformationem, cùm non possit materiam plenè superare, & formam speciei debitam introducere, unde error contingit. Unde frustrà objicit *Sennertus* molæ generationem non esse solùm coctionem & rei similaris productionem, sed etiam formationem quandam, unde molarum magna diversitas, & præter carnem, venas & membranas, etiam animalium quorundam formas molæ habeant. Verùm per calorem non intelligit *Avicennas* aliud quàm ipsam vim formatricem, ut jam diximus. Sed præterea in molæ productione duo considerare possumus, ipsam vim plasticam in principio per aliquod tempus probè operantem, quæ venas, arterias, membranas distinguit; dein hoc opere adhuc imperfecto affluxum sanguinis copiosi, qui conformationem istam interturbat, unde quicquid deinceps fit, tantùm similare est, & à solo calore fieri potest. Quòd si contingat in ipso principio nondum probè inchoatâ conformatione, sanguinem cum semine confundi, massa fiet informis prorsus & similaris, non formatricis opus, sed solius alteratricis. Unde rectè *Avicennas* à calore fieri dixit, sanguinem in carnem permutante. Quòd si *Aristoteles* μώλυνσιν esse dixerit, analogicè tantùm loquutus est, nec inde sequitur fieri molam à frigido: ut in fructibus quidem qui maturescere incipiunt, accedens frigus externum totam hanc actionem pervertit, & quasi recrudescunt, manentque incocti, insipidi, ut sæpè in borealibus regionibus adventante hyeme contingit. Sic dum formatrix opus suum aggrediens, interturbatur copiâ accedentis sanguinis, tota formatio perit, & est quædam similitudo μωλύνσεως, si effectum consideremus, non autem ratione causæ, cùm caro illa quæ producitur, nonnisi à calore fieri possit. Cùm enim in generatione duæ cernantur facultates, alteratrix quæ carnem, ossa & similares partes facit, & formatrix quæ easdem disponit, numerum, situm, figuram præbet, molæ productio ab alteratrice tantùm, quæ per calorem operatur. Scribit *Arist. 4. de genere animal.* fieri propter caloris uteri imbecillitatem, unde perficere conformationem non potest, verùm potius inde fit vel sterilitas, vel fœtus debilis. Utcunque fit semper mola fit à calore, sed minùs validè operante ob copiam sanguinis affluentis.

Fieri autem molam non à sanguine solo, sed etiam à semine virili, operante aliquantulum vi formatrice, indicio sunt membranæ quibus integitur, ligamenta, venæ quibus utero alligatur, superfœtatio huic juncta, incrementum, motus quidam tremulus, ita ut omnia habeat imperfecti conceptus signa, neque unquam absque coïtu concipi, quis-

quam

quam observavit. Malè ergo *Mercurialis* molam ex solo sanguine menstruo absque semine generari posse putavit. Concrescere quidem potest sanguis in utero, quòd pernitiosum est admodum, nam putrescit, grumescit, & prava concitat symptomata, sed tamen in molam non facessit, nec utero adhæret, nec potest sanguis ille in carnem verti, cùm careat facultatibus naturalibus, concoctrice & alteratrice. Rectè ait *Saxonia*; si mola sumatur pro qualibet hypersarcosi, fieri potest ex sanguine, sicut in ulceribus sæpe luxuriat caro, fiunt quoque interdum abscessus glandulosi & carnei qui augentur, nutriuntur, venas habent & arterias, quales in utero fieri non est impossibile. Verùm hæc non fiunt ad modum conceptus, sed sunt tumores præter naturam, & sanguis è vasis in capacitatem partis non effluit, sed fit per modum cujusdam nutritionis, quòd in utero quidem contingere potest, sed non erit mola. Errant pariter qui contra *Hippocratis*, *Aristotelis* & *Galeni* authoritatem statuunt, molam fieri posse absque viri complexu, ex semine fœmineo cum sanguine menstruo, quia inquiunt, mulierum semen quodammodo prolificum est, sicut ova gallinarum subventanea absque galli congressu fiunt. Contrà *Hippocrates* causam facit copiosos menses cum modico & morboso semine permistos; quòd ut advertit *Altimarus*, de fœmineo semine non debet intelligi, cùm semper fœmineum semen modicum sit, frigidius, humidius, & imbecillius virili, & solum nihil possit, nisi virile accesserit, unde è vasis spermaticis elapsum rejicitur ab utero, aut retentum putrescit, pravaque inducit symptomata, sicut ex ovis subventaneis nil potest conformari; & reverà credo, semen fœminæ esse merum commentum. Mola autem rudimentum quoddam habet conformationis, ut tunicas, ligamenta, vasa, quibus utero adhæret, sicut jam supra diximus. Idem sentit *Aristot. 4. de gener. animal.* & *Galen. 14. de usu part.* planè negat unquam visam mulierem, absque viro, molam aut aliquid simile concepisse, etsi sæpius in somnis mulier semen effundat in uteri capacitatem, quòd etsi *Galenus* dixerit, non est tamen verum. Nec unquam fit in virginibus, aut aliis coïtu abstinentibus, sed sæpè cum vero fœtu conjungitur, unde in tempore partus computando errores contingunt, partusque sequitur difficultas, aliàs suppressis menstruis frequentissima foret molæ generatio. Quam benè cum meretriculis ageretur, quæ se virgines simulant, si hanc excusationem violatæ pudicitiæ habere possent. Contrariam opinionem *Sennertus* satis imprudenter tuetur, authoritate *Scaligeri*, qui id se Doctorum authoritate confirmatu-

firmaturum pollicetur, cui tamen *Aristot. Hippocrat. Galeni*, plurimorum recentiorum doctissimorum experientiam authoritatemque objicimus. Tum refert historiam honestæ viduæ, quæ, *Dodonæo* referente, molam excrevit: Quasi verò non potuerit eam per annos plures gestasse, cùm idem *Dodonæus* scribat eandem viduam per annos quindecim molam gestasse; *observ. 49.* Ait pariter ex *Donato*, mulierem quandam post 56 annum, & menstruorum defectum, molas plures carnosas edidisse, fluentibus menstruis cum cruciatu; similem casum memini me sæpius vidisse: sed hæc non probant molas hasce non fuisse olim admistione virilis seminis genitas. Potuit etiam esse sanguis in utero concrescens, apertâ quâpiam interiori venâ, qualem excretum interdum vidi, cum doloribus quasi parturientis. Unde rectè fatetur ipse *Donatus*, ejusmodi molas, sub aëre permanentes, in aqueam substantiam liquefactas fuisse, indicio tantùm fuisse sanguinis grumos, non veras molas. Omnia igitur viduarum exempla hac in re suspecta sunt, sola virginum exempla id probare possent, quamvis reverâ suspectæ pudicitiæ debeant esse virgines, quibus aliquid tale contingeret. Unde ipse cogitur fateri in virginibus non posse fieri molam, etiamsi semen profundant, quia mulierum semen debile sanguinem attrahere non potest, nec etiam inquit, spontè affluet, quia non est assuetus affluere ad fœtus formationem, tùm ob angustiam vasorum uteri, quasi verò virgines menstrua non patiantur, & quæ sunt ætatis provectioris, non habeant vasa non satis ampla, & quasi nullæ viduæ molas habere possint, nisi quæ antea pepererunt. Cùm igitur virginibus, etiam invito *Sennerto*, nec sanguis deficiat, nec semen, nec tamen molas generent, certum est absque virili coïtu fieri non posse. Fit autem, ut diximus, vel cum fœtu, vel absque; si ante fœtum fiat, ex causis prædictis generatur. Cum fœtu autem, vel simul in eodem coïtu, si semen in variis uteri partibus receptum, in unâ parte imbecillius sit & parcius, ubi in molam facessit, in aliâ parte copiosius & robustius in fœtum mutatur. Si autem fœtu formato fiat mola, superfœtationis modo generatur.

A vero autem conceptu, uteri hydrope, aliove tumore, per initia facilè non discernitur, nam communia habet cum illis symptomata, sæpissimè etiam cum illis conjungitur. In principio enim menses supprimuntur, adsunt cibi fastidia, nauseæ, coloris in facie mutatio, uterus & mammæ intumescunt, lumbi gravantur, unde à fœtu vix discerni potest, ex *Paulo lib. 3. cap. 69.* Verùm ita distinguitur, quia in progressu mulier

lier

lier longè pejus habet, cessant enim augescente fœtu symptomata, sed in molâ ingravescunt, vires magis languent, mulier ad incessum gravior evadit, artus gracilescunt, dolor ventrem, dorsum & inguina sæpè compunget, respiratio est difficilis, quorum nihil adest in vero & legitimo fœtu, præsertim si sana est mulier, quæ omnia falsa sunt, nam scio gravidas pejus à fœtu, quàm aliàs à molâ vexatas. *Secundò*, quia fœtus post tertium vel quartum mensem moveri incipit, mola autem per se non movetur, sed duntaxat cùm in alterutrum latus mulier se revolvit, tanquam pondus iners, aut lapidis instar convertitur, cum sensu gravitatis, ac interdum dolore. Aut si quodam palpitante motu movetur, non tamen voluntarius est hic motus, nec in omnem situm, ut solet fœtus, atque mulier quæ antea uterum gestavit, facilè motuum horum diversitatem internoscere poterit. Sed difficilius cognoscitur, si cum molâ fœtus conjungitur, nisi conjecturâ quâdam, ut ex gravioribus symptomatis majori gravitate & ventris mole, quæ tamen non sunt necessaria. In molâ corpus in dies magis magisque debilitatur, contrà in vero fœtu, nisi mater aliunde ægrotet. Addunt quidam molam manu compressam loco cedere, demum in eundem locum redire; infantem autem nec cedere, nec recurrere, tum ventrem multo duriorem esse in molâ, quàm in iis quæ puerum gestant. Major & certior est molæ suspicio, cùm pariendi tempus effluxit; interdum enim mola per plures annos perseverat, atque etiam commoritur. *Tertiò*, in molâ mammæ sine lacte tument, nec verum est lac, ob caloris in mammis defectum ex uteri sympathiâ, sed aquosus quidam humor. Verum hoc signum non est admodum certum, plurimas enim vidi gravidas, in quibus aquosus tantùm erat humor in mammis, isque paucissimus ante partum. Tùm ex sententiâ *Hippocr.* si menses deficiant, mulieri lac in mammis generari potest, etiamsi nec gravida sit, nec pepererit. Re benè pensitatâ, signa hæc sunt tantùm conjecturalia, fermè omnia falsa aut incerta. *Quartò*, præsente molâ venter in omnem dimensionem intumescit, ex fœtu verò potiùs versus umbilicum, coarctatis utrinque lateribus. Ab hydrope autem vix distingui potest; discernitur autem per tumoris duritiem, & quòd tumor ad digitorum compressionem & pulsationem non cedit, nec tympani sonum reddit, nec manu fluctuatio ulla percipitur, quamvis temporis progressu hydrops succedere possit. Demum in hydrope ventre intumescente, totum corpus minuitur, quòd non accidit in molâ, nam sunt interdum probè coloratæ. Addunt etiam quidam in molâ sup-

ſupprimi menſes, quòd etiam non eſt neceſſarium, & in hydrope contingit. Affectus eſt periculoſus, atque etiam curatu difficilis, uterum enim graviter obſtruit, menſes ſupprimit, unde plurimi humores pravi in corpore pullulant, ſæpè incurabilis eſt, & cùm immobilis ſit, firmiterque utero hæreat, nec reſpiratione egeat, exitum non appetit, nec ligamenta facilè abſque magnâ dilaceratione & hæmorrhagiâ rumpi poſſunt, aut laxari. Quòd ſi levius hæreat, ferè tertio menſe excidit; ſuccedunt interdum eruptiones ſanguinis atri & fruſtulorum carnis; ſi mola diſſolvi incipit, interdumque tota erumpit. Si verò arctius adhæreſcat utero per plures annos, imò & per totam vitam durat, nec facilè poteſt excludi, maximè ſi unica ſit, magna totum uterum replens, interdum enim magnitudine caput humanum ſuperat, unde vix poteſt tanta eſſe uteri amplificatio, ut per eam mola pertranſeat. Quidam necari eam volunt, quæ ſunt verba & voces, quaſi ulla propriè vivens ſit, aut quaſi id abſque matris diſcrimine fieri poſſit ob inſignem putredinem, unde niſi ſponte in fruſta diſſolvatur, & cum modico ſanguinis profluvio excernatur, maximum eſt periculum, ob gravitatem doloris, hæmorrhagiæ, & aliorum ſymptomatum. Si autem adſint plures, ſpes eſt eas rejici poſſe; ſi cum fœtu conjungatur, illum ut plurimùm necat, tùm quia alimentum ſubtrahit, tùm quia locum ipſi liberum non relinquit ad incrementum; ſi quoque adfuerit hydrops, vix unquam mulier evadit. Imò etiam ſæpè in hydropem degenerat, labefactatâ uteri facultate & jecore ducto in conſenſum. In quibuſdam ut diximus, abſque magno incommodo per totam vitam perdurat; in aliis induratur, vel putreſcit, magnaque affert ſymptomata. Demum rectè inquit *1. de morb. mulier.* hanc ne curato, aut ſaltem cum prædictione.

Curationis igitur ſcopus eſt, ut quamprimùm deturbetur, iiſdem ſcilicet remediis, quæ menſibus ſuppreſſis, fœtui mortuo, & difficili partui conveniunt. Tria ad id remediorum genera neceſſaria ſunt; primum, totius corporis vacuatio; ſecundum, emollitio & laxatio, ac vaſorum uteri apertio, quibus mola alligata eſt; demum, irritamentum facultatis expultricis. Continenda eſt ægra in aëre temperato, aut paulò calidiori, ſed obſcuro, partes inferiores fricandæ, movenda alvus, emollienda clyſteribus etiam acrioribus, animus addendus mulieri; utendum vino moderato, tenui, generoſo, cibis optimi nutrimenti, quibus emollientia addantur & attenuantia, ut ſunt *juſcula ping. malva, lapat. petr.* &c. Somnus quoque ſit moderatus, animique affectus omnino vitentur.

Ad

Ad corporis vacuationem purgatio crebra, etiam validior, utiliſſima eſt, ex *diaphœn. diacarth. pilul fœt. hierâ picrâ, diacoloc.* cum *portione caſtor.* & ſimilibus. Purgantia enim fortiora ſicut deturbant fœtum, ita & molam. Clyſteres quoque proſunt primò emollientes, deinde etiam acriores ex decocto *azari, bryon. ariſtol. dictamni. artemiſ. ſabinæ*, & aliis ejuſmodi. Cùm enim experientia doceat, plurimas inſigni vacuatione, ut dyſenteriâ & hæmorrhagiâ, liberatas fuiſſe, ideò commodum eſt uti purgantibus, apozematis, pilulis, pulveribus, clyſteribus. Sic refert *Ariſtot. 4. de gener. animal. 7.* quandam mulierem poſt dyſenteriam periculoſam ejeciſſe molam. Atque optimum eſt humores attenuantibus & incidentibus præparare, eadem enim menſes movent, fœtum deturbant, venas aperiunt: ut ℞ *radic. aperient. radic. ariſtol. azari, pæon. ana* ℥ ß, *calami aromat. cyp. ana* ʒ vj, *folior. puleg. rutæ, dictamni cret. verb. ſabinæ, artem. puleg. calamint. ana* M. j, *cicer. rubr.* P. j, *baccar. junip. lauri ana* ʒ iij, *ſpicæ celticæ* ʒ j, fiat decoct. ex quâ cum *ſacchari* ſ. q. fiat ſyrupus, vel apozema.

Sanguinis miſſio quoque apprimè eſt utilis ut alimentum molæ ſubtrahatur, abortus poſſit promoveri, ligamenta reddantur infirmiora, atque ut inflammatio prohibeatur. Secetur autem vena inferior, ut menſes provocentur, nam inutile eſt prius ſuperiores venas ſecare, ut *Altimarus* aliique faciunt, cùm ſcopus tantùm ſit molam ex utero deturbare, quòd venæ ſuperioris ſectio poteſt impedire; atque ſi opus ſit, venæ ſectio repeti poteſt. Cucurbitulæ quoque applicentur inferioribus partibus ad eundem uſum. Vomitoria & ſternutoria conferunt, quia his motibus comprimitur abdomen & uterus.

Poſt vacuationem emolliendæ ſunt viæ fotu & inſeſſu, ex decocto emollientium, additis diſcutientibus quibuſdam, ut decocto *malvæ, alth. pariet. ſem. lini, fœnugr. mercur. bryon. rutæ, ſabinæ, abrot. calamint.* & aliis quæ menſes movent. Clyſteres quoque ex iiſdem proſunt: Poſt inungatur abdomen *oleo lilior. chamæm. irino, aneth.* cum *butyro, axungiâ, anſer. gallin. unguent. dialth. mucilag. ſem. lini, fœnugr.* Ex magmate præcedentis decocti aut ſimilis fieri poteſt cataplaſ. Peſſi quoque emollientes adhibeantur, ut *peſſus aureus.* Poſtremò utendum facultatem irritantibus, iis ſcilicet, quæ menſes, ſecundinas & partum accelerant, quæ emollientibus admiſceri commodè poſſunt, ut ſunt *trochiſci de myrrhâ, diacaſtor. diacalam. Hippoc. 1. γυναικ.* probat clyſterem & fotum ex decocto *ariſtol.* & *mercur.* Peſſar. ex *elat.* & *bupreſti*, ſive *cantharid.* cum *vitello*

ovi indurato, item *dictamnum cret. sabinam, castor.* ℞ *boracis* ℨ j, *troch. de myrrhâ*, ℨ j ß, *azari, nigel. sabin. ana* ℨ ß, *galb. opopan. assæ fœt. ana* ℈ ij, cum *melle*, fiant pilulæ; quarum ℨ j capiat, superbibendo parum *vini hippocratici*, aut decocti *cardam. menthast. sab. junip. rutæ* & *aneth.* Commendatur usus *boracis*, *succi porrorum*, *sabinæ, ireos*, cum pauco *vino albo*. Extrinsecus conveniunt insessus & fotus ex decoctis aperientibus, ut *rutæ, centaur. aristol.* & aliis menses moventibus, de quibus suo loco dictum est; ex quo decocto suffitus fieri possunt & injectiones in matricem. Denique pessus immittatur ex *bdellio, sagap. opopan. myrrhâ, sabinâ, aristoloc. helleb. albo, coloc. ciclam.* cum *succo rutæ*, vel *porri. Fella* quoque addere non erit inutile. ℞ *galb. sagap. ana* ℨ j, *helleb. albi* ℨ ß, *troch. de myrrhâ* ℈ ij, *borac. castor. ana* ℈ j, cum *succo mercur.* fiat pessar. Aut ex *croci* s. q. *succo porri* excepti & linteo raro involuti, fiat pessus, qui in uterum, ut dictum est, immittatur. Thermarum quoque usus internus externusque prodest.

His si non cedat, chirurgia quidam utuntur, verùm id temerè non est faciendum, nisi mola ab utero & ligamentis laxata & divulsa fuerit, adeò ut ad os uteri declinet, aliàs periculum est ne noxa utero inferatur, ne laceretur, distorqueatur, aut insignes succedant hæmorrhagiæ. Nam sæpissimè ut diximus, mola adhæret utero, nec inde facilè evelli potest, imo & per totam vitam interdum gestatur. Interdum tamen, si firmiter acetabulis non connectitur, tertio aut quarto mense excidit. Interdum etiam putrescit, & in frustula dissolvitur, tuncque manu obstetricis, aut Chirurgi statim eximi debet, aliàs prava excitaret symptomata. Si igitur natura tunc illam nequeat expellere, collocatâ muliere ut decet, diductisque obscænis illius partibus, utero per dioptram dilatato obstetrix manu prius oleo inunctâ, molam extrahat; quòd si id quoque non possit, vel laqueis, vel embryulco, sive pede gryphino extrahatur: optandum quidem ut tota simul eximatur; Id autem rarò fit, sed per frustula excerpi solet. Quidam uno vel altero frustulo excluso suppurantibus utuntur, ut reliquum in saniem conversum sponte excidat. Verùm mola sæpè facilè non putrescit, & periculum est ne horum usu evadat cancrosa, ulcera, febris, lipothymia, convulsiones, aliaque praua accedant symptomata. Potius si metus putredinis adsit, decoctum detergens, siccans, & à putredine vindicans in uterum injiciatur. Cavendum tamen sedulò, ne loco molæ falsò creditæ abortus provocetur.

Molæ

Molæ autem exclusionem sanguinis fluxus sequitur, quem sinere oportet, dum satis sanguinis effluxerit. Si modum excesserit & vires debilitarit, iis remediis debet cohiberi, quæ in nimio menstruorum fluxu dicta sunt. Vires reficiendæ alimentis euchymis, eupeptis, polytrophis & cardiacis; ut jusculis & carnibus juniorum animalium, *perdicum, pullorum, columbarum*, &c. tum medicamentis, ut *confect. alkermes, diamarg. pulvere de gemmis, theriacâ*, &c. Dolores quoque anodynis mulcentur, quæ eadem sunt emollientia, de quibus supra diximus.

Jam autem excretâ molâ cavendum, ne similis redeat affectus, quòd fiet blandâ purgatione, emendatis uteri morbis, si qui adsint, ut obstructionibus, intemperiebus, aliisque. Tum roborato utero, sed potissimum rarior sit coïtus, quia frequens semen reddit debilius; Atque nec fluentibus, nec instantibus menstruis fiat.

Cap. VI.

De Aborsu.

Maturus fœtus jam grandior mole sua utero molestus, liberiorem quærens aërem, calcitrando membranas primò disrumpit, tum proprio motu per os uteri dilatatum procedit, atque etiam matris conatu, per contractionem musculorum abdominis & totius corporis concussione, ut novi mulieres quæ nunquam pariunt, nisi cùm rigor & concussio totius corporis accedit, ut quartanarii solent rigere, cum dentium immani stridore ab utero expellitur. Omnia quidem animalia præter hominem certum habere pariendi tempus scripsit *Aristot.* hominem autem varium habere, ut scilicet possit homo vivere, etiam si maturius aut tardius exeat, modo perfectus sit & satis validus; unde cùm in humano genere varia sit temperaturarum diversitas, non omnes fœtus eodem prorsus tempore perficiuntur, quidam citius, alii tardius, unde variis eos temporibus exire contingit, septimo, octavo, nono, decimo, undecimo, atque etiam ulterius partus prorogari potest. Rarissimè ante septimum mensem fœtus exit vitalis, quia vix antea complementum suum adipiscitur. Refert tamen *Montuus* Pincernam *Henrici II Gallorum Regis* fuisse quinto mense natum. Septimestres autem vitales esse ostendit experientia; tales plurimos vidi in *Vasconiâ*, nec id admodum rarum est in calidioribus regionibus, ob spiritus in semine vividiores & alacriores. Atque etiam eiusmodi fœtus non minùs alacres & vivaces ser-

cernuntur, quàm qui nono menſe nati ſunt. Octimeſtres quoque eſſe vitales in Ægypto, *Plinius* & *Ariſtoteles* prodiderunt. Sed plerumque nono & decimo menſe naſci fœtum, ordinarium eſt, quia tunc perfectus omnino eſt. Interdum tamen undecimo menſe & ulterius naſci hominem contingit, ut pluribus hiſtoriis patet. Et ſæpiùs forſan id obſervaretur, ſi mulier cùm ſe gravidam putat, coïtu prorſus abſtineret. Multas videre licet mulieres, quæ fœtus ſuos geſtant ultra terminum quem ſibi conſtituerant novem menſium, quas ideò erraſſe in tempore partus computando populus credit, cùm tamen reverâ fuerint gravidæ; variæ enim ſunt naturæ actiones pro facultatum robore, aut imbecillitate & variâ materiæ conſtitutione. Unde non adeò raras credo fœtus undecimeſtres & etiam plurium menſium, quoniam ſæpè obſervavi mulieres deceptas fuiſſe circa partum novimeſtrem, & cùm ſingulis diebus horam partûs expectarent, tamen is in unum aut alterum poſt menſem prorogatus fuit, quas forſan malè deceptas fuiſſe creditum eſt.

Quando igitur fœtus ante congruum & conſtitutum tempus dejicitur, qualecunque tandem illud ſit, abortus nominatur: eſtque immaturi fœtus minimeque vitalis foras excluſio. Verùmtamen quidam diſtingunt, nec omnem ejuſmodi excluſionem abortum vocant. Nam primò molarum, aquarum, flatuum excluſiones non ſunt abortus, etiamſi ſpeciem habeant imprægnationis. *Secundò*, nolunt abortivum fœtum nuncupare, niſi poſtquam moveri cœperit, à tertio menſe ad ſeptimum; ante motum verò non aborſum, ſed effluxum nuncupant. Verùm antè motum etiam, ſi conformatus ſit embryo, atque ante tempus exeat, abortum vocat *Hippoc. aph. 45. lib. 5.* ubi tertio ac ſecundo menſe abortire mulieres ſcribit. Quòd ſi nondum conformato ſemine excernatur genitura, non aborſus, ſed ἔκρυσις nominari debet, obſtetrices falſum *germen* vocant, nec apud Juriſconſultos reus eſt mortis, qui tali prægnanti vim intulerit, quòd nondum perfectus, nec animatus ſit fœtus, quamvis ſeptimo die ſecundum *Hippocratem* habeat omnium partium rudimenta; nec enim facultas formatrix unquam otioſa eſt, ſed ſemine in uterum recepto, ſtatim operari incipit, ſi nihil prohibeat, ſcilicet ſi uterus benè diſpoſitus, & utrumque ſemen prolificum. *Tertiò*, quidam aborſum vocant non tantùm immaturi fœtus excluſionem, ſed etiam ejuſdem in utero extinctionem, etiamſi non exeat, nec propulſetur foras, ex *Hippoc. 1. γυναικ. Cùm abortit mulier, & puer non excluditur.* Videtur tamen mihi hæc impropria abortus ſignificatio; nam eo loco

loco *Hippocrates* docet, quid faciendum sit cùm puer non potest excludi, & hoc ad abortum pertinet, aut δυστοκίαν, non autem quando fœtus mortuus in utero remanet, nullam exitus sui significationem præbens: Etenim etsi mortuus sit, abortus tamen non censetur, antequam excludatur. Abortu enim immaturus fœtus excluditur, vivus aut mortuus, & sæpius solet natura cùm mortuus est eum expellere, nam vivens consortis mortui est impatiens. Quædam autem ut historiæ testantur, fœtus mortuos per annos plures gestarunt, quas nemo rectè dixerit abortũ fecisse. Quòd si fœtũ legitimo tempore dum natura parere gestit, extingui contingat, abortus dici non debet, sed partus verus est, fœtus tamen mortuus. *Quartò*, alii partus septimestres & octimestres abortus nuncupant, quia sunt immaturi. Id quidem verum esse putarem, si excernatur septimo mense aut octavo fœtus, qui novimestris aut decimestris futurus erat; fit enim à naturâ ante tempus irritatâ; aliàs nequaquam, sunt enim prædicti interdũ legitimi pariendi termini. Alii verò partum illegitimũ, non aborsum nominant, sed hęc non est controversia magni momenti. Nos hoc loco aborsus nomine generaliter utemur, complectentes etiam genituræ effluxũ nondum plenè conformato semine factum.

Causæ abortus variæ sunt, vel externæ, vel internæ. Externæ ex rebus sex non naturalibus depromuntur: *Primò* sunt omnes aëris intemperies, ut si anni tempora fuerint inconstantia, *aphor. 12. lib. 3.* Si hyems australis & pluviosa fuerit, ver autem siccum & aquilonium; mulieres quibus partus in ver incidit, ex quâcunque occasione abortiunt. Nam ut docet *Galenus in comment.* hyeme tepidâ relaxatur corpus, & rarius fit, unde succedentem aëris frigiditatem facilius admittit, unde infantes tepori aëris assueti, à frigore læduntur, atque vel in ipso utero extinguuntur, vel in partu: tum quia hyemis humiditate & calore madet & repletur uterus, vere autem aquilonio comprimitur, atque ita fœtus cum humore excluditur. Pariter vehemens æstus nocet, quia vires dissipat, debitam calori ventilationem non suppeditat. Humidior quoque noxius est, quia humore corpus replet, uteri acetabula laxiora reddit & imbecilliora. Astrologi certas quasdam addunt syderum constellationes, propter quas absque aliis causis manifestis plurimi aborsus contingunt; verùm nulla ego malefica sydera crediderim. Quod si quædam syderum conjunctiones fiant, quæ minùs videntur salutares, eæ tamen immediatè non operantur, sed tantùm aëre & causis inferioribus alteratis. Ad aërem mali odores possunt referri, ut *teter odor lucernarum,*

fœtor cloacarum, *castorei*, *assæ fœtidæ*, & similium, quæ uterum commovent, exagitant, & deorsum propellunt.

Secundò, sunt alimenta, vel copiosa nimium, quia premunt & ad vomitum incitant, calorem suffocant, cruditates pariunt; vel parciora, ut inedia voluntaria, aut coacta, quæ alimentum fœtui subtrahit, unde simul cum matre imbecillior redditur, exarescit, ac tandem moritur, unde dejectus, omninoque prostratus in gravidis appetitus periculosus est, vel demum prava & vitiosa, ut in picâ & malacia, unde non solùm denegatur fœtui conveniens alimentum, sed etiam cacochymia multorum morborum parens succrescit, unde vel debilitatur, vel emoritur, & huc referri debent ea omnia quæ menses & fœtum movere possunt, ut incidentia, attenuantia, diuretica, aromata, crocus & similia. Idem de potu copiosiori, aut parciori & pravo dicendum est.

Tertiò, motus & quies. Omnis enim exercitatio violenta nocet, ut equitatio, choreæ, saltus, cursus, ponderum elevatio, casus ab alto, vociferatio, tussis, sternutatio, primis potissimum & postremis mensibus, quibus facilè fœtus excutitur, ut fructus aut teneriores, aut jam maturi, solent. Sic *Psaltria*, consilio *Hippocratis*, vehementius saltando genituram sex dierum excussit.

Quartò, somnus & vigilia nocere possunt, nam si modum excedant, malum, *aphor. 3. lib. 2.* quamvis id rarius contingat. Somnus quidem longior in capite & corpore plurima congerit excrementa, caloremque obruit. Vigilia exsiccat, inanit, viresque resolvit, spiritus dissipat, aliaque afferre potest pericula.

Quintò, sunt animi pathemata, sed præcipuè timor, vehemens tristitia, ira concitatior, amor furibundus, rei alicujus appetitus si modum excesserit, atque eam mulier assequi non possit, præ cæteris possunt abortum conciliare, spiritus impotentius agitando, unde spectacula & objecta terrifica insperatò oblata, ut mortuorum & larvatorum inspectio, repentina hominum dimicatio, latronum incursus, ignis in propriis, vel vicinorum ædibus accensus, fulgur, tonitru, bombardarum sonitus, fœtum excutere possunt: Nec tantùm terror, sed etiam gaudium immodicum & risus nocere possunt.

Sextò, sunt immodicæ omnes excretiones & retentiones, ut sanguinis missio importuna, si fœtus sit grandior, aut quacunque aliâ ex parte sanguis copiosius profluat, sed maximè si ex utero effundatur. *Mulier utero gerens, sectâ venâ abortit*; *aphor. 30. lib. 5.* Et, *Si mulieri utero gerenti pur-*

purgationes prodeant, impossibile est fœtum esse sanum; aphor. 60. lib. 5. quamvis quibusdam primis mensibus sanguis menstruus absque fœtus detrimento exiisse visus sit. Nam si ejusmodi fluxu mater non fiat debilior, nec mammæ gracilescant, nec motus fœtus imminuatur, signum est non nocere ejusmodi fluxum, modò è colli venis exeat. Nam si ab uteri venis interioribus profluxerit, evitari non potest abortus, sive effluat, sive cohibeatur, nam grumescit in utero & putrescit. Lactis quoque è mammis effluxus copiosior infaustus est, *aph. 52. ejusdem*, quia fœtui subtrahit alimentum, tum etiam ob alias causas alibi dictas. Per alvum quoque purgationes sunt maximè noxiæ, si alvus plurimùm profluat, periculum est ne abortiat, *5. aph. 35.* Et mulieri gravidæ tenesmus superveniens, abortum facit, *aph. 50. ejusdem*; atque idem de dysenteriâ quoque verum est. Sed artificiales purgationes, ex catharticis præsertim vehementioribus, maximè sunt periculosæ, quia corpus exagitant & perturbant, malignâ qualitate fœtui nocent, & subtrahunt alimentum, maximè primis & postremis mensibus. Ideò purgatio quæ gravidis malè-valentibus debetur, fieri debet ex benignis catharticis, à quarto mense ad septimum, quo tempore fœtus externis injuriis maximè resistere potest. Pariter nocent vomitus, sudorum & urinarum provocatio, omnia sumpta & admota venenatæ qualitatis, menses moventia, occultâ qualitate fœtum necantia, quibus sæpe pessimæ mulieres abutuntur. Coïtus quoque & balnea vacuationibus possunt adnumerari, & gravidis maximè nocere possunt, abortumque provocare: Coïtus enim fœtus vincula rumpit, vel relaxat & recludit, uterum & fœtum exagitat, musculos abdominis comprimit. Balnea quoque emollientia & aperientia, ut sunt thermæ, humores ad uterum præcipitant, ligamenta relaxant, orificium uteri recludunt. Nec tantùm vacuationes, sed & retentiones vacuationum solitarum, quia plenitudinem inducunt & fœtum suffocant, inter causas aborsus possunt recenseri.

Externæ & evidentes ejusmodi causæ aliæ fœtui alimentum subtrahunt, ut inedia, atque omnis immodica vacuatio, aliæ uteri acetabula dissolvunt, ut magnus in egerendo conatus, spiritus retentio, sternutatio, arcta ventris compressio, vociferatio, tussis, vomitio, violenta omnis exercitatio, casus, ictus, risus, calcitratio fœtus. Aliæ fœtum enecant, ut syncope, timor, tristitia, & quæ toto genere extingunt, ut pharmaca, deleteria medicamenta assumpta vel admota, coloc. clater. &c. & quæ vel suffitu, vel odore, vel substantiâ venenata sunt, at-

que etiam quorundam herbarum tanta vis esse perhibetur, ut eas si quis tantummodo pertranseat, fœtum attrahant. Nihilominùs tamen multæ reperiuntur mulieres, quibus tam arctè fœtus adhæret, suntque fœtus vincula adeò valida, ut nullâ externâ causâ possint abortire, quantumvis id conentur. Sicut aliæ sunt adeò debiles, humidæ, laxæque ut fœtum levissimâ de causa elabi sinant.

Internæ causæ sunt duplices, vel matrem, vel fœtum spectant. Matrem quod attinet, variis illa de causis ad abortum propensa esse potest. Et *primò* corporis habitus vel crassior, vel extenuatior quàm conveniat; *aphor. 44. lib. 5. Quæcunque præter naturam extenuatæ utero gerunt, abortiunt priusquam crassescant. Galenus in comment.* varias affert explicationes, duas tamen præcipuas; unam *Numesiani*, qui vult aphorismum intelligi de iis quæ præter naturam tenues prius refici debent, antequam concipiant; quòd si eas concipere contingat, refici non possunt, quin fœtus alimento suo destituatur & sic corrumpitur; quæ explicatio inepta mihi videtur. Nam mulier tenuis quæ concepit, si victu postea pleno & analeptico utatur, eo non minùs fruitur fœtus, quàm ipsa mater, nec relicto fœtu & prætermisso in substantiam matris potiùs convertitur. Altera autem explicatio verior est, scilicet, ut intelligatur aphorismus de iis, quæ præter sui naturam & modum sunt tenues, ut si tabe & ejusmodi morbis laborent. Aliàs videmus sæpè macilentas mulieres fœtum gerere, sed si extenuatio præter naturam mulieris fuerit, longè evidentior ratio est, quare nec concipiant, nec ad maturitatem fœtus perducant. Sunt ejusmodi mulieres admodum debiles, uteri ligamenta fœtum nequeunt sustinere, sanguis paucus est aut vitiosus, qui ad fœtus nutritionem & incrementum non sufficit. Crassities quoque nimia obest, quia in se totum alimentum convertit, humorum multitudine fœtum gravat, utero liberum locum non relinquit. Nam etiam abortus causa potest esse plethora fœtum suffocans & extinguens, sicut & cacochymia, ob quam fœtus alimenti benignitate destitutus languet & emoritur. *Secundò*, sunt morbi acuti, vel diuturni, totius corporis, vel alicujus partis, ut febres continuæ, pleuritis, &c. qui sæpe fœtum in majus discrimen quàm matrē adducunt; vel sunt proprii alicujus partis, ut ventriculi, jecoris, sed omnium maximè ipsius uteri, inflammatio, eresypelas. *Gravidam acuto morbo corripi lethale, aph. 30. lib. 5.* ob vehementiam morbi & gravē intemperiem utero & fœtui communicatā, unde utriusque debilitas succedit. Accedit magnum ciborū fastidium, sanguinis vitium

tium

tium & corruptela, tùm quia tenuem victũ hi morbi postulant, atque insignibus vacuationibus naturalibus & artificialibus solvuntur, quæ fœtui extinctionis & aborsus periculũ inferunt. Sic pariter valetudinariæ mulieres chronico aliquo morbo laborantes vix possunt fœliciter fœtũ gestare ad maturitatem, ut quæ epilepsiâ, febre quartanâ & similibus laborant, sive continui sint, sive per paroxysmos infestent. His adde omnia symptomata graviora, dolores ingentes capitis, uteri, ventris, vigilias, syncopes, convulsiones, sternutationes, vomitum, tussim, insignes vacuationes, hæmorrhagias, tenesmũ, diarrhœas, dysenteriam, &c. de quibus supra diximus. Uteri quoque morbi non minùs noxii sunt, propter quos fœtum retinere & fovere commodè non potest, imò sæpè irritatus excutere nititur. *Gravida in utero eresypelas lethale*; *aphor. 43. lib. 5.* quòd etiam de qualibet uteri inflammatione intelligendum, & aliis ejus affectibus, tumoribus, ulceribus, vulneribus, distorsione, relaxatione, lævitate, atque etiam ipsius intemperiebus, modò graves illæ fuerint. Nam admodum *calida* nocet, quia calor humorem populatur, ipsumque fœtum corrumpit, ut de febribus diximus. *Frigida*, quia frigus vitæ adversatur, pravumque alimentum fœtui subministrat: *Humida*, quia uteri retentrix labefactatur, uteri orificium facilius hiat, vincula humoris pituitosi copiâ laxiora redduntur, fœtumque & secundinam ideò continere non possunt. *Sicca*, quia deficit alimentum, & ligamenta rarefacta facilè disrumpuntur. Præter hæc alia etiam causa affertur, *aph. 45. lib. 5. Quæcunque mediocriter corpora habentes, secundo aut tertio mense abortiunt, sine causâ manifestâ, iis acetabula uteri plena mucoris sunt, & non possunt propter pondus fœtum continere, sed disrumpuntur.* Sine occasione manifestâ, inquit *Galenus*, id est, absque febre, alvi fluxu, hæmorrhagiâ, saltu, eresypelate, victu parciore, aut aliâ ejusmodi causâ cognitâ. Relaxari præterea cotyledones possunt, ex vitâ otiosâ, balneis, somno nimio, matricis humiditate nativâ, vel accidentariâ. Insuper *Hippoc. 1. de morb. mulier.* abortum fieri dicit, si uteri sint flatuosi, densi, magni, parvi. De flatibus dubium esse non debet, quia utero & fœtui intemperiem communicant, uterum replent, & irritant expultricem. Densitas quoque nocet, quia uteri densi commodè extendi non possunt, nec secundina cotyledonibus firmiter annecti. De magnitudine non sine causâ dubitarem, cùm potius faciat ad fœliciorem fœtus retentionem & accretionem. Atque ipse uterus in principio ante conceptionem satis parvus est, & tantùm increscente fœtu augetur, atque illum nullo relicto inani spatio complectitur, unde nullum est periculum, ne major sit,

sit quàm fœtus postulat. Verùm de parvitate minimè dubitandum est, quicquid contra sentiat *Mercurialis*; id enim *Hippoc. lib. de superfœt.* & *de steril.* prodidit. Si mulier sæpius abortum faciat, & eodem tempore, ut tertio, quarto, vel quinto mense, uteri angustiam causam esse scribit. Et ratio suffragatur, quia parvus uterus non satis potest dilatari, propter debilia ligamenta & paucitatem alimenti. *Galenus* etiam *3. de fac. nat.* docet partum sive naturalem, sive abortivum, tribus de causis contingere ob nimiam molem pondus & morsum. Ob molem quidem, ubi uterus ampliùs extendi non potest, unde si adeo parvus interdum reperiatur, ut in eo fœtus ante debitum tempus non possit amplius contineri, abortum sequi necesse est. Quamvis enim ordinariè ad incrementum fœtus semper uterus dilatetur, non negandum tamen quin tam parvus interdum reperiri possit, ut satis extendi non queat, sicut idem de ventriculo refert *Galenus in arte Medicâ*: unde solvi possunt quæ *Mercurialis* adversus hanc sententiam protulit, quæ sanè valde frivola sunt; vult quidem uterum parvum facere fœtum parvum. At cùm fœtus magnitudo pendeat ex copiâ materiæ quam attrahit ad sui nutritionem, potest adeò increscere in utero, ut ipsi locus non sufficiat, unde utero gravis esse incipit, & sic excitat ad sui expulsionem. Tum addit, angustiam non posse tollere vitam; non quidem per se quatenus est angustia, sed propter alias causas jam dictas. Incipit enim fœtus esse molestus utero, & ipsius expultricem irritat.

Fœtum quod spectat, unicam causam affert *Avicennas*, scilicet ipsius mortem, nam vivens consortis mortui est impatiens, corrumpitur enim & putrescit, atque uterum ad expulsionem irritat. Verùm alias addere possumus, ut fœtus debilitatem, infirmam valetudinem, sive primùm naturâ, sive posterius ob morbum contracta sit, ut ob inediam, insignes quasdam obstructiones, venenatos succos & malignos, variolas, elephantiasin, luem veneream, tetra ulcera, aliosque similes morbos. Præterea causa abortus potest esse vel multitudo fœtus, vel nimia moles, præsertim in illis quæ pusillo sunt corpore, & à teneris annis concipiunt, atque viris proceræ staturæ conjunguntur, quorum mentula est amplior.

Notanda est sententia *Serapionis*. Vult autem si primo aut secundo mense fiat abortus, fieri à flatu divellente, aut præposterâ matris agitatione, tenues fibras disrumpente. Si fiat mediis mensibus, causam esse mucores & humores acetabula uteri relaxantes. In postremis utplurimùm

rimùm fieri ab inopiâ alimenti, aut uteri angustiâ. Futuri abortus signa plurima tradit *Hippocrates*, maximè autem timendus est, si præcesserint causæ prædictæ internæ vel externæ, atque prægnans incauto & pravo regimine utatur. *5. aphor. 37. Si mulieri gravidæ mammæ repente extenuentur, abortit*; quòd repetit *5. aph. 33. & 38. Mulieri geminos ferenti, si altera mamma extenuetur, alterum abortit; si sinistra fœminam, si dextra marem.* Ratio est defectus alimenti, quòd cum validus puer attrahat, mammæ gracilescunt, maximè si sensim fiat, non subito. Quibusdam tamen id consuetum est, ut facilè mammæ graciles fiant absque abortu, sicut quædam abortiunt, quibus paulatim non subitò mammæ extenuantur. Et *aphor. 53.* ejusdem. *Quæ corrupturæ sunt fœtus, iis mammæ extenuantur*, quia recurrit sanguis ad interiora, non autem semper ob illius defectum, ut in prioribus aphorismis. Nam ut docet *Galenus in com. Quando ob febres, ictum, aliasve ejusmodi causas, abortus contingit, non semper deficit alimentum, sed sanguis mammis relictis uterum petit. In omnibus enim quæ natura violenter excernere gestit, sanguinis & spiritus impetus eò fertur, maximè si abortus subitò fiat.* Addit autem Hippoc. *Quòd si rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit & non corrumpent.* Est aliud abortus futuri signum apud *Hippocratem*, lac copiosius fluens è mammis, *aphor. 52. libr. 5. Mulieri utero gerenti si lac multum è mammis profluat, fœtum debilem significat: Si verò mammæ solidæ fuerint, fœtum testantur saniorem.* Implentur enim mammæ quando minimum fœtus absumit, idque ob ejus imbecillitatem. Quod si nec admodum flaccidæ sunt, nec adeò plenæ ut lac effluat, sed solidæ, indicio sunt fœtum nec esse imbecillem, nec ipsi deficere alimentum. Sed præterea adsunt lumborum, coxarum gravitas, ad motum segnities, crebri & vehementes dorsi, ventris, laterumque dolores, qui versus pubem & os sacrum descendunt cum egerendi conatu, ob divulsionem vinculorum quibus utero fœtus annectitur. Instante autem abortu aqua primùm saniosa profluit loturæ carnium similis, dein cruenta, tum purus sanguis, postea grumi. Indicant enim non solùm soluta esse vasa, sed etiam apertum uteri osculum, infansque declivis circa pudenda sentitur, demum formatus, vel informis excluditur, ex *Aëtio*. Et quoniam abortus est maximè præter naturam, prava adesse solent symptomata, horror, rigor, febris, lipothymia, palpitatio, vomitus, cardialgia, capitis & oculorum dolor & gravitas & alia ejusmodi. Quòd si convulsiones quasi epilepticæ accedant, vi medicamentorum procuratum fuisse aborsum censet

Aëtius,

Aëtius, quòd tamen non eſt neceſſarium, cùm ab internâ causâ fieri poſſint. Cauſarum autem cognitio, ſi internæ fuerint, ex propriis locis repetenda eſt: Externæ verò adſtantium relatione innoteſcunt. Secundo autem *Epid.* ſcribit *Hippocrat.* Si ob caſum, ictum, ſimileſque cauſas dolor vehemens & perturbatio contingat, eodem die ſubſequi abortum; ſi minor fuerit dolor intra triduum, quia vulnera tertio aut quarto die recrudeſcunt: Aliàs infans in utero confirmatur & retinetur, iterumque vincula roborantur. Si interdum Medicus à Magiſtratu conſulatur de abortu recens facto, patere is poterit, ſi loci muliebres adhuc madeant, ſintque aperti; at niſi recentiſſimè factus ſit, nihil certi pronuntiari poteſt, quia redeunt partes ad naturalem anguſtiam.

Prognoſtica quod ſpectat, aborſus ſemper naturali partu magis doloroſus eſt & periculoſus, ob violentã divulſionem præcocis illius fructus; unde plurimæ pereunt, quædã tamen evadunt, ſed non abſque gravibus ſymptomatis, ut ſunt hæmorrhagiæ magnæ, febres, convulſiones. Nullæ, inquit *Aëtius*, ſervantur, in quibus adſunt convulſiones, quamvis id non ſemper verum eſſe crediderim, ſæpe enim ex graviſſimis morbis mulieres convaleſcunt. Majus ſemper periculum eſt, ſi fœtus ſit grandior, ut ſeptimo vel octavo menſe, aut ſimul plures adſint, mulier ipſa languida & debilis, gracilis ſit aut craſſa nimium, ob viarum anguſtiam. Sic primiparæ maximè periclitantur, tum quia nondum aſſuetæ ſunt partus laboribus, tùm quia vias habent anguſtiores, atque ſæpiſſimè in poſterum ſterileſcunt, dilaceratis ſcilicet & exulceratis vaſorum oſculis. Quòd ſi in muliere ſanâ & robuſtâ contingat abortus, magnum adeſt periculum; maximam enim cauſam fuiſſe oportet, quæ illum concitarit, unde gravia ſequuntur ſymptomata, dolores, hæmorrhagiæ, ſyncopæ, deliria, ſæpe etiam mors. Interdum ſi propter quampiam cauſam ſanguis non excernatur, inflammatur & putreſcit, unde febres, palpitationes, ſyncopæ, deliria, & cætera prava ſymptomata. Minori autem cum periculo abortiunt, quibus uterus humidior eſt & laxior, creduntque plurimæ, ejuſmodi mulieres poſtea facilius concipere, quia ſcilicet repurgantur uteri & exſiccantur. In mulieribus autem chloroſi laborantibus & menſium ſuppreſſione, ſi eas ſemen retinere per aliquod tempus contingat, & abortum pati, curantur, ſic enim aperiuntur obſtructiones, & ſanguis ad uterum attrahitur. Pariter minus periclitatur fœmina quæ abortum facit primo menſe, magis ſecundo, tertio, quarto, quinto, ſexto, octavo, quia tunc fœtus eſt grandior, & ob menſis

sis octavi naturam, sed in septimo & nono, si fœtus sit vitalis, securissimè excluditur; si autem sit mortuus, periculosissimè. Scribit *à Castro*, primis mensibus fœminarum aborsus magis contingere, marium verò postremis, quia cotyledones tunc ficciores ex motu vehementi maris facilè disrumpuntur. Verùm id non potest esse perpetuæ veritatis, quia fœminæ quædam quibusdam maribus calidiores sunt & ficciores.

Curatio autem tota præcipuè consistit in præservatione. Ea duplex est; ante conceptionem scilicet & post. Ante conceptionem causa removenda est, ut si sanguis abundat, victu tenui, & venæ sectione minuendus est, cacochymia omnis idoneis catharticis expurganda. Si alii sint totius corporis, vel uteri morbi, ante omnia tollendi sunt, ut aborsus præcaveatur, ut sunt mola, hydrops, flatus, aliique, de quibus diximus. Si ex humoribus frigidis acetabula uteri replentibus contingat, purgantibus primùm, dein calefacientibus & roborantibus ad fœlicem conceptionem præparabuntur. Purgatur corpus pilulis & aliis phlegmagogis, qualia sæpè descripsimus, quæ etiam repeti poterunt prout usus videbitur. Uterus mundatur pessariis quæ *colocynt.* & *agaricum* recipiunt; ut ℞ *medullæ coloc. myrrhæ, nitri, cumini, gent. ana* ℨ j, *caricarum contusarum q. s.* fiat pessarium. Prodest quoque injectio ex decocto detergente, in quo *turbith, artemis. colocynt. gentiana*, & alia ejusmodi bullierint. *Oleum* in quâ coxerit *colocynt.* si injiciatur, conceptionem juvat, utero à multo phlegmate repurgato ex *Aëtio*. Roborabitur & calefiet uterus internis & externis, ut *diamb. diamosc. diacal. conserv. anthos, salv. meliss. caryoph. theriacâ, mithridat. decocto guaiaci, chinæ, sarsapar. sassafras, calami aromatici.* &c. potu thermarum sulphurearum, nitrosarum, quæ etiam insessu prosunt & injectione. Externa sunt lotiones detergentes & exsiccantes, balnea & insessus ex decocto rerum calefacientium, pessaria & suffitus: ℞ *ligni aloës, benjoini, styrac. calamint. caryoph. cinnam. calami aromat. ana* ℨ j, fiat pulvis pro suffitu, quo uterus desiccabitur, aliaque conveniunt, quæ *Cap. de frigidâ & humidâ uteri intemperie* diximus. Si flatus adfuerint, prodest *diæta ex guaiaco, sassaf. sarsaparil.* &c. Uterus si sit densior humectantibus, ut balneis, utendum & unguentis relaxantibus. Pariter omnibus aliis causis propriis remediis erit occurrendum, ut intemperiei, crassitiei, gracilitati, &c.

Post conceptum autem difficile est & forsan periculosum remedia adhibere, quæ morbos aborsum concitantes curare possunt. Præcaveri tamen poterit, si evitentur omnes causæ exteriores fœtui noxiæ, de qui-

bus superius diximus, præcipuè caveat à vestibus arctioribus, ne uterus præter modum comprimatur. Si purgantia quædam vehementiora assumpta fuerint, utendum iis quæ hypercatharsin prohibent, acrimoniam retundunt, ut *sacchar. viol. amylum, aqua hord. theriaca recens*, &c. Pariter si absurda quædam alimenta, aut assumpta fuerint venenata medicamenta, propriis utendum erit alexipharmacis. Si ex venæ sectione intempestivâ, aut nimiâ, impendet periculum, analeptico victu & roborante utendum. Si alii urgent morbi, singuli idoneis remediis profligandi: Si morbi fuerint acuti, etiam cum periculo fœtus utendum venæ sectione, purgatione, aliisque si ita res postulet. Docuimus enim supra, suo loco, gravidis ex plethorâ, vel acuto morbo periclitantibus, venæ sectionem & purgationem esse omnino necessariam, ne vi morbi unà cum matre fœtus intereat, quòd aliis remediis commodè nequit præcaveri. Docet enim experientia mulieres plethoricas quæ frequenter abortiebant, sanguinis missione fœtum retinuisse, alioquin vel apertis sanguinis copiâ & acrimoniâ venarum osculis, fœtus intempestivè præcipitatur, vel retento sanguine suffocatur, aut in nimiam excrescit molem, unde postea pariendi difficultas. Conveniet igitur venæ sectio à quarto mense ad septimum: Nec periculum est ne alimentum fœtui deficiat, si mulier lautè vivat & sanguinea sit. Parcius tamen quàm in aliis, sanguis mitti debet, atque potius iteratis vicibus id faciendum, atque interea fœtum roborantia interna & externa præscribantur. Idem quoque de purgatione dicendum, etsi cathartica ob malignam quandam qualitatem majorem inferant noxam, & quia corpus & humores magis exagitant. Si tamen mulier cacochyma sit, blandum pharmacum inutile non erit, ut suo loco fusius explicavimus.

Si alvus adstricta sit eccopropticis & clysteribus blandis, ex *jusculo, lacte* vel *saccharo* leniatur. Si alvi fluor quispiam adfuerit, *diarrhœa, lienteria, dysenteria*, vel *tenesmus*; Si diuturna tussis & sternutatio fatigent, remediis suo loco explicatis placari debent. Si mulier sit extenuata, reficientibus alimentis est nutrienda. Si laxum habet uterum, quæ ante conceptum facienda sint, supra diximus, quæ post conceptum nocere possunt: sed utendum est roborantibus & adstringentibus internis & externis, quæ fœtum retinent, uterum & ejus vincula roborant. Si fœtus sit debilis, etiam roborantibus utendum, sublatis omnibus causis, quæ vires labefactare possunt. Demùm omnia gravia symptomata sunt removenda, de quibus suo loco egimus. Quòd si jam causæ alicujus inter-

internæ vel externæ efficaciâ inſtet abortus, doloresque ventrem & lumbos fatigent, ſi fieri poſſit, omni arte impediendus eſt, dolores ſedandi. Fœmina in lecto probè collocanda, in omnimodâ corporis & animi quiete. Interdum autem dolores hi à cruditate ſunt & flatibus, qui tolli poſſunt roborantibus, ut *confect. alkermes*, *de hyacint. de gemmis, aromat. roſ. theriacâ, oleo aniſi* cum *vino* vel *juſculo*, *pulvere coriandri*. Foris applicari poſſunt ſacculi ex *fænugræc. chamæm. roſmar. ſtœchad. Omentum* vel *pulmones vervecis* recens calentes, panni *rubro vino* calente immerſi, aſperſo *pulvere coriand.* & *nucis moſchatæ*: vel *oleum nard. maſtich. abſynth. cidon.* cum *pulvere aromat. roſ. diamb. Cruſta panis* torrefacta cum *vino* & *pulveribus aromaticis*. Immitti quoque poſſunt clyſteres ex *vino* & *oleo* cum *philonio*, vel detur *requies Nicolai*, aut *laudanum*. Conſopitis enim doloribus, vires recreantur. Quòd ſi parum tantùm ſanguinis adhuc ex utero erumpat, penitusque divulſa non eſſe fœtus vincula ſpes aliqua adſit. Utendum erit adſtingentibus, alimentis & medicamentis: laudantur maximè *corallum rubrum* & *grana kermes*, quæ in ovo ſorbili exhibentur. Conferunt quoque *thus, maſtich. pulvis cancror. fluviat. coag. leporis, cinis erinacei, torment. diamarg. ſuccus plantag. terra lemnia, lapis hæmatites*, & alia ejuſmodi ſimplicia & compoſita. ℞ *granor. kermes, margarit. præpar. torment. ana* ʒ j, *maſtich.* ʒ ß, fiat pulvis. ℞ *conſerv. roſar. corticis citri conditi ana* ℥ j, *myrob. condit.* N. j, *magiſterii perlarum, corall. ana* ʒ ß, *ſpodii, granor. kermes ana* ℈ ij, *ſuccini præparati* ʒ ß, cum *ſyr. citon.* fiat elect. Proſunt quoque *citonia* cocta cum *ſaccharo*.

Extrinſecus ſunt faſciæ quibus ventrem ſublevare debent, fotus adſtringentes ex *malicor. balauſt. cinnam.* & aliis in *aquâ fabrorum* & *vino rubro* decoctis. Linimenta ex *oleo citon. maſtich. myrtino*, cum *bolo arm. thure*, & ſimilibus. *Unguent. Comit. emplaſt. pro matrice, deſiccativum rub. ad herniam*; lumbis & imo ventri apponantur, quorum imitatione ſimilia componi poſſunt. ℞ *picis navalis* ℥ iij, *ladani* ℥ j ß, *maſtich. thuris, ſangu. dracon. ana* ℥ j, *rad. biſtort. gallar. nucum cupreſſ. balauſt. ana* ʒ ij, *pulveris galang. aromat. roſ. ana* ʒ j, *terebint.* ℥ j ß, *olei maſtich.* ℥ iij, *ceræ* ℥ v; fiat emplaſtrum lumbis & oſſi ſacro applicandum. Ruſtici applicant *ſtercus ſuillum* cum *aceto*, *bolum armenam* cum *albo ovorum* & *aceto*. Proprietate prodeſſe creduntur *lapis aëtites* è colla ſuſpenſus, qui coxæ alligatus facilitare partum dicitur; ſed mihi periculum interdum facienti id non ſucceſſit. Laudantur quoque *magnes, os è corde cervi, lapis ſardonius, jaſpis, corallum, ſmaragdus, adamas*, quibus magnam fidem

non adhibeo. Quòd si multus sanguis erumpat ex utero, non est statim sistendus ne concrescat & fœtum suffocet, sed revellendus ligaturis, frictionibus partium superiorum, cucurbitulis admotis thoracis hypochondriis, vel mammis, atque etiam si vires constent, venæ in brachio sectione. Quòd si hæc nihil proficiant, jamque disrupta sint fœtus vincula, aut ipse fœtus mortuus sit, prædictis non est utendum, ne sanguinem supprimant, partum difficiliorem reddant, potius juvanda est natura laxantibus, expultricem irritantibus, fœtumque roborantibus, tam sumptis quàm admotis, quæ Capite sequenti explicabuntur.

CAP. VII.

DE DIFFICILI PARTU, ET FOETU MORTUO.

ANtequam difficilis partus causas explicemus, de naturali paucis agendum est, rectum enim index est sui & obliqui. Fœtus absolutus & perfectus membranas primò disrumpit, dein in caput conversus, vel mirâ naturæ providentiâ, vel partium superiorum pondere ad inferiora decidit cum suis secundinis, atque effusis aquis & sanguine, etiam matris conatu per contractionem musculorum abdominis & totius corporis concussionem, ut supra diximus, ab utero erumpit. Et sanè mirum est quomodo pars adeò angusta ossibus ilium & pubis undique circumvallata, adeò possit ampliari, ut fœtui exitum præbeat. Ideò quidam putant ossa pubis à se invicem divelli, quâ ratione horrendis doloribus mulieres in partu torqueri putant. Alii verò adeò firmiter ea inter se connexa putant, ut nullo impetu separari possint, saltem non absque insigni claudicatione & luxatione; ideò volunt reflecti os coccygis sive caudam in partem exteriorem, & sic foramen multò latius reddi. Alii contrà, ea revera separari volunt, atque toto graviditatis tempore humiditate illarum partium, tùm etiam instante partu ex humorum affluxu fieri articulationem illam laxiorem; Inde igitur partus fiunt dolores, tum ex disruptione membranarum & vasorum, quibus utero fœtus annectitur, tùm ob summum uteri conatum ad fœtum expellendum: Nec absque dolore partus naturalis fieri solet. Malum enim est si illi evanescant, ut in muliere gravidâ observavi, quæ pleuritide laborans, absque ullis torminibus & obstetricis ope exclusit fœtum,

tum, quem clamantem adstantes mulieres audiverunt, hincque mortem prædixi, quæ sequenti die secuta est. Hic est igitur naturalis pariendi ordo, ut membranis à calcitrante fœtu disruptis, primò exeant aquæ ad lubricandam viam, mox procedit fœtus in caput, sequitur secundina, quæ utero alligata quoties divellitur, toties parit dolores illos de quibus puerperæ conqueruntur, qui ab umbilico descendunt ad inguina, inde ad lumbos reflectuntur. Os uteri quod antea connivebat, ità ampliatur, ut ab uteri fundo ad pudendum unicus ductus isque satis patens esse videatur, delabente fœtu partes superiores gracilescunt, inferiores tument, atque immisso digito aliquid circa orificium uteri ovi magnitudine durum percipitur, unde ad optimum partum varia concurrant necesse est. *Primò*, os uteri expeditum; *secundò*, motus fœtus & robur ad disrumpendas membranas; *tertiò*, matris ipsius robur ad fœtum excludendum; *quartò*, figura commoda, scilicet ut in caput provolutus egrediatur; *quintò*, ut fiat debito tempore; *sextò*, ut lochia nec detineantur, nec immoderatè fluant & secundina ritè procedat; *septimò*, ut cum moderatis fiat symptomatibus. Atque harum conditionum defectu partus fit difficilis & laboriosus. Talis autem censetur, si ultra 24 horas duret, tum si dolores aliaque symptomata præter morem in partu, aut post partum torqueant: Non quòd ullus partus dolore careat, tamen quando naturalis est, symptomata modum non excedunt.

Ideò partus difficilis variæ sunt causæ, quas rectè *Moschio* ad mulierem, ad fœtum & res externas refert. Ad mulierem uterus referri debet. Ex parte igitur mulieris fit partus difficilis, si sit admodum debilis & imbecillior, nam ad facilem partum utriusque matris scilicet & fœtus robur requiritur. Atque hanc debilitatem non tantùm ad corpus, sed ad animum cum *Aëtio* referre oportet: Ut si mulier aliquo morbo laboret diuturno vel acuto, *1. aphor. 55. Quæcunque utero gerentes febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, vel extenuantur absque causâ manifestâ, difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur*; scilicet ob gravem intus latitantem cacochymiam. Præterea si mulier nimium sit macilenta, ob angustiam vasorum, aut nimium tenera, puella, vel anus, si morbo quopiam pectoris, aut mala ejusdem conformatione laboret, unde spiritum diutius continere non potest, ac pectus depressum aërem commodè recipere non potest. At ejusmodi expulsio fit retento spiritu, à quo tenduntur diaphragma & musculi abdominis, qui ventricu-

lum & partes subjectas comprimunt ad excrementorum & fœtus expulsionem. Imbecillis quoque redditur, si nimium sit defatigata laboribus, si æstu, inediâ, immodicis vacuationibus, aut gravibus symptomatis sit exhausta, ut si tempore partus contingant vomitus, epilepsiæ, convulsiones. Si partes principes vel utero vicinæ malè sint affectæ, ossa ilium & pubis malè sint conformata, intestina flatibus distenta, vesica sit calculosa. Tum si mulier timore, mœstitiâ, pudore, aliove gravi animi pathemate afficiatur, difficulter parere solet, quòd primiparis interdum contingit. Pingues quoque & crassiores ob uteri impressionem multum laborant in partu.

Ratione uteri fit partus difficilis, si nimis angustus fuerit, idque vel ob nativam parvitatem, aut ob brevem staturam corporis, ætatem juniorem, uterus enim reliquis corporis partibus respondet, tum si os uteri sit malè conformatum, obliquum, vel distortum, obstructum, tumens, ulceratum, vel alio morbo affectum: Vel compressum ex vicinarum partium, ut omenti pinguedine in crassioribus, aut alio tumore, vesicæ calculo, excremento intestinorum duriore, urinæ copiâ, inflatis hæmorrhoidibus, si ossa pubis & coccygis nimium conserta sint & firmius articulata. Si post ulcera parietes colli uteri coalescant: si membrana quæpiam in utero non sit disrupta. Referunt enim historiæ quasdam gravidas fuisse, quibus integra erat hæc membrana, utero scilicet fortiter attrahente semen. Idem ex malo parientis situ contingere potest, ut si sedeat, aut natibus innitatur, cùm non possit retrocedere cauda, partus impeditur. Si stet, aut manibus juxta lectum aut aliud quid innitatur, aut sustineatur à fortibus mulieribus, commodius parit, modò in anteriora se flectat: aut si decumbat & dorso innitatur.

Ratione fœtus partus fit difficilis: *Primò*, si debilis sit, enixu enim nihil aut parum matrem adjuvat. Fit autem imbecillis, si à parentibus morbidis, aut ætate provectis natus sit, quorum semen est debilius, minusque probè concoctum. Si pauco utatur alimento, vel pravo, paucitas accidit, vel ob morbum, vel inediam, pravum matris appetitum, aliamve causam absumentem, diarrhœam, vacuationem aliquam naturalem, vel artificiosam, venæ sectionem, violentam purgationem, aliamve similem. Pravitas à morbis aut cacochymiâ matris dependet, nam si uterus intemperatus sit, aliterve malè affectus, exceptum semen labefactat, suamque labem affluenti sanguini communicat. Maximè autem debilis est, si mortuus fuerit & putrefactus, nullum enim facit in

pariendo

pariendo conatum. Variis autem de causis mori illum contingit, vel ob morbum acutum, ut magnam febrem, apoplexiam, vel ob alimenti defectum, aut pravitatem, vel copiam à quâ suffocatur, vel quia secundinæ citiùs quàm oportet solvuntur, ut dicemus inferius; aut obictum, casum, animi grave pathema, aut usum medicamentorum amarorum, fœtum necantium, & demum ob ipsam partus difficultatem.

Secundò, fœtus partum facit difficilem, si non unicus, sed plures adfuerint discreti, vel conjuncti, cùm simul exitum quærunt, & sese mutuò impediunt, aut si unicus sit, sed major quàm par est, secundum totum, vel aliquam partem, aut pluribus membris, gemino capite, vel corpore præditus sit, ac monstrosus, vel si molam habeat adhærentem, quæ summam in exeundo difficultatem facit: Tum quoque si nimis sit exiguus, ita ut vincula disrumpere nequeat. Atque etiam creditur fœmina difficilius excludi, quàm mas, ob imbecillitatem, quòd tamen non est perpetuæ veritatis.

Tertiò, fit partus difficilis ratione figuræ, si formâ & situ non naturali exitum quærat infans. Recta enim & naturalis figura est ἐπικεφαλή, ut scilicet capite prodeat, distentis ad genua brachiis, quia capitis pondere viam sibi facit, tum quia sub hâc figurâ nullum aliud membrum distorqueri potest. Reliquæ omnes figuræ malæ sunt, nec enim facilè, nec sine periculo exire potest; nam vel suffocatur, vel membra ipsius distorquentur. Tres autem sunt hæ figuræ pravæ secundum *Hippoc.* nam vel obliquus, vel pedibus, aut manibus parat egredi, ad quas tanquam ad sua genera reliquæ reduci possunt, quas *Eucharius Rhodion*, & ab eo *Ryffius*, aliique recentiores descripserunt. Suntque tredecim si unicus sit fœtus, & hæ si fuerint gemini, possunt variè multiplicari. Plures tamen figuras esse credo, ut si in caput exeat, quæ naturalis figura est; potest tamen caput variè inverti, vel in dorsum, vel in thoracem, vel in alterutrum latus, unde incurvatur, & dum exire conatur, collum magis invertit, unde suffocationis imminet periculum, sic quoque vis infertur spinali medullæ & nervis. Omnium pessima est, cùm ventrem primum exhibet, manibus ac pedibus sursum reflexis, & hæc prima esto. *Secunda*, quando dorsum primo ostendit, brachiis pariter & pedibus sursum protensis: *Tertia*, quando nates primum profert, reliquo corpore recto: & *quarta*, quando humeris exire conatur, brachiis & pedibus etiam sursum extensis. Quòd si in manus prodeat, vel unam, vel utramque exhibet, quæ sunt quinta & sexta. Pariter si in pedes, vel

unico

unico pede exit, vel ambobus, atque hæ inter se variè conjunguntur. Nam quando exit in pedes, vel manus ad fœmora applicat, quæ septima figura est, vel easdem sursum habet protensas quæ est octava, vel brachia & genua distorta habet, quæ est nona. Rursus pariter si unicum pedem proferat, manus habet ad latera distentas, quæ est decima, vel sursum extensas, quæ est undecima: vel genua primum ostendit, pedesque habet sursum reflexos, manusque vel sursum extensas, vel deorsum distentas, ut diximus, & hæc est duodecima; vel pedes manusque simul ostendit, atque in ventrem procedit, quæ est decima tertia. Possuntque forsan aliæ esse figuræ, sed hæ sunt præcipuæ. Quòd si ut diximus, gemini adfuerint, aut plures fœtus, possunt hæ figuræ multiplicari. Causæ autem cur his figuris exeat fœtus, *lib. de nat.* pueri, duas affert *Hippocrates*. Prima est uteri amplitudo, in quâ fœtus huc illuc labitur. Altera, quando mulier in partu ob doloris acerbitatem huc illuc inordinatè movetur, modò surgit, ambulat, modò quiescit, sic enim fœtus situm suum amittit naturalem. Tertiam addit *Mercurialis* capitis infantis debilitatem, unde potius exit in manus, vel pedes, quàm in caput. Addi quoque quarta potest, membranarum crassities, ideò eas violento motu & inordinato disrumpere fœtus tentat, unde interdum contingit, ut unam potiùs quàm aliam partem ostendat.

Quartò, ad difficultatem partus ratione fœtus referri debent membranæ quibus involvitur, uteroque adhæret. Si enim crassiores sint & solidiores, ægrè disrumpi possunt: Si verò sint tenuiores & imbecilliores, citiùs laxantur quàm oporteat; unde vacuatis illis aquis quæ viam lubricant, & uterum ad expulsionem irritant, reficcatum manet os uteri: Unde si secundina exeat manente fœtu lethale, vivere enim nequit alimento & respiratione destitutus. Huc referri debent vasa umbilicalia, si collo infantis duobus aut pluribus interdum gyris circumvolvantur.

Extrinsecæ etiam causæ variæ partum remorantur, præcipuè autem aër frigidus, quia meatus adstringit & densat, ideò hyeme & flante aquilone difficilius pariunt mulieres: Ejusmodi enim aër puellulo nocet, spiritus humoresque intro cogit. Nimium calidus pariter vires dissolvit, & si corpus sit cacochymum, facilè febrem accendere potest, unde fenestras aperire interdum convenit in summis æstibus, ut aër difflетur, ubi scilicet ex calore vires deficiunt. Idem dicendum est, si nimius ignis in loco ubi parturientes habitant, accendatur. Inter causas exter-

externas etiam nocent gravia animi pathemata, iracundia, zelotypia, verecundia, timor, ob vehementem dolorem, ut in primiparis & infirmioribus. Motus quoque corporis incompositi & intempestivi, quando nec sedere, nec ambulare volunt, ubi opus est, sed tantùm ad lubitum, hinc sæpè pervertitur legitima fœtus figura. Somnolentia quoque & stupor nocent, quia fœtus impetum remorantur. Ad vires tamen reparandas interdum conceditur somnus levior, donec redeant partus dolores. Sic molestæ sunt suppressæ urinæ & fæcum excretiones, sicut & cibi omnes crudi, dyspepti, adstringentes, ante partum assumpti, vias enim arctiores reddunt, lochiorum & secundinarum vacuationem retardant, sicut & idem narcotica sumpta & admota faciunt. Odores pariter omnes fortiores, quia spiritus admodum conturbant. Multa præterea fortuita contingere possunt parturientibus noxia, ut sunt ictus, casus, obstetricum imperitia, atque alia similia, quæ ex improviso accidere possunt. Ab iisdem causis sed majoribus, interdum nullus fit partus, unde fœtus moritur, sæpè etiam mater, interdum tamen sed raró superstes est.

Plurima adsunt signa partum difficilem indicantia, ut si prædictæ causæ internæ & externæ adfuerint, periculum est ne futurus sit partus laboriosus. Auget conjecturam, si antea difficulter parere mulier solita est. Scribit *Aristot. 7. de gener. animal. cap. 9.* Si dolores in alvo percipiantur, celeriùs parere & facilius; contrà, si sint in lumbis, quia duriores membranæ non ità facilè solvi possunt, quòd cognoscitur, si dolores perseverant, nec ulla aqua effluit: Quòd si ante partum absque gravi dolore totus ille aquosus humor vacuatur, tenuitatem membranarum indicat. Item si dolores languidi ex intervallis longioribus recurrant, laboriosum partum demonstrabunt, ob summam utriusque imbecillitatem, aut partium necrosin, ex *Coacis*, sicut & si omnia quæ ad naturalem partum requiri diximus, pervertantur. Causæ externæ atque etiam plurimæ internæ laborantis & adstantium relatione cognosci possunt, ut si mulier sit annosa, juvenis, primipara, tenera, timida, pusillo corpore & imbecilla, si morbis acutis aut chronicis quibusdam laboraverit. Debilem autem fœtum cognoscere possumus, si ipsa mater diu ægrotarit, longo alvi profluvio, aut aliquâ insigni vacuatione laborat, ut si menses sæpiùs illi fluxerint, si lac copiosius profluat & aquosum, *5. aph. 52.* si mammæ extenuentur *53. ejusdem*, ob magnum consensum uteri & mammarum, quos *aphorismos* superiori Capite descripsi-

scripsimus. Demum si languidius & tardius moveri incipiat, tunc periculum est ne moriatur, vel suffocetur. Mortuum autem declarabunt, ex *libro de superfœt.* si non amplius moveatur, quamvis roborantibus & calidis vim illius languidam excitare conemur; aut tantùm ad motum matris, sicut lapis & mola. Pecten & imus venter refrigescit extincto calore. Imò & obstetrix immissis digitis, frigidam animadvertit uteri cervicem, mammæ extenuantur, symptomata omnia ingravescunt, facies & labia pallescunt, extrema refrigerantur & livescunt, anhelitus fœtet, & ob tetros vapores venter inflatur & gravis redditur, animi fiunt deliquia, capitis & oculorum dolores, frequentes rigores, febres, interdum convulsiones epilepticis finitimæ, aqua & sanies fœtida fluit ex utero, dolores fiunt circa umbilicum & lumbos, ob conatum naturæ mortuum fœtum expellere gestientis, aliaque adsunt symptomata ex partibus principibus per consensum affectis, anorexiæ, sitis, turbulenta insomnia, &c. His adde, si secundina primùm exiit, privatur enim respiratione quâ fruitur per arteriam umbilicalem, unde privatur commeatu spiritus. Demùm si solitò gravior sentiatur, nam mortuus vivo gravior est ob defectum spiritus & caloris, qui levitatem addit corpori; si fœtus sit grandior, aut partem aliquam solitò majorem habet, vel uterus sit angustior, id facilè obstetrix dignoscet, potissimum ex magnitudine ventris, insigni distentione & mole, & si omnia rectè sese habeant, nec tamen fœtus egrediatur, suspicio magna erit, infantem aut ejus caput nimis magnum esse, vel aliquid cum fœtu conjungi, ut molam, aliquemve tumorem, sed tunc utplurimùm tempora conceptionis incerta redduntur, & mulier variis malis vexatur usque ad horam partus. Ex prædictis conjectura potest esse vel geminorum, vel monstrosi fœtus, aut malè situati & figuræ perversæ.

Multa autem ab hoc affectu pericula fœtui & matri imminent, & si intra quartum diem fœtus non exeat, majus adest periculum, ob summam utriusque imbecillitatem, & fœtum mori censet *Avicennas.* Præterea ex hoc insigni conatu contingunt interdum tusses, vasorum in utero & pulmonibus ruptiones, sputum sanguinis, uteri inflammationes, febres, peritonæi relaxationes, herniæ intestinales, convulsiones. Notavit *Avenzoar* pupillam fuisse dilatatam, cum visus læsione. Quibusdam toto pars inferior ab ano ad uterum dilaceratur & ulceratur. Interdum tamen mater & fœtus servantur, interdum uterque perit, interdum alteruter servatur. Optima est sternutatio, quia naturæ robur indicat

dicat

dicat, & concussione, musculorumque abdominis, contractione fœtum ad inferiora expellit. Si ossa pubis nimis arctè connexa sunt, fœtus perire solet, atque necesse est eam Chirurgi manu educi, ne matrem putredine subsequente extinguat. Sicut bonum est fœtum velato capite prodire cum membranâ amnio, indicat enim utriusque matris & infantis robur, ac viarum libertatem & amplitudinem. Periculosum pariter, si non naturali figurâ fœtus exeat, sæpe enim utriusque mors succedit: Minus tamen periculosus censetur qui in pedes exit, *Agrippam* Latini vocant. Quod si mortuus fœtus fuerit, nisi statim excludatur, summum imminet discrimen, ob subsequentem putrefactionem, præsertim si octavo mense contingat. Quod si mater debilis sit, lethargo, sopore, vel tremore & convulsione afficiatur, ægrè moveatur, pulsus obscurus sit & debilis, vix unquam convalescet. Mulierem tamen novi, quæ post partum unius fœtus, per duos menses gravissimis conflictatas symptomatis, nec ulla spes vitæ adesset, exclusit alterius fœtus putridum cadaver, in saniem tetram & virulentam conversum, cùm tamen nihil tale Medici suspicarentur, & convaluit, atque ter postea fœliciter peperit. Interdum quoque mortuus fœtus perforato utero, in abdomen sese insinuat, & inde abscessu facto educitur. Refert *Albucasis* se vidisse mulierem, quæ manente fœtu mortuo, nihilominùs novissimè concepit, mortuus fœtus putris ad umbilicum ablegatus est, illic abscessum fecit, quo rupto, ossa ipsa exierunt integra. *Platerus in Observat.* similes duas affert historias. *Guillemaus libro Gallico obstetricali* duas refert historias mulierum, in quibus fœtus perforato utero in abdomine inventus, sed erant mortuæ. Sed omnium maximè admiranda est historia mulieris in *Agro Gradinianensi* juxta *Burdegalam* patriam meam, quæ cùm ter concepisset, toties in abdomen perforato utero fœtus translatus est, ac tandem abscessu facto, circa umbilicum trium fœtuum ossa extracta fuerunt & convaluit, eratque etiam me puero superstes, eamque me vidisse memini. Descripta fuit tota historia à *Manialdo*, ejusdem urbis Medico doctissimo, quam in fine hujus Capitis addere non inutile esse putavi.

Sed præterea in quibusdam fœtus mortuus non putrescit, sed in lapidem vertitur, atque in utero hæret, qualem historiam elegantem admodum & raram, describit *Albosius Medicus Senonensis*, quæ etiam apud *Scenckium* reperitur, & apud *Augenium*, aliosque. Imò interdum ipsum uterum lapidosam constitutionem acquisivisse alibi legi. Et forsan plura si-

ra ſimilia obſervarentur, ſi liceret mortuas mulieres diſſecare, quòd ſæpè affines nolunt pati.

Curationem autem quod ſpectat, illius duas faciemus partes, quarum prima generalia præcepta complectetur ad omnem partus difficultatem accommodata; altera ſingulas cauſas & illarum remedia deſcribet, & quid ſit agendum tum in ipſo partus dolore, tùm paulò ante partum. Ante omnia adſtantes debent eſſe plures & validæ, ac jocoſæ, quæ parientem ſublevent, minùs idoneæ ſunt timidæ & recens nuptæ quæ nondum pepererunt. Obſtetrix quoque perita eſſe debet, quæ ſciat inſtantem partum agnoſcere, mulierem in ſellâ, aut aliter rectè collocare, (cùm non omnes in ſellâ pariant) uterum leviter aperire, puellum morantem promovere, malâ figurâ ſeſe offerentem emendare, umbilicum reſecare, demum puerum rectè tractare. Hæc enim ſunt obſtetricum officia.

Generaliter igitur ſemper parturientium vires roborandæ, idque potiſſimum accommodatâ victus ratione, in ſex rerum non naturalium uſu. Quamobrem inſtante partu omnem aëris exceſſum, præſertim frigidiorem caveant, temperatum enim eſſe oportet, aut paulò calidiorem. In valido tamen æſtu vires diſſolvente, utile eſt feneſtras aperire & aërem difflare. Ciborum copiâ non eſt gravandus ventriculus, ne calor, ab opere ad concoctionem ciborum revocetur, ſed frequenter & parcè exhibeantur. Sint autem eupepti, euchymi, & humidiores; ut juſcula, conſummata, ova recentia, carnes optimæ juniorum animalium, quæ emolliendi & paululum aperiendi vim habeant; condiri autem poſſunt pauco *croco* & *cinnam.* Panis *vino hippocratico* tinctus, non nocet, modò non adſit febris, aut inflammatio: Nam hæc leviora faciunt partus accidentia. Ab omnibus autem adſtringentibus abſtinendum. Alvus ſemper libera ſit, naturâ, vel arte, ut clyſtere, aut leviori cathartico. Nec coïtus omnino reprobandus eſt ex *Ariſtot. 7. animal.* quia vias laxat. Nocent pariter omnes animi perturbationes, terror, timor, verecundia, ut ſupra diximus, ſed animo ſit læto, & bene ſperet. Cæterum quorundam etiam remediorum uſus ante partum non erit inutilis, ut ſunt fotus, balnea, linimenta ad molliendum & laxandum, ut ex decocto *alth. malvæ, fœnugræc. lilior. arthemiſ. chamæm.* fiat fotus, vel balneum, quo tamen moderatè utatur, ne fœtus matriſve vires reſolvantur. Poteſt in balneo ſedens ſumere *juſculum pulli, croco*, aut *nuce moſchatâ alteratum.* Ejuſdem facultatis linimentum fiat ex *oleo amygdal.*

dulc.

dulc. lilior. chamæm. mucilag. sem. lini, fœnugræc. alth. axung. gallinæ, &c. Unguentum *dialth.* etiam utile est. Ungantur autem partes inferiores, perinæum, cauda, abdomen, interiora vulvæ, quas laxari ad fœtus transitum necesse est. Probatur quoque potio ex *oleo amygdal dulcium* cum *sacchato, aquâ parietar.* & *syrupo capilli veneris.* In ipso autem partu alacris sit mulier, nec terrenda, sed potius ipsius animus in bonam spem erigendus est. Deligat obstetrix situm parturienti convenientiorem. Quædam enim in lecto jacentes, aliæ genibus innixæ, aliæ stantes, & erectæ manibus solùm ad lectum innixæ, aliæ sedentes in sellâ facilius pariunt. Quæ uno situ difficulter peperit, alium deinceps experiatur. In *Angliâ* uti solent sellis sublunari seu semicirculi formâ, in quâ parturientes collocant, quam maximè omnium commodam audivi ab iis mulieribus, quæ varios in parturiendo situs expertæ erant. Conveniens quoque figura est, si nec penitus jaceat mulier, nec sedeat, sed erecta & nonnihil sublimi dorso collocetur, quò liberior sit respiratio, divaricatis à se invicem cruribus. Nam si sedeant, aut supinæ jaceant, impeditur coccygis dilatatio & reflexio in partem posteriorem. Obstetrix autem non ante mulierem in partus labores conjiciat, quàm uteri osculum aperiatur & fœtus sese partui offerat, quâ in re sæpissime errant & præcipitant dolores, unde debilitantur. Sed interea jubeat illam interdum ambulare, aut stare, interdum sedere, decumbere, atque etiam quia tormina per intervalla conquiescunt, poterit somno indulgere, sed sit brevior, nam vigiliæ promovent exitum. Præterea uterum parturientis & abdomen blandè contrectet, manu inunctâ *oleo amygd. dulc.* & *liliorum*, quibus etiam uterum blandè inungat, ut os uteri siccum & pudenda si sint angustiora ut in obesis, facilius dilatari possint. Ipsa obstetrix ante prægnantem sellâ humiliori sedeat, ut sanguinem prodeuntem & infantis motum observare possit, illumque si opus sit adducere, aut convenienter prodeuntem excipere. Ideo lintea tenuia & mollia, & quicquid ad hanc rem necessarium est penes se habeat, laxæque sint omnes parientis vestes, spiritum cohibeat, musculosque abdominis deorsum impulso spiritu premat, ut in egerendis fæcibus solet, possuntque etiam adstantes manibus molliter comprimendo, fœtum deorsum urgere. Quod si sternutatio tunc supervenerit, optimum est, *aphoris. 35. lib. 5.* atque insufflato castoreo, aut aliis provocetur. Quòd si vires propter dolorem deficiant, olfaciat frequenter *acetum* calefactum, aut *vinum* cum pauco *nucis moschatæ, caryoph.* vel *aquam cardiacam* destil-

latam: Detur *confect. alkermes, panis vino madidus, diamosc.* & similia roborantia.

Et hoc modo in partu naturali solet exire infans, quem molli linteo & modice calido excipere debet obstetrix, ne in terram cadat & lædatur, atque ut secundinæ simul exeant, opera danda est, quæ si restiterint, manu sinistrâ oleo dulci illitâ, atque immissâ, in uterum blandè extrahat, ut suo loco dicemus.

Quòd si fœtus facilè non prodeat, quibusdam clysteribus, fotibus, & unguentis emollientibus uti licet, ut dictum fuit. Atque ea dentur quæ partum promovere creduntur. Sumat *vini hippocratici albi* cochlearia aliquot per intervalla, *jusculum* cum *croco, cinnamomo, confect. alkerm.* aut *pulveres diamb. diamosc. aromat. rosati*, cum *vino, syrupo aperiente, aquâ meliss. calend. cinnam. lilior. decocto cicer. rubr. petros.* & demum ea omnia quæ ad provocanda menstrua dicta sunt, ut *dictamnus creticus, aristoloc. trochisci de myrrhâ*; sed fortioribus nisi admodum difficulter partus succedat, non est utendum, ne fœtum extinguant, uterum inflamment, febrem accendant, hæmorrhagiam majorem quàm par est, concitent. Atque ex materiâ menses moventium fieri possunt pulveres, decocta, infusiones, pilulæ, electuaria, tabellæ: Et quamvis ingrata sint remedia, tamen in hoc casu adeò acerbus est dolor, ut quidlibet mulieres sumere non recusent. *Borax mineralis* plurimum commendatur ad ʒ ß, sicut & *oleum succini* cum *vino albo*, aut *aquâ cinnam.* à *Rulando* laudatur. Pulvis quoque secundinæ prodesse creditur: ℞ *trochisci de myrrhâ, confect. alker. ana* ʒ j, *boracis* ℈ j, *castor.* ʒ ß; *sem. milii solis* ʒ ß, *croci* ℈ ß, *dictamni cretici* ℈ ij; infund. in *aqua cinnam.* ℥ *iij*. Detur parturienti cochleare unum absque expressione, & singulis vicibus adde *olei succini guttas xv*. Etiam mortuum fœtum præcipitat. Et quidem quæ bibuntur facilius assumi possunt quàm pulveres, aut pilulæ, & citius vim suam exerunt: Ideo præferenda puto; ℞ *cinnam.* ℈ j, *croci grana vj*, *dictamni cretici, boracis, cassia lignea ana* ʒ ß, *succini albi præpar.* ℈ j, *sabinæ, baccarum lauri ana* ℈ ß, *sacchari ad pondus omnium*, fiat pulvis. Efficacior erit, sed ingratior & amarus admodum, si *aristoloc, myrrham*, & similia addamus. ℞ *pulveris secundinæ* ʒ j, *seminis lavend.* ʒ ß, *piperis* ℈ j, *croci, castor. ana* ℈ ß; fiat pulvis. Laudatur quoque *axungia serpentis* cum *vino*, quæ attenuat & emollit; *fimus accipitris ad* ʒ j, *nidus hirundinis*, lavetur *aquâ artemis.* aut *lavend.* deturque expressio, *succi gallitrici* ℥ *iij potæ*; *consolida regalis* cum *vino:* Quòd in *liliis* luteum est, *jusculo* incoquatur,

viscus

viscus de pyro, cum *vino*, & alia ejusmodi plurima, ex *Capite de suppress. menstr.* repetenda. Externis quoque uti possumus, ex *benjoino, styrace, ladano*, & aliis. Pessariis etiam ex *mercur. galban. trochisc. de myrrhâ. nigellâ, rad. ciclam. croco* & *succo porri*, ac *sabinæ*. Ex iisdem quoque unguenta fieri possunt, videaturque prædictum caput: ℞ *aristoloc. rot. gentianæ ana* ℥ ß. *ciclam.* ʒ ij, *cinnam. caryoph. ana* ʒ j, *semin. nigellæ* ʒ ß, *croci* ℈ j, *olei lilior.* ℔ j, *aquæ vitæ* ℥ ß, *succi porri, artem. ana* ℥ ij. Coquantur lento igne ad *succorum* & *aquæ vitæ* consumptionem, atque hoc *oleo* inungantur partes inferiores ab umbilico deorsum. Vel in express. adde *styrac. galban. ana* ʒ j, *trochisc. de myrrhâ, aquâ vitæ dissolutorum* ʒ j ß, *farinæ lupinor.* ℥ j, *ceræ q. s.* fiat unguent. vel cataplas. mollius, pró eorundem locorum inunctione. Sunt etiam quædam quæ latente proprietate partum creduntur reddere faciliorem, ut *lapis aëtites* coxæ alligatus, nam si brachio admoveatur, remoratur partum, *magnes*, manu sinistrâ à pariente detentus, *corallum, radix origan. cor gallinæ, smaragdus, jaspis, storax, anguis senecta lumbis alligata, anagallis, artemisia, coxæ* admota, sicut & *aristol. polygal. radix ciclam. serpentar. pumex, dictamnus creticus, radix ocymi, polypod.* triti; *matris sylva* etiam plantis pedum admota, fœtum cient, *fel gallinæ* si eo ungatur umbilicus, & similia sunt plurima quibus non est magna fides adhibenda. *Lapidem Aëtitem* quod spectat, sæpiùs eum expertus sum, sed vim illam quam plurimi etiam Medici illi attribuunt, non observavi. Sed distinctius ad singulas causas veniendum est, quæ ad matrem, fœtum & res externas relatæ sunt. Externæ autem omnes causæ ante omnia removeantur, de quibus jam sat multa diximus.

Si mater debilis sit corpore vel animo, consolanda est & roboranda omni alimentorum & potuum genere, quibus vires & spiritus possunt instaurari, ut sunt *juscula consummata, ova sorbilia, panis vino hippocratico madidus, confect. alkermes*, atque alia calefacientia & roborantia, quæ non solum assumpta, sed etiam admota prosunt, ut fotus ex *vino malvatico* in quo *aromata* coxerint, ut *caryoph. galanga, zinzib.* &c. aut ex *aquâ vitæ* calente, in quâ *mithridat.* dissolutum fuerit, aut *pulvis aromatici ros.* Prosunt odores suaves, nisi admodum obnoxia sit suffocationi hystericæ. Prædicta quoque fœtum imbecilliorem roborant: sed præcipuè morbi omnes qui matrem affligunt, tollendi; ut, si tenuis sit & macilenta, prius humectanda est, victu polytropho & analeptico, balneo, fotibus, linimentis, ut alibi explicavimus. Si crassior sit, attenuanda prius

prius est ciborum paucitate, multis vigiliis, omnique arte. Et consilio *Æginetæ* more quadrupedum prona pariat, flectendo genua ad fœmora, quia omentum propendens, liberam viam relinquit utero. Obstetrix *oleo*, *butyro*, vel *axungiâ*, os uteri inungat. Si uteri orificium sit angustius, vel fœtus sit major, laxandum est & aperiendum clysteribus, fotibus, linimentis, ad id jam præscriptis. Si ab alio quopiam uteri morbo pendeat difficultas, ex proprio loco curatio repetatur. Vixque absque chirurgiâ fœtus educi potest, ut si sit obstructio, distorsio, obliquitas. Si membranæ crassiores sint, nec facilè disrumpi queant, quibusdam levioribus frictionibus & linimentis agendum est, ut *oleo lilior. amygd. chamæm.* quæ possint illas laxare, aut *Aëtii* consilio abrumpantur, obstetricis digitis, vel scalpello. Si verò ante congruum tempus laxentur & profluant humiditates, quæ viam fœtui lubricam reddere solent, tunc partes illæ iterum humectandæ sunt *oleis*, *axungiâ*, *butyro* & *fotibus emollientibus*, *mucilaginibus*, &c.

Si ratione fœtus fiat partus difficultas, siquidem imbecillis sit, roborandus est fotu *vini generosi calentis*, admoto *pane torrefacto*, *aquâ imperiali*, cum *nuce moschatâ*, vel *omento ovis* calente, & aliis per quæ mater ipsa restauratur, de quibus dictum. Sed maxima difficultas est, si non exeat formâ naturali, tunc ab obstetrice, sed manu prius butyro inunctâ, blandè reponatur & dirigatur, ut exeat in caput, quæ optima est figurâ; & si caput contorqueatur, vel in latera, vel in dorsum aut abdomen, manu corpus sursum blandè repellet, sic in rectam lineam caput veniet, aut manu poterit blandè reduci. Minùs mala quæ fit in pedes. Sic nati *Agrippæ* vocantur, nec facilè potest ista figura emendari, sed antequam in caput infans converti possit, quamlibet aliam figuram potius assequetur. Ideò I. accelerandus est hic partus, manibus infantis ad latera demissis; uterumque inungat obstetrix, & si opus sit, etiam sternutationem insufflato castoreo promoveat. II. Pessima verò figura est, quando ventrem primò ostendit & umbilicum, cruribus & manibus retrò inversis. Reponatur statim umbilicus ne refrigescat & intumescat, situs mulieris sit in dorsum, capite declivi, ut redeat infans; dein manibus butyro, vel oleo inunctis, blandè in caput convertatur, & brachia ad latera dirigantur: dein mulier exurgat, & ad pariendum se componat: Interdum tamen repositus infans sponte in naturalem figuram se convertit. III. Quando exit in pedes, manusque sursum protensæ sunt, vix absque illarum læsione educitur, nisi admodum parvus fuerit, uteri-

uterique os amplum, nec facilè adduci possunt, nec fœtus inverti, quin aliam figuram forsan pejorem nanciscatur. Tentandum tamen est aliquid, & si mater supina jaceat, declivi capite, clunibus elatioribus, fœtusque in uterum redeat, forsan postea commodiorem situm inveniet. Verùm id factu difficillimum est, præsertim si jam pedes fœtus exierint, satius esse credo infantis artus quosdam luxari, quàm in utero extingui, simulque matrem enecare. Sunt enim fœtus admodum teneri, nec possunt ad lubitum inverti stipitis instar, materque gravissimis doloribus divexatur. IV. Quod si pedes manusque distortas habeat, facilius sponte in naturalem situm redit, vel compressione uteri, vel agitatione matris. V. Si pes unus prodeat, alter retrahatur, parturiens ut dictum supina collocetur, sic retrocedente puero pes alter apprehendi potest, & sic ut primò dictum est, partus promoveatur, quòd facilius fiet, si manus sint ad latera demissæ, difficilius verò si sint in sublime erectæ. VI. Quod si in genua exeat, muliere ut dictum est, collocatâ, repellantur genua, ut situm primæ figuræ acquirat. VII. Si ambas manus profert, vix absque periculo luxationis evadit, declivi capite mulier collocetur, dein reponantur manus, ut dictum, quòd fiet, si humeris puerum apprehendat, & blandè postmodum invertat & brachia conjungat. VIII. Si unicum tantum brachium profert, statim reponendus est, quòd contactus aquæ frigidæ præstare dicitur, nisi infans sit admodum debilis, tunc reponatur blandè, butyro tepido inungendo & dirigendus ut dictum fuit. IX. Si manus ambas pedesque proferat, incurvus est, pariter mulier declivi capite collocetur, atque in uterum reponatur infans, ut situm hunc vel sponte, vel levi manus tractatione immutet, illum semper in caput dirigendo. X. Si anum exhibeat, reponatur statim, ne duplicatus & contusus pereat, quòd manu per nates & dorsum blandè directâ fieri potest, donec in caput convertatur. XI. Quando transversus latus profert, præceditque secundina, agendum ut prius, repellenda secundina, nates sublevandæ sunt, caputque ad os uteri dirigendum. XII. Si humerum primùm ostendit, facilius sub capite & collo ductâ manu in caput convertitur. XIII. Quòd si in faciem sese convertat, facilis deceptio esse potest, ne culum esse videatur, statim accelerandus partus, & facilè hæc figura emendatur. Ex contusione tamen puer deformis est & simus, quare eo edito, statim fricetur facies *oleo rosar.* & *hyperici*. Major difficultas est si duplex fuerit fœtus, & quidem si uterque rectâ figurâ in caput prodeat, eos seorsim,

non ſimul educet, nec alterum tamen prorſus dimittet, ne ipſius figura varietur. Quòd ſi uterque pedibus exeat, periculoſiſſimus caſus eſt, vix enim amplius inverti commodè poſſunt; ideò ut in ſimplici diximus, quàm commodiſſimè fieri poterit. Quòd ſi alter capite, alter pedibus ſeſe offerat, commodius eſt ſi fieri poſſit, eum primò educere, qui in caput converſus eſt, viam enim pro ſequenti amplificat, qui poſtea educi debet, ſicut de primâ figurâ diximus.

Si demùm fœtus ſit mortuus, omni arte eſt expellendus, antequam eo putreſcente ſæva ſymptomata ſubſequantur. Id autem præſtant, quæ vehementiſſimè menſes movent, facultatem irritant, quia fœtus mortuus amplius lædi nequit. Atque optimum ſimul iis uti, quæ vias lubricant, ut ſunt fotus & balnea mollientia, & ſimul aperientia, ut ex *cucum. agreſti, ariſtol. dictamno, ſtœch. geniſtâ, calamo aromat. praſſio.* ℞ *rad. lilior. alth. ana* ℥ *iij, rad. ciclam.* ℥ *j, bryon. ariſtoloc. rot.* ℥ *j* ß, *fol. pariet. malvæ, beton. dictam. thymi, rutæ, centauri. artem. praſſii ana M. iij, fol. ebuli M. ij*, fiat decoct. pro fotu, atque etiam pro injectione in uterum. Clyſter quoque emolliens cum multo oleo admodum prodeſt. Unguenta fiant ex *oleo lilior. irino*, cum *adipe anſerino, coloc. agar. felle taurino. Varandæus* laudat ſequens, ℞ *adipis lepor. vulp. ana. Cancrum vivum, lumbricos vivos*, terantur diligenter, frigantur in ſartagine, & applicentur, dicit extrahere fœtum vivum & mortuum. Extracto autem fœtu removeatur, ne ſequatur uterus. *Vnguent. de artem.* ſolum ſufficit. Quidam veſicam ſuillam imponunt, cum *aquâ artemiſiæ.* Suffitus fiant ex *opopan. galban. ſulph. myrrhâ, caſtor. ungulâ mulæ uſtâ, piſcibus ſalſis*, atque etiam ex prædictis. Peſſaria ex *galban.* & *oleo irino*, aut ex *benedict. coloc. cucum. agreſti, mercur.* aut ex *ſucco rutæ*, cum *ſcammon.* & *helleb.* aut ex *melle* cum *coloc.* & *elater.* vel peſſus ex lanâ aut linteis poteſt inungi prædictis unguentis, ℞ *galb. benjoini ana* ℥ *j, coloc.* ℈ ß. *elat. grana quinque, olei rutæ q. ſ.* fiat unguent. quo peſſus inungatur; ℞ *helleb. nigri, ariſtol. coloc. ana* ʒ ß, *ammon. opopan. ana* ʒ *j, elat.* ℈ *j, fellis taurini* ʒ *ij, terebint.* parum, cum lanâ & goſſipio fiant peſſi. Exhiberi per os poſſunt quæ ſuperius deſcripſimus ad partum difficilem: ℞ *borac.* ʒ *j, ſucci ſabinæ, vini albi ana* ℥ *j.* Miſce, laudatur à *Faventino*, ſicut & ʒ *j pulveris ireos florent.* aut *hyſſopi* cum *vino.* Valent quoque *troch. de myrrhâ, pilulæ de ſagap.* ℞ *myrrhæ, ſtyrac. caſtor. ſabinæ, ariſtol. aſſæ fœtidæ, cinnamomi ana* ʒ *j*, detur ʒ ß cum decocto *cicerum rubrorum*, aut *vino hippocrat.* aut *aqua cinnam. Pulvis baccarum lauri* commendatur. ℞ *ariſtol. rot. ireos, gentian. ana* ℥ ß, *fo-*

liorum

liorum rutæ, origan. artemiſ. ana M. j, ſabinæ M. ß, cicerum rub. P. ij. Coquantur in *vino*, & colat. dentur ℥ *ij.* Cathartica quoque proſunt, nam & fœtum præcipitant, & humores vitioſos vacuant, qui facilè in hoc caſu colliguntur. Inter purgantia *euphorbium* potentiſſimè id præſtat. Mirum quòd ſcribit *Villanovanus*, *lac humanum* potum extrahere fœtum, quòd non credo.

Si hæc non proſint, ad chirurgiam veniendum, & fœtus mortuus immiſsâ manu & vinculis extrahendus, aut demum unco Celſi excindendus & per fruſta educendus. Operationem *Paulus* optimè deſcribit, quæ apud eum legi poteſt. Cavendum autem ne ſecundina in utero remaneat, ideoque etiam leviter eximenda. Poſt cardiacis & probis juſculis roboranda eſt mulier, frigus aëris arcendum eſt, ut in puerperarum regimine dicemus. Partes faſciâ comprimendæ, venter fovendus decocto *artemiſiæ, abſynt. roſar. rub. fœnugræc.* vel involvatur pelle arietinâ recenter calente, liniatur *oleo roſ. chamæm. myrt.* cum *ſpermate ceti* & paucâ *cerâ*. De reliquis ſymptomatis in regimine puerperarum dicemus.

Interdum fit cæſarea ſectio, ſic dicta, quia cæſo matris utero fit; ſic prodiiſſe *Cæſarem* hiſtoriæ referunt, eamque *Roſſetus* & *Laurentius* maximè probant. Extinctâ quidem matre, non diu ſuperſtes poteſt eſſe fœtus, quia ſpiritum & reſpirationem habet à matre, ſed quia propriam habet animam & vitam, ideo aliquantulum vivere poteſt mortuâ matre. Facienda igitur ſtatim hæc operatio eſt, mater incidenda ut fœtus extrahatur; ſed vivâ adhuc matre id conari horrendum planè eſt, & temerarium videtur. Facile quidem, ſi matrem extinctam volumus, quòd eſt impium. Quomodo enim ſuperſtes mater eſſe poteſt, violatis epigaſtrii muſculis, peritonæo, utero & cum tantâ hæmorrhagiâ. Si dicas matricem totam ſublatam fuiſſe, & ex relatione *Albucaſis* & aliorum fœtum dilacerato utero in abdomen penetraſſe, & hâc viâ fuiſſe eductum. Reſpondeo, ſublatâ matrice, tantam vim non inferre abdomini, facilius ligatis vaſis ſiſti hæmorrhagiam. Et hiſtoriam *Avenzoaris* quod ſpectat, dici poteſt opera naturæ à Chirurgicis operationibus plurimùm diſſidere, quæ cum ſummo dolore, maximâ ſanguinis & ſpirituum vacuatione perficiuntur.

Poſſibilem autem eſſe hanc operationem, cenſent alii, interdumque etiam neceſſariam, ſi fœtus aliter matre ſuperſtite educi non poſſit, ut ſi nimium craſſus fuerit, cum monſtro, vel molâ carneâ conjunctus, vel ſi tu-

si tumor aliquis, aut callus uterum contraxit. Verùm id nunquam faciendum, nisi mulier sit robusta, alioqui prognostico relinquenda. Posse autem curari vulnera musculorum abdominis & peritonæi, experientia ostendit, etiamsi intestina exciderint. Nec metuenda est hæmorrhagia, quia parvæ illic sunt venæ; nec convulsio, quia sectio fieri debet in medio musculi, non in principio, aut caudâ, nam in medio nullæ sunt exquisitæ nervosæ fibræ. Nec reformidanda est magnitudo ulceris in utero, quia hæc est ejus natura, ut statim fœtu extracto in se collabatur, unde facilius consolidatur & circumjacentium partium calore fovetur. Nec major hæmorrhagia est, quàm in naturali partu, atque injectis remediis & assumptis vulnerariis potionibus potest sedari. Ideo censet *Rodericus à Castro* æque facilem esse hanc ac vesicæ ipsius sectionem ob calculum. Cùm enim contingat interdum uterum tanto apostemate affici, ut eum in hypogastrio aperire necesse sit, quidni idem fieri poterit in cæsareâ sectione? Operationem hanc, tum quid post eam faciendum sit, descripsit *Rossetus de partu cæsareo*, quo repetere Lector poterit. Addere volui historiam prodigiosam, quam rectè descripsit *Manialdus* Medicus *Burdigalensis*.

HISTORIA

DE PARTU PRODIGIOSO,

Qui visus est in agro *Gradiniano* juxta *Burdigalam*, Anno M. D. XCV. mense Augusto.

STEPHANI MANIALDI *Medici* Burdigalensis *in eandem historiam observatio.*



IRALDA *Fontana* conjunx *Grimonis Tiaci* villici in agro *Gradiniano*, haud procul urbe *Burdigala*, annos triginta nata, fœtus octo jam enixa, in quo numero editi sunt postremo partu gemini, Anno 1591, mense Martio, iterum utero gestare cœpit: cùmque fœliciter ad nonum mensem & partus gerendi & pariendi statutum tempus pervenisset, dolor continuus lumbos & inguina fatigat; tormina vexant, locelli humectantur. Accersitur obstetrix, gravidam partui exponit, ad enixum hortatur, effertur humor len-

tus,

tus, aquosus & copiosus: vanus tandem & irritus parturientis conatus. Ab eo tempore mansit in utero sine motu fœtus, utpote intus emortuus. Symptomata tamen quæ fœtum mortuum comitantur, aut nulla, aut pauca supervenerunt, nec illa multum gravia: adfuit ventris gravitas & spiratio graueolens: purgationes non apparuerunt. Post hæc mulier nec fœtus motum, nec tormina sentiens, nullisque gravioribus doloribus divexata, insignem tantùm in abdominis parte dextra tumorem deprehendens, consilio Medici cathartico duobus diluculis corpus expurgat. Purgatio tumorem nec tollit, nec minuit. Post aliquot dies ægrota sanitati restituitur, rebus rusticis gerendis dat operam. Ex utero sano per biennium menstrua certis statisque temporibus fluxerunt, donec mense Majo, anno 1594 rursum concepit: venter intumescit, elucent veræ conceptionis signa; suo tempore concepti fœtus motum observat. Octavo tamen mense cùm sentit fœtum inordinatè & violenter moveri, premitque dolor in lumbis & in imo ventre, memor præcedentis ἀτυχίας unam atque alteram convocat obstetricem, oratque ut omnis adhibeatur diligentia, ne sibi, vel fœtui, calamitas ulla superveniat. Obstetrices ubi manum ventri admoverunt, nullum deprehendunt motum, evanescunt tormina, frigus in imo ventre sentitur: statimque suspicantur, vel extinctum fœtum, vel ementitam graviditatem: sic miseram illam ærumnis & doloribus confectam & afflictam, non tamen fractam aut victam deserunt & naturæ committunt. Ex utero per tres ferè menses mali odoris sanies profluxit: apparet tumor durus & ingens in parte abdominis læva, remanetque superstes adhuc manifestus & admodum molestus in altera abdominis parte tumor. Mulier interea propter ingestabile utrumque hoc onus, & propter malignos ex utroque fœtu emortuo enascentes vapores exanguis & exanimis, cùm nec rebus gerendis vacare nec stare posset, lectulo decumbere cogitur: sensim tamen moribunda miraculo quodam ex orci faucibus eripitur. Natura enim, quæ solet esse sui conservatrix, alienatum ab integro, mortuum à vivo separare contendit; mense etenim Junio, anno 1595, in ipso solstitio, abscessum molitur circa umbilicum in dextra abdominis parte. Huic cùm vicina mulier aliquid puri movendo accommodatum imposuisset, tandem adapertus est secundo die mensis Augusti, ex quo fœtidi puris ingens erupit copia, & cum eo subpallidum os excernitur, quòd admirata mulier, cùm in abdomine non sint ossa, Chirurgum paganum convocat, qui abscessum jam apertum, specillo

cillo explorans ossa deprehendit, quòd etiam ipse miratus, Jacobum Noierum Chirurgum Burdigalensem τῆς ἐμβρυουλκίας peritum in consilium adhibendum censet, qui ubi foramen abscessus videret angustius, incidit, donec satis pateret: tum ferramentis ad id paratis emortui & jam à quatuor ferè annis corrupti fœtus ossa frustillatim excernit: cùmque idem tentaret in altero fœtu, qui à novem ferè mensibus in læva parte abdominis jacebat extinctus, pallidam & languidam mulierculam deprehendens, negotium in aliud tempus distulit, mihique hujus rei mirandæ novitatem & raritatem communicat. Ego nullam moram interponendam putavi, quin rem istam admirabilem viderem: itaque confestim ad mulierem ire perreximus decimo sexto die mensis Augusti, tum ut in hoc gravissimo & periculi pleno casu mulieri suppetias ferrem, tum etiam ut incredibilem hunc partum αὐτοψίᾳ ipsa confirmaret. Ascivi etiam de industriâ *Joannem Danetum* & *Leonardum Villechabrolum* Chirurgos *Burdigalenses*, ut hæc res multorum oculis esset testatior. Ad eam cùm pervenissemus, primùm percontati sumus, quemadmodum se haberet, tùm præteritorum affectuum naturam, causas, signa ab ipsa ægrotante, à conjuge, ab obstetricibus & ab aliis, qui adfuerant, cognoscere voluimus. Quæ ubi longa satis inquisitione fuerunt explorata, bono & forti animo illam esse jubemus, omnibus artis nostræ præsidiis opem nos laturos bonâ fide pollicemur: tandem locum affectum ventrem nempe ipsum inspicimus, in quo abscessus foramen, in dextra abdominis parte juxta umbilicum observamus, per quod fœtus prioris emortui ossa cum copia puris excreta fuerunt: in læva verò parte abdominis, tumorem insignem eumque tactu durum deprehendimus, ibique extincti fœtus posterioris calvariam subesse prædiximus. Quam cùm per foramen abscessus educere nos posse non videremus, quoniam jam illud carne replebatur, de dilatando orificio cæpimus cogitare, vel de epigastrio sinistro incidendo, totumque negotium in alium diem differimus. Vigesimo ejusdem mensis Augusti die rursum ægrotantem invisimus cum iisdem Chirurgis. Adfuerunt præterea Dominus *Brietus* Medicus peritissimus, *Joannes Eimericus*, *Joannes Duvernacus* Chirurgi, *Sebastianus Cavaillanus* Pharmacopœus, qui non solùm rei hujus admirandæ spectatores oculati esse voluerunt, sed fuerunt etiam mulieri ad recuperandam valetudinem cordati authores. Itaque tunc communicatis consiliis, quod abscessus foramen angustius videbatur, in altera abdominis parte procul ab abscessu, secandum epi-

gastrium statuimus, qua parte eminebat tumor, quem demortui fœtus calvaria denotabat. Sectionem respuebat mulier: cùm tamen necessariam esse persuasissemus, exhibuimus potionem cardiacam, ne vires deficerent: statimque præcidimus abdomen, & per locum incisionis, emortui fœtus ossa membratim eduximus, & protinus vulneris oras quinque suturis junximus, sperantes reliquum puris per abscessus foramen excludi facilè posse; ex quo tamen foramine jam calloso, in posterum nonnihil puris effluxurum reformidamus. Cæterùm impositis quæ vulnus incisionis glutinarent, mulier brevi curatur, & deposita utriusque cadaveris molestissimâ mole, pristinæ sanitati restituitur, qua etiam nunc integra fruitur, præter omnium spem, admirando Dei beneficio. αὐτῷ ἡ δόξα εἰς ἡμέραν αἰῶνος. Αμήν.

Stephani Manialdi *Medici* Burdigalensis *in eandem Historiam observatio.*

Divinum & admirabile est summi opificis opus & institutum, quòd ad conservationem singulorum generum machinatus est, & ad propagandam successionem tanquam unicum perpetuitatis subsidium excogitavit, ne viventium omne genus conditio mortalitatis extingueret. Generatio certè hominis nobilissima est, & quoddam veluti naturæ miraculum: cujus opificii solertiam incredibilem si quis velit attentius speculari, mente admirari poterit, non voce effari, nec pro dignitate recensere. Molestus essem & ineptus, si de hominis conformatione copiosius hoc loco vellem differere: à proposito enim me longiùs abduceret nusquam alibi spectatior hæc naturæ fabrica: Itaque ad historiam venio. Mulier hæc firma corporis constitutione & integra sanitate fruens, ante trigesimum ætatis annum, octo fœtus, inter quos postremi gemini fuerunt, fœliciter utero gestavit & in lucem protulit. Cùm autem nonus fœtus ad nonum mensem pervenisset, nescio quo fato in utero extinctus, nulla fœtæ contentione excludi nulla obstetricis attractione educi potuit: quòd non ita mirum, fœtus enim emortuus μέγα αἴτιον τοῦ μὴ ῥηιδίως ἀπιέναι, hoc verò mirandum, quomodo mulier in vitæ discrimen non venerit, intus emortuo & putrescente fœtu, quùm secundæ relictæ & in utero putrescentes sæpius puerperam in mortem præcipitent. Illud omnem admirationem longè superat, fœtum mortuum in matris alvo quatuor annos remansisse. Quòd sequitur,

non

non tantùm mirabile, ſed potiùs incredibile videtur, mulierem eo tempore non modo ſine vitæ periculo & abſque corporis moleſtia fuiſſe, ſed ſanam vixiſſe, rebus ruſticis operam dediſſe, menſes ei per biennium fluxiſſe ſtatis temporibus: tandem quòd eſt θαῦμα θαυμασιώτατον, iterum concepiſſe, fœtum in utero per octo menſes ſanum geſtaſſe, eundemque tum mortuum, per octo alios menſes pertuliſſe in alvo, & tandem duorum horum cadaverum depoſita ſarcina, non modò ſuperſtitem, ſed firma & integra valetudine fruentem, etiam nunc vivere dum hæc literis mandamus menſe Decembri anno 1595. Ampliſſimus ſane diſputationis campus ſeſe nobis offert, in quo tamen latius ſpatiari nec libet, nec licet. Ne quis verò partum hunc incredibilem judicet, oſtendam primum, nihil novum aut inauditum contigiſſe; deinde cur hæc ſic evenerint, cauſas explanabo. Extant in Medicorum veterum & recentiorum monimentis ſimilia exempla, quorum nonnulla in medium proferam, ut hujus etiam partûs veritas eluceſcat. *Albucaſis* inter *Arabes* nobiliſſimus Medicus & Chirurgus, *ſecundo libro methodi medendi*, ſimilem ferè hiſtoriam deſcribit his verbis: Vidi ego mulierem, in cujus ventre mortuus erat fœtus, nihilominus imprægnata, poſtea mortuus fœtus etiam ſecundo conceptus. accidit ergo ei poſt longum tempus abſceſſus in umbilico, & in tumorem attollitur & increſcit, donec apertus cæpit emittere pus. Vocatus ſum ergo ad curationem ejus; & cùm multis remediis impoſitis coalefacere non poſſet vulnus, ſuperpoſui medicamenta valdè attrahentia, & ſic excretum fuit os, & paucis poſt diebus exivit & aliud os; miratus ſum ergo, cùm in ventre non ſit os; cauſam tamen diligentius expendens & mecum omnia repetens, deprehendi eſſe oſſa fœtus emortui. Cauſa igitur morbi certò cognita, medendique rationem hanc ſecutus, extraxi oſſa multa, mulierque priſtinæ ſanitati reſtituta, diutius poſtea vixit: ex ulcere autem ſemper puris nonnihil fluxit. *Mathias Cornax* Medicus *Cæſareus* ſcribit hoſpitam quandam *Viennæ* in *Auſtriâ* quatuor annos fœtum emortuum in abdomine geſtaſſe, qui ex cavitate uteri putrefacti penetraverat in vacuum abdominis ſpatium inter inteſtina & peritonæum: cùmque tumorem ingentem in ventre excitaſſet, adapertus eſt in medio epigaſtrio, ut vacuaretur abſceſſus. perque illud foramen ejectus fuit fœtus non ita corruptus, quòd mirum eſt, quin facile virilis ſexus diſcerneretur. Illa verò ſanitati reſtituta iterum concepit, fœtumque ad legitimum pariendi tempus tulit, ſed propter pariendi difficultatem, cum

fœtu

fœtu perit mater, ex cujus ventre post obitum detractus fuit fœtus. *Ioannes Langius* Palat. electorum ἀρχίατρος *epist. 39. lib. 2.* admirandam fœtus in utero mortui excretionem recenset his verbis: *Andreæ* cujusdam uxor, fœtum viventem aliquot menses in utero gestaverat; & quùm jam tempus enixus appeteret, ubera ejus prius turgida lactis aquosi rore madebant, ac decrescebant, nec puer in utero subsiliit, quæ signa fœtum mortuum testabantur. Tandem fœtus in matrice computruit, cujus de cruribus & cranio ossa denigrata & carie obsita, incredibile dictu, sed verum, quùm mulier ob intestini exulcerationem alvi profluvio laboraret, tandem anno decimo, non per uteri ostiola, sed per anum excrevit: mulier tamen illa vel hodie adhuc est superstes. *Rondeletius* Medicinæ Professor regius in scholâ *Monspeliensi, libri tertii methodi curandorum morborum cap. 65.* scribit se vidisse puerum in utero putrefactum & frustulatim rejectum, relictis magnis ossibus in eodem utero per longum tempus, quæ post in utero matris mortuæ reperta sunt. Uxor autem fuit Chirurgi *Monspeliensis*, qui post mortem ut causam alicujus interni affectus cognosceret, passus est illam dissecari. Quid memorem portentosam illam & gypseam lithopædii sive embryonis lapidei & instar Niobes indurati in utero per 28 annos gestationem in civitate *Senonensi?* quam *commentario septimo* in *Hippocratis librum priorem de mulierum morbis* elegantissimè recenset *Mauricius Cordæus* Medicus *Parisiensis* doctissimus. Multa præterea similia exempla possunt proferri, sed diutius in his recensendis non immorabor: ad occulta enim & abstrusa naturæ opera, quæ in hoc partu apparuerunt, mea festinat oratio, si prius de naturæ miranda vi pauca dixero. Natura ab antiquis philosophis variè usurpatur. Fuerunt enim qui naturam vocarunt primum rerum omnium principium. Alii dixerunt esse rerum omnium matrem, quasi dicerent, omnia sua sponte esse nata. Alii Naturam esse censent vim quandam sine ratione cientem motus in corporibus necessarios. *Aristoteles* Naturam facit duplicem, materiam & formam. *Stoici* uno naturæ nomine duas res diversissimas comprehendunt, Deum & Mundum, Opificem & opus: Zenoni natura dicitur ignis artificiosus ad gignendum via progrediens. Communis loquendi ratio recipit, ut quòd est insitum quibusque rebus, Naturam appellemus. Medici Naturam definiunt temperamentum in spiritu & humido primigenito situm. Alii credunt esse universam substantiam & temperiem, quæ ex primis quatuor qualitatibus conflatur: & *Galenus* scribit, hoc esse φύσιος significatum

tum κυριώτατόν τε καὶ πρῶτον. Quibusdam natura est calidum innatum, quòd saltem est primum naturæ instrumentum: & naturæ sanè mirifica est vis & admiranda potentia, non solùm in homine formando, alendo, augendo, cùm sit omnium functionum naturalium causa, sed etiam in conservando & à mortis injuria vindicando: in morbis enim crises molitur, humores noxios coquit, à bonis secernit & tandem excernit, & in hâc parte occultos & arcanos naturæ motus sæpius admiramur, vel, ut veriùs loquamur, plurima à naturæ conditore præter naturæ ordinem fieri videmus. Quòd in hoc partu prodigioso quis non videt? quomodo enim fœtus emortuus putrescens uterum non affecit? qua via ex utero egressus abdomen occupavit inter peritonæum & intestina? qui utero lacero & putredine corroso, medicam manum a[l]movit? quo remediorum anxio apparatu potuit coalescere & pristinum robur recuperare? quomodo denique per biennium fluxerunt menses iterumque concepit? Crescit certè apud me hujus rei admiratio, dum omnia diligentius inquiro. Sed jam horum etiam causas ex medicinæ adytis & Medicorum edictis depromamus. Si secundæ (sic secundum fœtus domicilium & internum infantis velamentum nominant) in utero diutiùs retineantur, dolores, labores & pericula non contemnenda imminent: putrescentes enim in utero, non exiguam noxam afferunt stomacho, cordi, cerebro, fœdis vaporibus ad eas partes transmissis. Venter etiam durior intumescit, suffocatio non raro accidit & stranguria, præterea febris, aliaque gravia & periculosa symptomata succrescunt. Ex fœtu vero mortuo hæc eadem, sed multo graviora nascuntur: sæpiusque matri calamitas supervenit cum anorexia, siti, horrore, dolore, dentium stridore, graveolente spiratione, ventris intensa frigiditate, febre, delirio & mortifera nervorum distentione. Quod si ocyus non eximatur emortuus intus fœtus, ex ingenti frigiditate tantam labem concipit uterus, ut vix postea ad antiquum reducatur statum. Nihil tale puerperæ huic contigit, sed brevi partus doloribus vacua sanitati restituitur, & uteri ipsius œconomia nullo modo labefactatur, imo intra paucos menses ex naturæ præscripto menstrua purgatio erumpit, statisque & certis temporibus recurrit. Mira solent esse naturæ robustæ & benè temperatæ opera: rectè à *Galeno* dictum, vires valentes & robustas omnia contemnere & tolerare, infirmas verò abs quovis offendi. Sed ne diuturniore in utero mora fœtus emortuus partes principes offenderet, natura, quæ solet esse ad noxii expulsionem

quàm

quàm ad utilis attractionem diligentior, exitum brevi molita est? & erosa ea uteri parte, quæ inguini adjacet fœtum mortuum expulit ad inane illud spatium inter peritonæum & intestina quòd in abdomine subest. Sic natura licet ἀρκεῖ δ' αὐτῆς καὶ ἀδίδακτος locum convenientem delegit, in quem sarcinam cadaveris extincti detruderet, & vere dixit *Hippocrates* ἀνευρίσκει ἡ φύσις ἑαυτῇ τὰς ἐφόδους, natura sibi viam molitur: & si robusta sit, materiam etiam crassam per exiles transmittit meatus, & per ossa etiam abscessus. Cæterum per inferiorem & orificio uteri vicinam partem fœtum hunc expulsum fuisse, fidem mihi fecit uxor *Guilielmi Motæ* Bibliopolæ *Burdigalensis*. Cùm enim hæc per triduum aut quatriduum in difficili & laborioso partu fuisset, tandem cùm languerent vires, dum sudor frigidus erumperet, nec moveretur partus, accersor ipse Calendis Septembris, anno 1595, ut potionem præscriberem, quæ fœtum propelleret. Ego dum video puerperam ægrè membra sua attollentem, somno oppressam cum languido & debili pulsu, dum animadverto mollius esse corpus parturientis & colorem subalbidum, dum etiam deprehendo frigere abdomen, prædico fœtum esse mortuum, & matri in propinquo adesse mortem. Itaque reficiendis matris viribus præscribo cardiacam potionem ad fœtum educendum, enema injiciendum suadeo, ut hoc pacto irritata natura cum excrementis fœtum etiam mortuum deturbaret. Sed frustra omnia & assumpta & injecta fuerunt, mater enim obiit sequenti nocte. Pater verò Chirurgum statim convocat, qui fœtum quem suspicabatur superstitem, ex utero per incisionem eximeret. Chirurgus epigastrii sinistram partem sectione cùm aperuisset, fœtum emortuum deprehendit inter peritonæum & intestina, qui inferiorem uteri partem sinistram ad inguina corrodendo penetrarat; cujus rei spectatorem me voluit esse. Ibi ego & uteri crassitudinem duorum saltem digitorum & partem uteri corrosam admiratus sum, & statim conjeci eam esse partem, quæ in partu hoc prodigioso exitum præbuit cadaveroso utrique fœtui.

Difficilis nunc & penè inextricabilis superest quæstio, quo modo corrosus uterus matri non fuerit exitialis, & quibus viis sanus factus coalescere potuit. Primum quidem hujus quæstionis caput non ita obscurum videri debet; quamvis enim ulcera uteri contemnenda non sint, quòd locus excrementis & putredini pateat, quodque nervosæ sit substantiæ, tum quòd periculosiora videantur ulcera, quæ ex corrosione sunt orta, cujusmodi fuerunt ista à putrescente fœtu utrinque excitata,

attamen quotidianus rerum eventus & Medicorum omnium consensus docent non esse insanabilia uteri ulcera, ὅλη γὰρ ἡ μήτρα πολλάκις ἰσορῆται ἀφαιρεθῆναι, καὶ θάνατον ἐπὶ τούτοις μὴ ἐγγενέσθαι. Constat plerumque, tota ablata matrice, mortem non inde sequi, ut testatur *Paulus Ægineta*. Uterus enim non solum procidit, sed etiam in quibusdam præciditur, nec tamen mortem affert, ut *Themiso* literarũ monimentis consecravit. Scribit etiam *Soranus*, in *Gallia* sues habitiores & validioris alimenti fieri postquam uterus abscissus fuerit, quòd nemo non observat quotidie. Alteram quæstionis partem paulò obscuriorem jam explicemus, & fateamur verissimum esse senis illud oraculum, νούσων φύσιες ἰητροί, naturas morborum esse Medicos. Hominis certè natura semper præcipuus & internus est morborum Medicus; ἡ φύσις ἁπασῶν τεχνῶν πρώτη καὶ κυριωτάτη ἰάσεως à *Galeno* merito censetur. Arcanis quidem & occultis motibus ea perficit natura, quæ fieri non posse videntur. Sic insanabiles quidam morbi naturæ potentia & bonitate superantur, eaque sæpe sine Medici officio morbos pellit: Medicus verò nunquam sine naturæ ope vel minimam ægritudinem potest propulsare, ut verum sit illud vetustissimi Medici, οὐδὲν ἄνευ φύσεως γίνεται. quòd in hac puerpera luce meridiana clarius apparet: siquidem natura viribus suis utens, nostra cognitione profundiora peregit. reconditis enim & arcanis viis uteri utrunque ulcus ad cicatricem perduxit, quòd nec solers Medicorum industria, nec operosa Chirurgorum manus fortasse præstitisset. Sic naturæ solertiam nulla ars, nulla manus, nemo opifex consequi potest imitando, ut pereleganter à *Marco Tullio* dictum est. Quis enim crederet uterum remediis è naturæ sinu depromptis, non solum integrè sanum redditum fuisse, sed etiam ad concipiendum aptum idoneumque prioris fœtus cadavere ex matris alvo nondum expulso? Multa certè fieri non posse judicantur, priusquam sint facta; & in multis naturæ vis fide caret, in iisque occultis naturæ operibus non ratio semper quærenda subtilius, sed cum admiratione spectandus effectus, fatendumque est multa in corporibus nostris quotidie fieri, quorum vim naturamque perspicere non possumus. Soli autem naturæ opifici naturæ opera perfectè nota sunt, qui causis omnibus naturalibus liber & solutus naturam ad ea peragenda dirigit, quæ humanæ mentis captum excedunt. Ego autem imbecillitatis meæ mihi conscius, & tenuitatis ingenii mei non immemor, nolo altiùs hæc mysteria scrutari, nec curiosiùs arcana naturæ rimari: nolo etiam posteros hoc raro & mirando spectaculo fraudare,

dare, nec recondere & intra me unum perire quæ vidi & novi: ab occultandis enim iis quæ hominum vitæ prodesse possunt, mei mores plurimum absunt. Itaque hanc historiam ex fide descripsi, fidisque testibus confirmavi, ut ea fidem apud posteros posset invenire.

Cap. VIII.

De Regimine Puerperarum.

Semper autem maxima cura habenda est earum quæ recenter peperunt, parum enim à vulneratis differunt, adsunt enim sanguinis fluxus, contusiones post labores, virium dejectio. Statim igitur edito partu mulier in lecto collocetur, cubiculo obscuro, illicque in summâ corporis & animi quiete contineatur, quamvis quædam rusticæ & validiores statim à puerperio ad consuetos labores redierint, quòd periculosum est, nec facilè imitandum. Aër calidus esse debet, aut temperatus, nunquam frigidus. Nam edito fœtu uterus inanis facilè offenditur frigore, unde suffocatio uteri, tormina, febres, lochiorum suppressio, uteri inflammatio, tumor à flatibus, febres & pleraque gravia symptomata, nimium calidus aër vires dissolvit. Occludantur igitur fenestræ cubiculi & lintei velamina, ne luce spiritus dissipentur, viresque debilitentur. Crura habeat decussatim collocata, ut impediatur transitus aëri frigido, & lata fasciâ venter ligetur. Humores tamen fluentes spongiâ, aut mollibus linteis, aut pulvino furfure repleto excipiantur & sæpius mutentur ne fœtorem contrahant, & blandè loca hæc detergeantur. Cavendum sedulò ab odoratis, maximè in illis quæ facilè ab his afficiuntur, ne uterus irritetur. Nocent quoque affectus animi graviores, ut mœror, terror, iracundia, atque etiam nimium gaudium, quia spiritus agitant, pravos humores commovent, possuntque interdum fluxiones consuetas remorari. Imperetur autem silentium, nam puerperam multùm & intentâ voce loqui noxium est, sic & arceatur adstantium strepitus: Ideo omnia puerperis necessaria præstò sint, ne sæpius huc illuc discurrendo, clamando, fores cubiculi aperiendo, quies puerperæ interturbetur. Illico autem post partum vires cibis idoneis reparandæ, tenuissimis & sorbilibus, ut pauco *vino hippocratico*, aut *jusculo consummato*, *vitello ovi* cum *cinnamomo* & *sacchato* in *vino* decocto. Singulæ nationes suas habent fercula conficiendi rationes, ut *Angla* juscula præ-

parant ex *cerevisiâ* vel *vino*, cum *ovis*, *mace*, *cinnamomo*, *saccharo*, cum pauco *pane*, quæ non sunt improbanda. Non sunt tamen puerperæ sæpius nutriendæ & plenius, nam ex *Hippoc.* à repentinâ & copiosâ vacuatione non est statim ad plenum victum properandum. Moderata igitur & tenuis sit victus ratio, ut in magnis vulneribus; nam plenior humores noxios multiplicat, quoniam ob virium imbecillitatem probè concoqui nequit. Unde reprehendendæ sunt obstetrices & adstantes mulierculæ, quæ cibo & potu replent puerperas: & reverâ puerperæ à vulneratis parum differunt, patiuntur enim solutionem continui, atque etiam interdum magnam contusionem, membranæ enim sæpè disrumpuntur & contunduntur, excoriantur & ulcerantur, unde increscente sæpe putredine fit gangræna. Sint autem alimenta boni succi, facilis coctionis, paucorum excrementorum, flatus expertia, nec præter modum calefacientia, ut sunt panatelæ, juscula, ova recentia, atque per aliquot dies à carne abstineat, sed sensim victus augendus & concedendæ carnes delicatæ *pullorum*, *gallinarum*, *hœdorum*, *vitulorum*, *avium montanarum* & similes. Potus sit vinum tenue, album, minus generosum, quamvis satius foret primis diebus prorsus abstinere à vino, metu febris, cujus loco bibant *decoctum cinnamomi*, *coriand. glycirrh. passul.* aut *cerevisiam*, cavendo ne quid valdè frigidi primis diebus edant, vel bibant, metu torminum. Sensim igitur peractâ lochiorum purgatione surgere incipiant & paululum deambulare, ad partes confirmandas & excitandum calorem nativum. Quædam non ante vigesimum diem surgunt, aliæ autem citius, quæ sunt robustiores, cavendum tamen ne admissis intro flatibus & recepto aëre frigido intus tormina fiant. Ideo etiam primis diebus non sunt mutanda indusia, ne humores agitentur & aër frigidus subeat: Sed nunquam ante diem quadragesimum domo exeant.

Statum autem à partu ad levandam contusionem & lassitudinem, quidam eas involvunt pelle arietinâ adhuc calente, aut inungunt & fovent *vino rubro* calente, cum *oleo chamæmelino*, *mastiche*, *citoniorum*, *myrtil.* vel *amygdal. dulcium*, *rosar. liliorum*, *hyperici*, & *spermate ceti*. Ipsi quoque propinant *olei amygd. dulc.* ℥ *ij*, *syrup. adianti* ℥ *j*, *vini albi*, *aquæ pariet. ana* ℥. *j*; sic lenitur aspera arteria post clamores, promoventur lochia, præcaventur tormina.

Antequam domo exeant & ad consueta munia redeant, utile erit balneum, vel laconicum post lochiorum purgationem, quia sordes abluit, partes roborat, humores vacuat & deterget, maximè in biliosis & maci-

macilentis, nam in phlegmaticis qui crudis humoribus abundant, utilius est laconicum præmissâ levi purgatione. ℞ *rad. acori, enulæ, lilior. ana* ℔ j, *fol. artemis. major. agrimon. borrag. rosar. rubrar. balaust. ana M. iij*, *sem. lini*, *fœnugræc. nucum cupressi*, *granorum myrti ana* ℥ j, *flor. chamæm. melil. stœchad. ana M. j*, fiat decoctio pro balneo. Balneum ex *lacte*, in quo plantago *agrimon. hypericum rosæ* bullierint, sufficiet, vel loco *lactis* utatur *vino*, in quo decoque *tapsum barbat. centinod. caudam equinam, balaust. rosf. calam. aromatic. iridem*, &c. Nec cibo autem, nec potu utatur in balneo, sed paulò antè sumere potest *jusculum*, aut vitellos ovorum. Atque post balneum ad facilitandam iterum conceptionem quædam utuntur suffumigiis. Sequens laudat *Varand.* ℞ *sant. citr. cort. citri sicci*, *nucis moschatæ ana* ʒ ij, *granorum kermes, nucum cupressi ana* ʒ j, *caryophyl. cinnam. ana* ℈ j, *benjoini, styrac. ligni aloës ana* ʒ ß; fiat pulvis ad suffitum. Vel prædicta decoquantur in *vino albo*, addito *schœnantho* & *alumine*, vaporemque utero excipiat. Sed mulieres nostræ non solent uti balneo, aut suffitu, & tamen iterum probè concipiunt.

Cap. IX.

De Retentione Secundinæ.

Varii autem affectus puerperis contingere solent, vel ob secundinarum, vel ob lochiorum vitium, de quibus hoc loco agemus. Secundinas quod spectat, debent illæ in fœlici partu statim post fœtum exire, aut etiam cum ipso, ut quando fœtus amnio tunicâ involutus prodit, atque etiam cum minimo dolore & conatu. Nam si retineantur gravibus doloribus, aliisque symptomatis excruciant puerperam, quasi secundus partus foret. Interdum autem adhærent utero nondum solutis acetabulis, quoniam tenuiores cum sint à fœtu facilè disrumpuntur. Interdum ab utero solutæ alicubi in illius capacitate, remorantur, instar globi cujusdam involutæ. Retinentur autem, vel quia ob crassitiem tenacius utero alligantur, aut quia ob tenuitatem facilè fœtus gravitate disrumpuntur, aut quia ob magnum partus dolorem ex affluxu sanguinis intumescunt, atque etiam inflammantur, aut si citius quàm par est, abscissus fuerit umbilicus, tunc enim sursum in uterum retrahitur. Idem causarum externarum vi contingit, ut ob aërem frigidiorem, qui vias coarctat, omnes evacuationes supprimit, aut ob

aquæ

aquæ frigidioris potum, balnei usum, odores gratos naribus haustos, qui uterum sursum alliciunt, gravia animi pathemata, insperatum terrorem, timorem, patientis morositatem, quæ nec conatus ad pariendum necessarios adhibere vult, nec situm convenientem observare.

Facilis est affectus dignotio, & si diutius morentur non solum inutiles, sed etiam admodum noxiæ evadunt, cùm enim putrescere incipiunt, gravia fiunt symptomata, venter intumescit, dolet, calor insuetus & febris fatigat, tetri ex fœtente materiâ elati vapores cerebrum, diaphragma & reliqua viscera offendunt, unde fiunt deliria, lipothymiæ, nauseæ, dyspnœæ, convulsiones epilepticæ, frigus extremorum, omneque hystericorum symptomatum genus, tandemque mors. Si puer absque magno dolore in lucem exierit, affixas utero esse membranas, nondumque integrè solutas probabile est. Semper igitur periculum portendit ejusmodi retentio, melius est si retenta in saniem versa effluit. Mirum est uxorem coriarii has membranas septuagesimo die putrefactas exclusisse. Sic vidit *Rondeletius* puerum putrefactum & frustulatim rejectum, relictis in utero matris magnis ossibus. Sic vidi mulierem quæ quinquagesimo die post partum maximis divexata symptomatis, alterum fœtum exclusit totum in saniem conversum: Ut non mirum sit si interdum, quamvis rarius, secundina in utero diutius quàm oportuerat, remaneat, sæpe tamen ob usum medicamentorum acrium fit ulcus in utero.

Secundinæ igitur si utero sint alligatæ & convolutæ, ab obstetrice sensim extrahi debent integræ, non frustatim, nam minima illarum portio gravissima inducit symptomata, faciliusque est integras extrahere, quàm per frusta. Non debent autem educi, subitò & violenter, enixa enim labore partus fatigata benignè tractanda est, aliàs si non obediant trahenti & vi trahantur, periculum est ne inflammatio concitetur, aut ne simul cum secundinis uterus ipse procidat, aut exulceretur, aut vasa rumpantur, hinc enim tum periculosa hæmorrhagia, tum gangræna succedere potest. Leviter igitur trahantur, quamdiu umbilicus ab obstetrice tenetur, ideo non est secandus aut relinquendus antequam exierint; verùm si diutius morentur, utile erit illum secare ne fœtus lædatur, sed manu tenendus, aut filo coxæ puerperæ alligandus, ne sursum redeat. Post sensim attrahendæ sunt membranæ, non rectà, ne uterus suâ sede moveatur, sed quasi in orbem ducendo. Potest quoque obstetrix manum in uterum immittere & blandè circumagat & sic educat.

educat: Quòd si solutæ fuerint, ab utero facilius & sine periculo educentur. Sed præterea ea fieri possunt, quæ secundinas vi quâdam deturbant, ut sternutatio; *aphor. 49. lib. 5. Vt secundæ procidant, sternutatorio indito, nares comprime & os*; fiat autem ex *castorco, pipere, helleboro*. Tussis quoque vehemens, anhelitus compressio, excitant facultatem expultricem: tum iis utendum est, quæ fortiter menses retentos & fœtum mortuum expellunt, internis & externis, de quibus diximus, ut sunt *borax, senecta anguis ad* ʒ j, cum *vino*, aut *mulsâ*, aut decoctio *fœnic. anchusæ, mercurial. sabinæ, artemis. Gesnerus* commendat pulverem *testiculorum equi. Oleum amygd. dulc.* cum pauco *croco* etiam à quibusdam laudatur. Decoctum *galangæ* cum *schœnant.* & *olei ligni junip. gutt. xxx.* ex *Rulando, trochisci de myrrhâ, aqua fabarum, bryoniæ, croci* destillata. ℞ *myrrhæ, castor. sem. dauci, porri, dictam. ana* ʒ j; fiat pulvis, qui detur cum *vino*. *Balsamum Indicum* ad ʒ ß cum *vino* sumptum, secundinam expellere dicitur, superhausto lactis calentis cyatho, sed fœminam efficere sterilem creditur. Pulverem quoque *secundinæ ovis*, vel *capræ*, vel *mulieris* cum *vino* potum *Aëtius* probat, atque etiam si excipiatur melle & indatur formâ pessi, quin etiam, si adhuc calens applicetur ventri parturientis, partus erit facilior. Prodest quoque *oleum succini*, & secretum quorundam est, *succum cape* deglutire, *vinumque calidum* superbibere. ℞ *trochisc. de myrrhâ, boracis, castor. ana* ℈ j, fiat pulvis, sumendus cum decocto *dictamni, sabin. aristol.* Demum eadem, quæ *de fœtu mortuo* diximus, huc referri possunt. Pessus ex *leporis coagulo* & *croco* secundinas educit: fieri quoque potest ex *allio, mercur. assâ fœtidâ, gent. galb. sagap. elater. succo ireos, coloc. helleb. sabinâ, felle taurino, succo porri*. Ex prædictis fieri potest injectio in uterum, fotus, cataplas. Unguentum ex *senectâ anguis*, cum *rutâ, artemis. absynth. lupinis*. Suffitus ex eâdem *senectâ anguis*, sicut ex *ungulâ asini, capræ, stercore columbino, sem. porri. thure, styrace, galb. myrrhâ, spicâ, schœnant.* & aliis aperientibus, mensesque moventibus. Quæ autem nares afficiunt, fœtida esse debent, ut in suffocatione hystericâ, & quæ subtus suffiuntur debent esse odorata, aut saltem nullo gravi odore prædita. Fieri quoque potest suffitus & insessus ex decoctis *rutæ, aristol. abrot. nigellæ, ebuli*: Nec inutilis est frequens usus clysterum, qui alvum purgant & excretricem irritant: Cucurbitulæ fœmoribus applicentur; atque omnia fiant quæ ad partum difficilem & fœtum mortuum dicta sunt. Si hæc frustra fiant, perturbari non oportet, inquiunt *Paulus* & *Aëtius*, nam intra paucos dies putrefacta excidet, unde quidam etiam medi-

medicamenta ſuppurantia injiciunt, ut citius putreſcat, ut *baſilicum* diſſolutum in decocto *alth. violar. ficuum*, *hord. oleo jaſmini*, *amygdal. dulc.* cum pauco *melle* ad leviter detergendum, facile enim ulceratur uterus, ideò detergentia addere non eſt inutile, aut ſaltem ea per intervalla injicere, quæ etiam ſecundinam movere poſſunt, ut *ariſtol. ægyptiacum*, &c. Verùm magna cautio in ſuppurantium uſu adhibenda eſt, nam putreſcens ſecundina graviſſima inducit ſymptomata, febres, easque malignas, quibus mors ſuccedit, ſatiusque eſt omni arte excretionem promovere, quàm expectare ſuppurationem: Ideo enim ſubſiſtens ſecundina periculoſa eſt, quia putreſcit & ſuppurat. Refert *Salius* ſe vidiſſe ſecundinam putrefactum excidiſſe, nec tamen ægram melius habuiſſe, quòd ſignum eſt putredinem accreviſſe, quæ excretâ ſecundinâ non ceſſarit. Quod ſi nullum grave ſymptoma urgeat, mulierque ſit imbecillis, expectari etiam invitis nobis debet ſuppuratio, nunquam autem adjuvari, ne increſcat putredo. Nam *Aëtius* & *Paulus* non à *Galeno*, ſed ex *Philemeno* ſententiam hanc deſumpſerunt. Interdum mola poſt partum ſubſiſtit, atque partum facit difficiliorem, venter tumidus manet, doletque, atque etiam dorſum & inguina dolor occupat, grumoſus ſanguis cum torminibus effluit, nec tamen inde levatur mulier, ſed tormina remanent & anxietates, doloresque per intervalla redeunt, naturâ nitente eam expellere, adſuntque ſigna molæ ſuo loco recenſita, & ſæpe mortui fœtus adſunt ſymptomata. Plures autem molæ ab utero ſolutæ, facilè cum lochiis educuntur. Periculoſior unica eſt, grandis, atque utero adhærens; ſtatim autem ſi fieri poteſt excernenda. Cucurbitæ inferioribus partibus admoveantur, frequens ſit purgatio per clyſteres acriores, uterique injectiones, partesque emollientibus & aperientibus foveantur. Eadem eſt curatio quæ ſecundinæ ſubſiſtentis & fœtus mortui. Vide Caput *de molâ*.

CAP. X.

DE LOCHIIS.

PArtum quemlibet ſequitur puerperium, id eſt, tempus illud quo puerpera decumbere cogitur, ob imbecillitatem virium & vacuationem excrementorum, cum quibus hauddubiè multi ſpiritus excernuntur, parum enim differunt à vulneratis, niſi quòd in illis ſanguis largius fluat & diutius quàm in vulnere. Vocantur ejuſmodi expurgationes

tiones *lochia*, ſuntque relliquiæ ſanguinis menſtrui toto geſtationis tempore collectæ, de quibus forſan intelligi poſſunt maleficia, quæ *Plinius* & *Fernelius* menſtruis adſcripſerunt. Sanguinis enim partem meliorem fœtus abſumit, deterior in vaſis & membranis ſervatur, cui alii etiam vitioſi humores admiſcentur, qui aliàs ante gravidationem cum reliquo ſanguine ſingulis menſibus expurgabantur. Quantitas autem iſtius purgationis 42 dierum ſtatuitur à quibuſdam ſi fœminam pepererint; triginta verò ſi marem, quia maſculus calidior pauciora habet excrementa. *Moſes* puerperas quadraginta dies decumbere jubet, donec exquiſitè purgentur. Verùm non eſt omnibus idem terminus, quædam enim intra 25 dies purgantur. Doctiſſimus *Duretus* ſtatuit eas, quæ ſunt biduo menſtruales, ut viragines, dies 18 exigere in puerperiis, quæ triduo 27, quæ quatriduo 36, quæ verò quinque dierum ſpatio menſtrua patiuntur, in puerperio purgantur ferè ad 45 diem. Sed ut diximus, variari poteſt hæc menſura, pro regionum, temperamenti, diverſitate, ac victus ratione; Imò interdum poſt primos dies per intervalla, non aſſiduò, ſanguis iſte vacuatur. In quibuſdam ad heminam unam, in aliis parcius, ac deinde in dies ſemper parcius, donec omnino ceſſet. Et quidem ſi aliàs mulier inculpatâ ſanitate fruatur, ſincerus exit, quaſi à victimâ ex *Hippocrat.* & abſque pravo odore. Aliis autem nunc bilioſus eſt, nunc aquoſus, fæculentus, purulentus. Igitur puerperam liberè convenit & liberaliter purgari, ſecus plurimis ſubjicitur morbis, ut ſunt febres, horroros, deliria & alii, ex quibus periculum vitæ incurrit, *lib. de nat. pueri*, prout in varias partes fit humorum tranſlatio. Cùm enim plurimi affectus puerperis contingere ſoleant, omnes fermè ob vitium purgationis quæ poſt partum inſtituitur, fieri ſolent, ſi vel retineatur, vel debiliter fluat. Nam ſi ſuppreſſio omnis menſtruorum lædere ſolet, multò magis ſi à partu ſupprimantur, quia ſanguis, quem fœtus relinquit, in dies putreſcens cacochymiam & pravitatem auget, cujus retentio admodum noxia eſt, ob anadromen materiæ corruptæ in caput & alias partes. Inde enim fiunt febres, maniæ, phrenitides, pleuritides, uteri inflammationes, aliique morbi acuti, niſi ſuccedat alia vacuatio, ut alii fluxus, hæmorrhagia, ſudor copioſus, ut advertit *Avicenna*. Variis autem de cauſis ſupprimi ſolent, quæ eædem ſunt cum cauſis ſuppreſſorum menſium, ut ſi ſanguis ſit craſſior, uteri os ſit anguſtum, diſtortum, mulier admodum imbecillis; ſi potus frigidus, vel aër vaſa conſtringat, nam aëre frigido nihil gravius utero vacuo & aperto acci-

accidere ſolet, intumeſcit enim & obſtruitur, unde graviſſima ſymptomata, morsque ipſa ſubſequi poteſt. Vel ſanguis aliò avocatur ex animi perturbationibus, terrore, metu, riſu, aut ſubitâ quapiam perturbatione. Facilè ex relatione aut ægrotantis, aut adſtantium ſuppreſſio cognoſci poteſt; imminuta autem vacuatio ex ægrotantis dyſphoria, ſi malè habeat & varia incurrat ſymptomata, ſignum eſt non abundè ſatis vacuata fuiſſe lochia. Adſunt dolor, tumor, tenſio, gravitas in lumbis & imo ventre, interdum etiam dolor ad ſpinam & crura pertingit, unde quaſi impotentes redduntur, difficulter ſpirant, facies rubet, rigent, febricitant, animo linquuntur, pulſus debilis fit & obſcurus, & corrupto humore tandem graveolentia, nigra, livida, acria exeunt, aliàs uterus ulceratur, inflammatur, aut mors ſuccedit. Verùm obſervant alii interdum lochia ad mammas fluere, nec de iis revocandis ſtatim ſollicitum debere eſſe Medicum, niſi ſymptomata ſuboriantur. Curatio eadem eſt quæ ſuppreſſorum menſium, mittatur ſanguis ex venis inferioribus, nam venæ ſectio maximum uſum præſtat, quamvis mulieribus quibuſdam piaculum eſſe videatur puerperis venam ſecare, quòd nullâ innititur ratione. Dummodo igitur principes mittendi ſanguinis ſcopi adfuerint, poteſt vena ſemel, aut etiam ſæpius ſecari; cavendum tamen eſt à ſectione venarum ſuperiorum, nam cum ejuſmodi purgatione puerperæ à plerisque malis & periculis liberentur, certum eſt venæ ſuperioris ſectione eam revelli & ſiſti, materiamque deduci in partes nobiles, unde *Galenus* plenitudines à retentis menſibus natas, ex cruribus vacuandas eſſe ſcribit. Convenit autem potiſſimum venæ ſectio, ſi ſuppreſſionis cauſa multitudo eſt, aut ſi ſanguis aliò avocetur. Tunc quoque conveniunt frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ ſcarificatæ in partibus inferioribus, atque etiam hæmorrhoidum provocatio. Et quidem ſi omnino ſuppreſſa ſint lochia, protinus ſanguis mittendus eſt, nam plenitudinem tollit & ea revocat. Si vera tantùm diminuta ſint & parciora, utendum prius eſt aliis revulſionum generibus & iis quæ ea provocare poſſunt: Talia ſunt laxantia, aperientia, menſes moventia, ut *trochiſci de myrrhâ*, cum *vino albo*, *ſuccus borrag. petroſ. porri* cum *vino*, *decocto adiant. rubiæ*, *cicerum rubror. ſatureiæ*, *ſchœnant. ſpicæ*, *petroſ. eriſymi.* Peſſaria quoque & alia fiant, quæ ad menſes ſuppreſſos ſuo loco præſcripſimus. Quod ſi ſupprimantur ob craſſitiem, viſciditatem, utendum eſt emollientibus & attenuantibus, viasque laxantibus, ut ſunt *fotus ex decocto lilior. mercur. bryon. hyper. ariſtol. artemiſ. calam. angel. puleg.*

tanac.

tanac. chamæm. lini, fœnug. Inunctiones ex *oleo lilior. amygdal. dialth.* cum *croco, axungia gallinæ,* &c. Clysteres quoque laxantes & paululum acres prosunt, sicut & purgatio ex *agar. rhab. sennâ*, vitiosi enim & crassiores humores expurgandi sunt, quamvis purgationem omnino *Massaria* improbet, sed absque ratione. Videatur Caput *de suppreßione menstruorum.*

Quod si nimium fluant, id fit dupliciter, vel quia diutius prodeunt, ultro consuetum terminum, aut majori copiâ. Utrumque ægrotantis euphoria indicat; semper enim copiosior fluxus censeri debet, qui ægrotantis vires labefactat, symptomata prava accersit, cibi fastidium, animi deliquia, convulsiones, pulsum debilem, aurium tinnitum, visus obscuritatem & alia plurima: Tandemque mors exhaustis spiritibus succedere potest. Fluunt autem immodicè ob sanguinis copiam, tenuitatem, acrimoniam, vasorum apertionem & dilacerationem ob partum difficilem, violentam secundinæ extractionem, quòd cognoscitur, si statim post has causas succedat & difficulter sistatur: adde importunum usum calefacientium, ciborum, potuum, balneorum. Interdum effluens sanguis in uteri capacitatem grumescit, unde non nisi absque gravibus doloribus educi potest, aut si retineatur, dolent, intenduntur & gravantur hypochondria, succedit febris acuta, rigor. *Si convulsio succedat, aut animi defectus, malum. 5. aphoris. 56.* Pejora omnia sunt post abortum, quia ipse abortus periculosus est. Temperandus quidem & moderandus est hic fluxus, non omnino sistendus, ne sanguis qui evacuari debebat suppressus, mala superius recensita pariat & tumores in utero, inflammationes, dyspnœam, suffocationem & similia. Si tamen ultra consuetum terminum fiat, supprimi potest innoxiè. Cibis igitur optimis, euchymis sed humores incrassantibus mulier roboretur, ut sunt *panatelæ, gelatinæ, oryza, amylum, jusculum pulli, pedum, crurum vituli, carnes assæ,* addito *vino granat. pyra, citonia, amygdala* & similia, quæ parcius, sed frequentius exhibenda. Potus sit *aqua ferrata, decoctum masliches,* cum *vino rubro* âdstringente. Quies imperetur, somnusque sit moderatus, nam longior revocatis intus humoribus & aucto calore majori interdum fluxui præbet occasionem. Fiant ligaturæ & frictiones partium superiorum, cucurbitulæ mammis & hypochondriis admoveantur ad revulsionem. Hepar & renes foveantur *oxycrato, unguent. rosato, cerato santalino,* & aliis refrigerantibus. Verùm si copiosa nimium sit profusio, validioribus utendum adstringentibus, ut *unguent. comitiss. bolo armen.* vel *argillâ* cum *albumine ovi* & *aceto rosf.* Commendantur quoque *stercus suillum*

lum calens cum *aceto* ventri admotum. Et sanè nisi maxima adsit necessitas, cautè in puerperio utendum adstringentibus & frigidis. Dentur urgente fluxu *conserv. ros. citon. bolus*, *syr. myrtinus*, *succus plantag. portulacæ, urticæ, stercus asini*, vel *porci*, ex quibus etiam fieri possunt pessaria, possuntque plura ex *Capite de immoderato menstruorum fluxu* repeti. *Rhab.* cum *vino* probatur, sicut & purgatio levior ex iis quæ acres humores ex sanguine vacuant: atque optimum erit cibum copiosius exhibere ad spiritus restaurandos. Perseverante demum hoc fluxu, sanguis ex brachio mittatur ad revulsionem. Si sanguis grumescat, excernendus est, levi deambulatione, vel injectione ex *aquâ nucum, decocto rubiæ*, aut *hord.* cum *oxymelite*, vel *melle rosato*, denturque per os quæ sanguinem dissolvere possunt, quæ alibi à nobis fuerunt explicata. Et sicut grumus subsistens varia affert symptomata, ut febrem, lipothymiam, sudores diaphoreticos, ita periculum est ne dissolutis ejusmodi grumis sanguinis fluxus renovetur: ideò sapienter hâc in re Medicus se gerat.

DE DOLORIBUS A PARTU.

CAP. XI.

SÆpissimè puerperas vexant tormina ventris inferioris & hypochondriorum; sunt autem varii generis, nam fieri possunt ab inflammatione uteri, de quâ suo loco à nobis dictum est. Hic autem eos dolores intelligimus, qui similes sunt doloribus partus, quasi alter fœtus esset excludendus. Fierique possunt ab aëre frigido, aut simili potu, nam aërem frigidum valdè nocere superius diximus, ab eo intumescit uterus, induratur, sanguis supprimitur. Fiunt quoque ex concreto, grumosoque sanguine, aut ab acriori, quem natura per vias non satis patentes extrudere conatur, aut ab eodem crasso copioso, sed suppresso, ut ante mensium eruptionem interdum etiam aliis quàm puerperis contingit, ob vasorum & membranarum quæ uterum hypochondriis & dorso annectunt distensionem. Demum flatus causa esse possunt, quòd satis frequenter contingit, suscepto in partu frigore. Sunt autem alii dolores in ventre & intestinis his similes, qui tamen non ut hi ad inferiora vergunt, quamvis revera vix possint à se invicem distingui, neque multum necesse est, cum eodem modo curentur. Symptoma hoc ex ægrotantis planctu & querimonia facilè patet; sicut si frigus externum causa

cauſa ſit, adſtantes referre poſſunt & indicare. Craſſum & grumoſum ſanguinem oſtendunt cruciatus per intervalla, qui excreto ſanguine ceſſant. Acrimoniam dignoſcere poſſumus tenuitate, colore, ſæpe febris adeſt, ſitis, calor, vigiliæ, &c. Iſti autem dolores vires admodum dejiciunt, ſuntque puerperis moleſtiſſimi. Si fuerint ab acrimoniâ, epiceraſticis utendum, ſed non nimium refrigerantibus. Omnis enim uſus valdè frigidorum puerperis ſuſpectus eſt, nec iis niſi in ſummâ doloris acerbitate utendum. Sufficit dare *oleum amygd. dulc.* cum *ſyrupo violato, nenuphar. aqua bugloſſi, malvæ, ſymphyti.* In aliis cauſis utendum attenuantibus & flatus diſcutientibus, quæ ſimul ſanguinis craſſitiem emendare valeant, ut ſunt *pulveres galangæ, cinnam. dauci, diacym. diagal.* cum pauco *vino albo*, aut *rubro* calente. ℞ *ſem. cym. zedoar. galang.* C. C. *uſti ana* ʒ j, *cinnam.* ʒ ß, *croci* ℈ ß, *ſem. ameos, zinzib. caſtor. ana* ʒ ß, *carui, nucis moſchatæ ana* ℈ j, *ſacchari* ad pondus omnium, fiat pulvis: Vel ex prædictis vinum fieri poteſt medicatum. Prodeſt quoque *theriaca, juſculum* cum *croco* & *vitellis ovorum.* Pulvis ſequens maximè commendatur, deſcriptus à *Varandæo*, & fuiſſe *Reginæ Galliæ* familiarem, ſcribit ipſius obſtetrix; ℞ *radic. conſol. major.* ʒ j ß, *nucleorum perſicorum, nucis moſchatæ ana* ℈ ij, *ſuccini flavi* ʒ ß, *ambræ*, ſi non ſit obnoxiæ ſuffocationi hyſtericæ ℈ ß, fiat pulvis. Vel excipiatur *conſervâ abſynt.* cum *ſyrupo de arteniſ.* fiat opiata. Quidam etiam laudant *vinum*, in quo decoxerint *flores chamæm.* vel decoctum *corticis citri, adianth. cinnam. dauci, petroſel. radicis conſol. majoris, parietar. ſem. aniſi, fœnic.* &c.

Externa etiam admodum proſunt. Mulieres capita *porri* cocta & contuſa umbilico admovent. Fotus ex remollientibus, flatus diſcutientibus in *vino* coctis, ut ex *ſem. lini, fœnugræc. artem. ſabin. puleg. calamint. chamæm. ſalv. tanac.* aut frigantur in ſartagine, cum *aquâ vitæ*, & apponantur. Atque etiam ex herbis contuſis fiat cataplaſma, addendo *farinam fabarum, ſem. lini,* & *oleum lilior.* Vel ex *fimo vaccino* torrefacto in ſartagine cum *oleo nucum*, aut *rutaceo.* Vel *vitellos ovorum* coque in *oleo liliorum*, addendo *pulverem cymini*, & *ſem. lini.* Vel *cæpe* ſub *cineribus* coctæ cum *oleo lilior. chamæm.* proſunt. Vel ℞ *olei amygd. dulc. hyper. ana* ℥ ij, *ſevi hircini, ſpermatis ceti ana* ʒ vj, *pulveris diacymini* ℥ ß, *ceræ q. ſ.* fiat unguent. addi poteſt *tereb.* Omentum vervecis calens, vel vino calido irroratum etiam commendatur. Plura ex *Cap. de inflatione uteri* repetantur.

Cap.

CAP. XII.

DE MORBIS PUERPERARUM.

VAriis autem morbis afficiuntur puerperæ, variis de causis, vel ob vitium vacuationis lochiorum, quando supprimuntur, aut diminuuntur, vel ob morbosum corporis apparatum, latentemque cacochymiam, quam partus labores commoverunt, vel ob lactis redundantiam, vel ob errores diætæ, animi pathemata, frigus, aliamve externam causam. Quæ causæ facilè dignoscuntur, ut lochia aut parcè fluentia, aut omnino suppressa, aut cum gravibus symptomatis prodeuntia ex ægrotantis relatione cognoscuntur. Quod si lochiis ritè fluentibus contingant, corpusque videatur cacochymum, longius à partu accedant morbi, à morboso sunt apparatu. Pariter vitia lactis & errores diætæ facilè dignosci possunt. Pejora autem sunt omnia in iis quæ laboriosum partum habent, aut abortiunt, quia graviores semper in illis sunt labores, viresque magis dejiciuntur. Ex quâ causarum cognitione solvi potest quæstio, an in morbis acutis, ut febribus, dies critici numerari debeant à partu, aut à die morbi? *Hippoc. 3. prognost. 10.* à die partus, non ab invasione morbi eos numerat, & in *historiâ mulieris* apud *Pantimedem*, aliisque. Scribit *Galen. comment. ad locum prognost.* mulieribus contingunt crises à partu. Principium, inquit, numerationis fiat, non quo die ceperint febricitare, sed quo pepererint: Et ratio est, quia ab eo tempore numerari debent quo incipit moveri humor. Id autem fit in partu, licet ejusmodi motus à principio non appareat, sed latens sit & occultus. Contrà *1. Epid.* in historiâ uxoris *Philini*, *Epicratis*, *Dromeadæ*, à die febris non autem partus incipit numerare. Nec verisimile est in partu naturali, qui morbus non est, ullam fieri talem agitationem humorum, quæ morbi principium sit, cùm sæpe hujusmodi partui nullus morbus acutus succedat. Nec quilibet motus humorum est principium morbi, alias corpus foret in continuâ ἀρρωστίᾳ, si quælibet in ipso alteratio morbus foret. Respondet *Conciliator* duplicem esse partum, unum naturalem, cui succedit valetudo, nec ratione sui humores agitat, nisi aliquod aliud erratum accedat. Si igitur propter quampiam causam febris exoriatur, ea non est symptoma partus, sed morbus per se: Ideo principium numerationis, non ab horâ partus, sed à morbi die fieri debet, in quo humores commoveri ceperunt. Alium verò violentum & præter natu-

naturam, in quo qui ſequitur morbus, eſt ſymptoma partus, quamvis tantùm poſt tertium vel quartum diem oriatur, tamen in partu prima humoris commotio facta fuit, quamvis forſan ob dolorem partus minùs obſervata fuit; ſed ſi bilioſus ſit humor, tertio die ſui ſignificationem præbebit, & ità de aliis, tunc à partu numeratio facienda eſt, ſicut in vulneribus capitis contingit. Secundò ait in morbis longè diſtantibus à partu, ab ipſo morbi die, in iis verò qui proximi ſunt partui, à partu ſupputationem faciendam eſſe, ut ex hiſtoria *Philjni* patet, quæ naturalem habuit partum, & 14 poſt die febricitare cepit; igitur in eâ non à partu, ſed à die febris numerabat *Hippocrates.* Verumtamen in hiſtoriâ uxoris *Dromeada*, quæ ſecundo à partu die febricitare cepit, non à partu, ſed à die morbi incepit numerare, aliiſque hiſtoriis idem paſſim in Epidemiis oſtenditur, quas collegit *Maſſaria*, qui ad hæc reſpondet, principium dierum criticorum, ſi febris non longè à partu ſuccedat, ab ipſo partu eſſe accipiendum, quia veriſimile eſt hanc eſſe cauſam illius febris. Sed ſi poſterius febris accedat, non ab agitatione partus, ſed ab aliâ quapiam cauſâ fuit excitata. Quod ſi *Hippocrat. in Epid.* ſibi repugnare videtur, dicunt *Maſſaria*, *Laurent. Valleſ.* libros Epidem. eſſe potius obſervationis quàm doctrinæ gratiâ ſcriptos, ut eſſent velut adverſaria ad memoriam juvandam: ſed libris *aphoriſmor.* & *prognoſt.* majorem fidem adhibendam. Verùm præterea hic conſiderandum eſt, quomodo ſe habeant lochia, nam ſi rectè fluant & febris paulò poſt partum ſuccedat, à partu computatio facienda eſt, quia humor noxius, ex vitioſo apparatu ſenſim contractus, tunc fuit agitatus & commotus. Pariter ſi lochia ſtatim à partu ſubſiſtant, ab eo erit numeratio incipienda. Si verò lochia poſt partum quapiam de cauſâ ſupprimantur, ab eorum ſuppreſſione febris initium numerandum eſt. Idem credendum eſt, ſi poſt plures dies ex internâ cacochymiâ febris contingat; non enim potuit ob partus labores agitari, ſed aliâ de cauſâ id factum fuit, ut ab erroribus diætæ, aut aliâ quapiam externâ cauſâ humores commovente.

Curationem autem morborum acutorum in puerperis quod ſpectat, ea pro varietate cauſarum varia eſt. Si fiat ex lochiorum ſuppreſſione, aut diminutâ vacuatione, fluxus hic promovendus eſt, iis mediis quæ jam diximus, venæ inferiores ſecandæ, ut revocetur vacuatio, pars quæpiam morbificæ materiæ dematur, aut ſaltem cucurbitulæ ſcarificatæ fœmoribus & cruribus apponendæ. Si verò fiat ex latitante intus cacochymiâ,

chymiâ, morbosoque apparatu, atque menstrua ritè fluant, magnâ hic cautione opus est. Remedia enim quæ hujusmodi morbis conveniunt, sæpè prohibent vacuationem lochiorum, ut venæ sectio, purgatio, alteratio quæ per frigida remedia perficitur. Considerandum igitur an sufficiens sit lochiorum fluxus, nam nec illum inhibere licet, nec contrarium instituere, si igitur sufficere videatur, totum opus naturæ relinquendum, solummodo præscriptâ convenienti diætâ. Si vero fluxus hic morbo tollendo satis non sit, quamvis aliàs rectè sese habeat, utpote qui à grandi proveniat cacochymiâ, alia vacuatio instituenda est, quæ defectum alterius suppleat, ut vena secanda in pede, quia cacochymiam & plenitudinem vacuat, lochiorum fluxum non impedit, sed potius promovet, & in febribus ardentibus humorum in caput raptum prohibet & revellit. Convenit enim hæc phlebotomia, sive diminuta fuerit lochiorum expurgatio, sive copiosa satis, nec tamen morbum minuat. Verùmtamen si morbi contingerent sub finem puerperii, præterlapso jam tempore vacuationis hujus per uterum, commodè in brachio vena secabitur, cùm non ampliùs metus sit suppressionis: Et hæc vera sunt quando humor in venis continetur, ut in febribus continuis & intermittentibus. Verùm si in peculiari quodam loco contineatur, ut in pleuritide major difficultas est, nam necessaria est huic morbo venæ sectio, atque etiam è directo lateris affecti, & quæ fit à remotis partibus, ut pedibus à parte affectâ nihil demit, potius vires imminuit, quæ in ejusmodi morbo semper conservandæ sunt. Quæ autem fit in brachio, atque morbo huic convenit, lochia supprimere potest, unde morbus augebitur, aut novus quispiam cum pernitie ægrotantis accedet. Variæque sunt hâc de re sententiæ; nam quidam putant urgente admodum morbo venam in cubito esse aperiendam, aliàs si expectemus donec lochia expurgata fuerint, forsan æger remedio destitutus peribit. Reprobat hanc opinionem *Massaria*, cum venæ superioris sectio revellat & sistat fluxum puerperii, atque hunc deducat in partes nobiles, ideo potius secandas inferiores censet. *Petrus Salius Diversus* considerandum vult an pleuritis & morbus acutus in principio puerperii, aut medio tempore, aut postremis diebus fiat. Nam si in principio contigerit & larga præcesserit sanguinis effluxio, phlebotomiâ ampliùs opus non est. Si medio tempore, videndum est an præcesserit satis copiosa sanguinis evacuatio, tum an morbus pendeat ab humore impacto, vel sparso. Nam si pendeat à materiâ dispersâ, nec sufficiat sanguinis effluvium,

venas

venas inferiores secat, & hâc de re nulla est controversia, ut diximus. Si materia autem in aliquâ parte sedem habeat ut in pleuritide, sive profluvium sanguinis fuerit largum, sive parcum, semper è brachio sanguinem educit, quia morbus urget. Verùm postremo tempore tutius venæ superiores secantur, quæ tamen opinio non absolutè vera est, ut diximus, magis tamen primis puerperii diebus, quibus non sine periculo superiores venæ secantur, tutius tamen sub medium tempus aut finem, quia jam maxima pars noxii sanguinis vacuata fuit, non est tamen absque præmeditatione id faciendum. Igitur ut sententiam meam explicem, si fiat ejusmodi pleuritis, cùm lochia suppressa sunt, semper in pedibus vena secabitur, nam probabile est ex hujus sanguinis anadromé factam fuisse. Si verò lochiis naturaliter fluentibus generetur, vena statim, sed in pede secabitur, ut occurramus morbo qui non potuit hâc vacuatione impediri, nam quamvis aliàs satis copiosus iste fluxus videatur, reverâ tamen diminutus est, & in hoc casu de quo loquimur, debuisset esse copiosior, aut saltem nulla illius portio superiora petere debuisset, sed tota ad inferiora ferri, suo tempore sensim vacuanda, cùm per plures dies ejusmodi fluxus perseverare soleat, nec totus ille sanguis uno die vacuetur. Venæ igitur sectio revocat à superioribus & partem eam sanguinis educit, quæ forsan non ante plures dies vacuata fuisset. Nec absolutè verum est sanguinem hâc viâ à loco affecto non posse revelli. Id quidem probabile est quando non fluunt menstrua & pacatus est in corpore humorum motus. At in lochiis per plures dies fluxuris, totus naturæ impetus ad uterum vergit, unde etiam interdum adeo copiosa fit hæc sanguinis fluxio, ut vix sisti possit. Cùm igitur quò natura vergit ducendum esse doceat *Hippocr.* certum erit motum hunc esse imitandum, contrarium autem non esse instituendum. Nec unquam *Galenus* negavit per venas inferiores posse fieri revulsionem à superioribus, sed tantùm tardius id fieri, & quidem per quas vias sectio venarum in brachio revellit immoderatum menstruorum fluxum, per easdem fluxus menstruorum revellit motum sanguinis ad superiora: atque viis quibus lochia suppressa ad pleuram feruntur, iisdem revocari possunt ad uterum. Maneat igitur ratum in principio venam secari debere in pedibus. Verumtamen si celebratâ hâc phlebotomiâ & perseverante fluxu lochiorum morbus non cessarit, vena in superioribus secari debet, nam signum est morbum aliunde pendere, atque humorem adeò esse impactum, ut versus matricem revelli nequeat, atque interea

frictiones fiant crurum & ligaturæ dolorificæ, ne sistantur lochia, quamvis sæpe observarim etiam sectis brachii venis non fuisse tamen suppressam vacuationem quæ fit per uterum. Et hæc de venæ sectione.

Purgationem quod spectat, etiam de eâ quidam dubitant. Eam omnino improbat *Massaria*, quia menstrua sistere sibi persuasit, quòd non est semper verum. Ideo tantummodo eam concedunt in fine fluxionis lochiorum, & cum magnum ex multitudine excrementorum impendet periculum. Alii eum etiam concedunt, si purgatio per uterum non sit sufficiens, idque ex levioribus tantùm & benignis catharticis. Verùm si morbus à cacochymiâ pendeat, quæ non possit tota lochiorum purgatione exhauriri, sæpè leve catharticum propinatum profuit, ut interdum expertus sum, nec inde cessavit fluxus sanguinis, ut sibi alii persuaserunt, quin potius eum promovet. Quæ enim vacuantur per alvum, à sanguine prorsus separata sunt. Atque etiam natura interdum crises per alvum & sudores molitur, non tantùm per uterum, quicquid alii contra sentiant. Reliquorum remediorum ut in aliis morbis usus esse potest, ut sunt clysteres leviores, alterantia, syrupi & apozemata, modò non sint adstringentia quæ fluxum puerperiorum inhibere possint & nimium frigida. Prosunt igitur *aqua hord. syrup. capilli vener. de quinque rad.* & alia ejusmodi leviter attenuantia. Demum dentur roborantia: Victus pariter sit tenuis, præsertim primis diebus ex *ptisanâ, jusculis, decocto hord. passular. glycirh.* ut in febribus acutis, cavendo semper à pleniori victu & calefaciente, ut alibi diximus.

Ex his in genere prælibatis facile erit morbos gravidarum acutos cognoscere & curare. Febres sæpissimè affligunt puerperas, variis de causis; *primò* ob lactis abundantiam, sanguine ad mammas refluente, atque præter modum agitato, quam solam causam mulieres sæpe esse credunt, atque hæc sæpissimè intra nonum diem desinit: Incipit autem circa tertium quartumve diem, mammæ lacte turgent & dolent, lochia ritè fluunt, dorsi adest & scapularum gravitas. *Secundò*, fiunt ex supressis lochiis, aut parcè fluentibus, aut etiam putrescentibus, tunc fœtida, saniosa, graveolentia, ex utero prodeunt, venter inflatur, dolet, adsunt anorexiæ, vigiliæ, punctiones, aliaque gravia symptomata. *Tertiò*, fiunt ex morboso apparatu & latente cacochymiâ, quæ partus doloribus fuit agitata, aut postea, ob errores diætæ, tuncque lochia rectè fluunt, partus præcessit laboriosus & difficilis. *Quartò*, alii addunt immodicam lochiorum vacuationem. Verùm ab eâ nunquam per se

fit,

fit, sed ab insigni cacochymiâ, quæ potest cum immoderato ejusmodi fluxu conjungi, sed rarò. Magnum enim oportet esse in venis vitium, quòd non potuit per lochia expurgari. Quæ autem à lacte fit febris, intra tertium, vel quartum diem cessat, nisi lac coaguletur & mammæ inflammentur. Suppressio verò lochiorum periculosissima est, ob gravitatem symptomatum & insignem putredinem, nisi nigra fœtida per alvum purgentur, aut redeat vacuatio per uterum, aliàs perire solet mulier. Quæ pariter fit à morboso apparatu in puerperis periculosior est, tum ob virium debilitatem, tum ob copiam vitiosorum humorum, qui non potuerunt lochiorum fluxu expurgari. Si ex lacte fiat febris, observatâ probâ diætâ curetur, ut suo loco *de morbis mammarum* dicetur. Si ex lochiorum suppressione, aut morboso apparatu generetur, circa venæ sectionem & purgationem regenda est ægra, ut jam supra diximus, observando quomodo sese habeant lochia, quo puerperii tempore morbus inceperit. Dentur humores contemperantia, *syr. è cichor. adianth. de endiv.* vitatis multùm acidis & adstringentibus. Clysteres quoque & purgantia leviora exhiberi poterunt, eoque tutius si à morboso fiat apparatu, ut superius dictum fuit.

Ab iisdem causis pendent pleuritis, phrenitis, viscerum inflammationes, angina & similes. Si febris solitaria periculosa est admodum, multò magis quando ista simul conjunguntur, quia superiores partes & nobiles ab ejusmodi pravo sanguine afficiuntur, & ob dolorem, inflammationem, difficilem respirationem, aliaque gravia symptomata. Vena an sit secanda & quænam, jam satis abundè explicavimus, aliisque diversionibus utendum erit, ut clysteribus laxantibus, cucurbitulis, ligaturis, pessariis. Interea non erit inutile remediis ad pleuritidem accommodatis, julepis, apozematis, linimentis uti, de quibus suo loco dictum est. Idem dicendum de hepatis inflammatione, semper observando ne refrigerantia nimium & adstringentia aut sumantur, aut admoveantur, potius syrupi sint aperientes, *capilli veneris de cichor.* & cataplasma paululum resolvens ex *violar. absynt. chamam.* cum *farinâ hordei, pulvere santalorum,* & *oleo rosᶠ.* quòd *mirificum* vocat *à Castro.* Idem dicendum est de phrenitide & anginâ. Ex iisdem causis fiunt maniæ, melancholiæ, epilepsiæ, vigiliæ, ex pravis vaporibus ob sanguinem suppressum & corruptum caput petentibus. Curatio eadem est, scilicet ut revocentur solitæ vacuationes, omnia revulsionum genera, atque etiam si opus sit blanda per alvum purgatio usurpetur. Capiti repellentia ad-

moveantur, & vigiliis urgentibus narcotica, ut embrocha ex decocto *malvæ, violar. hyosc. papav. nymph. chamam. lupulor.* nec nisi summâ urgente necessitate sumantur narcotica, quia menstrua sistunt. Possunt præterea in usum venire quæ singulis morbis peculiariter conveniunt, modò vacuationi prædictæ non adversentur, ut epilepsiæ, epileptica, tussi bechica, lenientia, & alia suo loco dicta, cavendum enim est ne immodico tussiendi conatu partes superiores nimium calefiant, sicque calor ad eas evocet puerperium.

Vomitus omnis puerperis molestus est, sive alimenta, sive humores, aut sanguis vacuetur, vires enim valdè dejicit. Ciborum vomitus fit ex ventriculi debilitate, aut nimiâ repletione & inordinatâ sumptione, nam adstantes mulieres sæpè puerperas cibis ingurgitant. Humores vitiosi vacuantur, si in primis viis cumulati & laboribus partus commoti, ad ventriculũ jam debilem ferantur, sanguis verò rejicitur, aut suppressis lochiis & erroneo naturæ motu in ventriculum delatis, ex *aph.32. l.5. Mulieri sanguinem evomenti menstruis erumpentibus solutio advenit*; unde viceversâ menstruis deficientibus sanguinis vomitus fieri potest. Potest tamen vena ex summo conatu in ipso ventriculo, vel jecore aperiri. Semper autem gravis est vomitus, maximè si sanguis vacuetur; potest enim lochia supprimere & sursum evocare. Ideo statim sisti debet, & quidem si cibi tantùm vacuentur, optima victus ratio & ventriculi roboratio sufficit. Si pravi sint humores, blandâ catharsi deorsum vacuandi. Sanguis revellendus est cucurbitulis, frictionibus partium inferiorum & venæ sectione in pede. Lac asininum propinetur, & roborantia assumantur.

Alvi fluxus pariter quicunque demum ille sit, diarrhœa, lienteria, dysenteria, nocet, nam lochiorum vacuationi conjunctus, in corpore ob præcedentes labores debili, vires admodum dejicit, & quæ illum sistunt, lochiorum etiam vacuationem prohibent. Non est igitur statim sistendus, sed vires sunt optimis alimentis roborandæ, maximè si fœmina leviter ferat & totum naturæ committendum, dum puerperia definant. Si fluxus sit acrior, ut in dysenteriâ, clysteribus lenientibus & detergentibus utendum, & decocto *hordei, melle rosat.* corpus purgandum iis quæ simul adstringunt, ut *rhabarb. tamarindis.* Non neglectis roborantibus & adstringentibus, ut *syr. de absynt. citon. diamarg. aromat. ros.* Fotibus ex *vino rubro* adstringente, aut *decocto plantag.* & similium: Inunctionibus pariter ejusdem facultatis, ut Capite proprio diximus.

Post

Poſt hæc ſi lochia ſuppreſſa ſint, aut imminuta, revocanda ſunt remediis jam dictis, cavendo tamen ab acrioribus, ſi fluxus ſit dyſentericus. Contrà autem ſi alvus ſupprimatur, poterit glandibus, clyſteribus, aut levi ex caſſiâ aut mannâ purgatione cieri.

Quædam etiam præcipuè primiparæ, ob compreſſionem & nixum, vel ſuppreſſionem lochiorum in partu tentari ſolent hæmorrhoidibus, in quibus primò utendum eſt anodynis; atque ſi his cruciatus non ceſſet, hirudinibus aperiendæ ſunt. Si lochia inde ſupprimantur, revocanda ſunt idoneis remediis. Sicut etiam ex eodem conatu anus interdum procidit, cujus cura capite proprio à nobis fuit explicata. Si urina ſupprimatur, ſæpe id fit ob inflammationem; proderit fotus, ex *pariet. malvâ, petroſ. beton. puleg. berulâ* & ſimilibus, etiam ſuo loco deſcriptis.

Interdum uterus admiſſo aëre frigido intumeſcit, curaturque fotu hyſterico, vini potu, & pelle ovis recens mactatæ. Vel intumeſcit ex pravis humoribus retentis, aut pravâ victus ratione, unde plurimi flatus cumulantur. Curatur autem probâ diætâ, blandâ corporis purgatione, fomentis reſolventibus ex decocto *abſynt. chamæm. artemiſ. caulium, ebuli, majoran. abrot.* & ſimilibus reſolventibus.

Poteſt quoque uterus inflammari ob partum laborioſum, ex compreſſione, dilaceratione, violentâ ſecundinæ extractione; cujus ſigna & curationem fusè alibi explicavimus. Atque illi ſuccedit ulcus, tùm etiam fit ab humore mordaci, violentâ partium dilaceratione, eſtque ejus curatio difficilior, quamdiu fluunt lochia, nec tentanda donec ceſſaverint, tantummodo utendum eſt quibuſdam lenientibus & detergentibus, ſed poſt eorum fluxum remediis idoneis perficiatur. Idem dicendum eſt ſi uterus procidat, cujus non alia curatio eſt, quàm quæ ſupra ſuo loco præpoſita eſt. Nec ante ceſſatum fluxum lochiorum adſtringentibus utendum eſt, ſed potiùs faſciis ſuſtineatur, odorata naribus, fœtida pudendis admoveantur.

Quædam etiam hyſtericâ ſuffocatione à partu tentantur ex pravis vaporibus, quibus utile eſt fœtida naribus, odorata pudendis offerre, ſumat *aſſam fœtidam, oleum de gagate* cum pauco *juſculo*, aut eadem olfaciat. Apponatur emplaſt. ex *bdell.* & *galb.* cujus extremæ parti verſus collum uteri, aliquot grana *moſchi*, vel *zibeti* addantur: aut ventri ſacculus imponatur ex *meliſ. matricar. chamæm. lupulo, aneth.* coctis in cereviſiâ. Venter faſciâ conſtringatur, cucurbitulæ imponantur, fiantque frictiones & ligaturæ partium inferiorum.

Fre-

Frequenter quoque dolore ischiadico laborant & claudicant, forsan ob violentam dissolutionem ossium pubis & ischii, aut quia humores ob longam decubitus moram & partium harum contusionem, ischii articulum subeunt, aut ut vult *Rondeletius*, quia ligamenta uteri quibus ischio adhæret, pravis humoribus imbuta sunt. Humores hi præparandi & purgandi, dein utendum est decoctis sudorificis, laconicis, fiantque fotus ex *aquis thermalibus*, aut ex *musto, vino* calente cum *herbis nervalibus*, & dein inunctiones ex *oleo lumbricorum, balsamo Guidon.* & aliis ejusdem facultatis oleis.

Eadem quoque prosunt si pedes post partum tumidi maneant, nam post purgationem commodè utimur *stuphis, diætâ sudorificâ, lixiviis, linimentis*; ad humores serosos & flatus discutiendos, *aquis thermalibus* & earum luto. Prodest decoctum *caulium* & *chamam.* in *vino* & *aceto*, cui si addatur pulvis ex *nucibus cupress. far. fabar.* fieri poterit cataplasma pedibus applicandum.

Interdum in juvenculis ob nimiam fœtus magnitudinem fit disruptio & scissura vulvæ usque ad anum, quòd rarò accidit. Utendum est fotu & cataplasmate, ex *consolidâ, verbasco, hyperico, cumino*, & remediis aliorum vulnerum. Vel fiat balsam. ex *gummi elemi, tereb. sangu. drac. myrrhâ, aloë, oleo hypericonis.* Interdum sutura opus est: Verùm quando id contingit, vix iterum parere possunt, ob callum & cicatricem, periculum enim est, ne iterum locus ille disrumpatur, quòd absque magno labore, dolore & vulnere fieri nequit. Ideò suadet *Varandæus*, ut instante partu, locus ille manu Chirurgi resecetur, potiùs quàm expectetur spontanea disruptio. Verùm si tantum adsint rhagades, sufficiet emplast. ex *oleo amygdal. dulc.* vel *vitell. ovor.* cum *cerâ albâ*; aut ex *oleo hyper. axungiâ porci* & *terebinthinâ.*

Venter post partum rugosus evadit, quando à fœtu grandiore nimis extentum abdomen, post partum in se contrahitur, eademque ratione evanescente lacte mammæ gracilescunt. Non est hic affectus magni momenti, nam tandem sponte cutis naturalem tensionem adipiscitur. Verùm ut id citius fiat, ungatur abdomen unguento ex *spermate ceti*, cum *oleo de nuce Indicâ, cerâ* & pauco *croco*: ℞ *ceræ novæ* ℥ iij, *spermatis ceti* ℥ j ß, *tereb. venetæ, aquâ plantag.* vel *ros. lota* ℥ ij, *olei amygdal. dulcium* & *hyperici ana* ℥ j, *olei myrtini, mastich. ana* ℥ ß, *axungiæ cervi*, vel *medullæ cruris vituli* ℥ ij, fiat unguentum; vel *sparadrap.* commendatur à *Varandæo* & *Roderico Castrensi*: vel ex *succo liliorum alborum, melle* & *cerâ*

cerâ fieri poteſt. Prodeſt & cataplaſma ex *farinâ hord. fabar. pulvere gallarum, nucis cupreſſi*, cum *oleo myrtillorum* factum: *myrrha* ſi addatur, erit efficacius, ſicut & *maſtiche*, eadem autem mammis flaccidis conveniunt. Commendatur etiam *pellis arietina* infimo ventri appoſita, & hoc linimentum: ℞ *pinguedinem pedum arietinorum*, quæ perfectâ coctione educitur, *axung. hirci, butyri recentis, ſpermatis ceti ana* ℥ ij, ſimul liquefiant, colentur & abluantur in *aquâ roſarum*.

Interdum poſt partum laxius manet orificium pudendi muliebris, hinc prolapſus uteri & ſterilitas fieri poteſt. Adſtringentibus autem emendatur, ut *decocto malicor. roſ. ſumach, gallar. nucum cupreſſi*, vel *aquâ aluminosâ, peſſario ex gallis, ſang. dracon. alumine: ſemen rumicis acuti*, tere & ſubdito, fiet inquit *Aëtius*, pudendum virginis in modum adſtrictum. Et quæcunque adſtringunt, huc referri poſſunt, linimenta, cataplaſmata, aquæ: Variasque horum omnium deſcriptiones videre licet apud *Ranchinum*, ſed inutiles; ſimiles enim ex ordinariâ adſtringentium materiâ fieri poſſunt. Et de his ſatis.

DE MAMMARUM ET LACTANTIUM AFFECTIBUS.

LIBER QUINTUS.

Cap. I.

De Mammarum Incremento et Gracilitate.

Etiam inter muliebres morbos recenſeri debent ii qui mammis accidunt, quia etſi viri mammas habeant, rarò tamen illis tentantur, maximè ſi ex lacte proveniant, tùm quia maximus eſt uteri & mammarum conſenſus, ut pluribus exemplis *Hippocrates* confirmat, *5. aphor. 37.* ex abortu qui ſignificatur extenuatione mammarum, *mulieri gravidæ ſi mammæ repente graciles fiant, abortit*. Sic quoque menſtrua cucurbitulis mammis appoſitis cohibentur,

aphoris. 50. ejusdem: & docet *Galenus 14, de usu partium*; *Pariter quoque mammæ sensim cum utero augentur ad convenientem magnitudinem.* Sed notabilis est *aphoris. 18. sect. 5. 6 Epidem. Si papillæ mammarum & rubrum ipsarum pallidum fuerit, morbosum vas sit oportet.* Per *vas* intelligere uterum, asserit *Galenus in comment.* Intelligenda autem est mutatio ista coloris in papillis citra causam manifestam, ut inflammationem, aut aliud accidens: tunc malæ uteri affectiones per communionem vasorum papillis communicantur. Imò interdum sanguis suppressus per mammarum papillas effunditur, lactantibus supprimuntur menses, ipsumque lac per uterum & vesicam excretum viderunt plurimi, atque etiam me interdum vidisse scio. Per quas autem venas fiat iste consensus, fluxus & refluxus humorum dubium est: Voluerunt plurimi circa finem recti epigastricam ascendentem & mammariam descendentem per anastomosin coïre, sicque hunc consensum perfici. Epigastrica ab iliaco ramo, interdum à crurali propagatur, mammaria à ramo subclavio, per sternum defertur ad musculos epigastrii. Viam hanc improbant *Laurent.* & *Vesalius*, quia hæc anastomosis etiam reperitur in viris, tum quia mammaria à subclavio ramo orta, per mammas non defertur, nisi capillari & insensili ramo, unde miratur, cur mammaria dicta fuerit. Ideoque etsi fateatur consensum quendam fieri posse, quia in corpore omnia consentiunt: dicit tamen magis conspicuos adesse internos ductus venarum, quæ ab axillari ramo in mammas & uterinarum quæ ab hypogastrico & spermatico ramo procedunt, cum epigastrica ipsa ad uterum non feratur, sicut puerperæ tribus quatuorve à partu diebus, maximam lactis copiam per urinas profudisse visæ sunt, quòd per epigastricum ramum fieri non potest: ergo potiùs per hypogastricum, qui vesicam attingit. Refluit igitur è mammis, in axillarem, ab hâc in cavam, & demum continuitate ad hypogastricum ramum, hinc in uterum & vesicam, ut pluribus alibi diximus.

Mammæ autem in mulieribus sitæ sunt in pectore, contra quàm in reliquis animalibus, quia illic sunt in loco honestiori ad lactationem; 2. non impediunt motum; 3. lactis generatio ob cordis viciniam illic juvatur, sed hæc non valet, quia bruta quæ plurimum lac generant, mammas habent à corde distantes: nec ulla est potior ratio, cur sint prope cor, quàm testes qui semen generant; potuissent igitur mammæ si à corde fuissent remotiores, etiam lac generare: 4. ut puellum alere simulque amplecti & ulnis gestare mater posset: In vaccis verò & reli-

reliquis animalibus, si essent in pectore, impedirent motum pedum anteriorum: at cùm posteriores pedes sequantur motum anteriorum, illic non impediunt. Præterea homo inquit *Aristoteles* habet pectus amplum, bestiæ habent acutum & angustum inter crura quibus incedunt.

Debent autem mammæ esse benè temperatæ, decenti figurâ praeditæ, læves, politæ, mediæ inter magnitudinem & parvitatem, duritiem & mollitiem, in mediâ corporis regione ad thoracis latera sitæ, absque maculâ, lentigine, cicatrice: quæ omnia si pervertantur, curatione indigebunt.

Primùm agemus de ipsarum incremento & gracilitate. Crescunt mammæ puellis, quando incipiunt pinguescere, minusque crescunt, & majorem sanguinis copiam acervare incipiunt, unde uberior sanguis ad mammas affluit, circa tempus primæ eruptionis mensium, quamvis etiam multæ sint quibus amplificantur mammæ antequam menses ullam sui significationem præbeant. Quibusdam parum dolent ob insuetam sanguinis repletionem. Crescunt etiam mammæ prægnantibus & puerperis ex abundantiâ lactis.

Non solùm autem turpis & indecora est mammarum constitutio quando grandiores sunt & prominentes, sed etiam noxia, quia respirationis adimunt libertatem, manuum & brachiorum operationem lædunt. Ideò dicuntur *Amazones* sibi mammas dextras resecuisse, ut aptiores essent & alacriores ad arma gestanda & alios motus exercendos. *Galenus* tamen *7. aphor. 43.* dixit, has mulieres id fecisse ut manus dextra robustior evaderet, distributo scilicet in manum nutrimento, quòd mammæ erat dicatum. *Hippocrates* tamen credit eas quibus altera mamma aufertur, minus sanas vivere, quia mammæ cùm sint glandulosæ, corporis superflua expurgant. Hinc si mulieres morbo, aut alio casu mammis priventur, vox redditur aspera, humores in stomachum feruntur, sputis abundant, caput dolent & ab his ægrotant. Lac enim veniens & fluens ab utero, cùm jam vasa propria non habeat, in principes nobilesque partes recurrit, cor & pulmones, sicque suffocantur, *libro de glandulis* sub finem; quæ *Hippocratis* sententia non est absolutè intelligenda de omnibus mulieribus quæ mammâ privantur, sed tantùm quando lac ad mammas accedit, non autem alio tempore quando non sunt lactantes, tunc enim sanæ vivere possunt. Præterea dicitur à quibusdam mammarum magnitudo lactis generationi esse incommoda, ea scilicet magnitudo quæ thoraci & reliquo corpori non est proportionata.

nata. Rationem reddunt *primò*, quia ob laxitatem & humiditatem, non possunt habere eum caloris gradum, qui ad lactis generationem requiritur. *Secundò*, à corde & pulmonibus propter distantiam & amplitudinem non satis calefiunt: sed hæ rationes non sunt necessariæ, sicut enim, ut dicemus inferius, ex probâ nutritione hæc amplitudo contingit & caloris copiâ, quid obstat quin probum lac generent, tantum abest, ut ipsis deficiat calor, quin potiùs abundare videtur. *Tertiò*, quia sæpè in illis crudiores succi acervantur, à quibus reliquum lac inficitur. Hæc quoque ratio non est perpetuæ veritatis; non est enim necesse ut in omnibus grandioribus mammis adsint crudi succi, potius quàm calidi & acres. *Quartò*, quia ex *Aëtio* lac ob magnam copiam retentum corrumpitur; quòd pariter non est perpetuum; & in mammis parvis, potest adesse copia lactis, in magnis paucitas, secundum temperamenti & victus rationem, aliasque causas copiam vel defectum lactis facientis. *Quintò*, addunt alii quia inflammationibus & cancro sunt obnoxiæ; sed quid hoc ad lactis generationem? nam omnis generis mammæ possunt his affectibus tentari. Contrà *Paulus Ægineta*, & cum eo alii magnas præferunt, ob caloris copiam, viarum libertatem, quæ possunt facilius admittere & concoquere accedentem lactis copiam & sine dolore ac inflammatione continere. Illud lac probum esse potest, non enim capacitas mammarum lac immutat, sed temperies. Hanc difficultatem sic explicat *Mercurialis*, magnas scilicet & parvas dici, vel secundum carnem, vel secundum cavitates. Magnas secundum carnem, quarum vasa sunt parva, esse malas; contrà, parvas secundum carnem, si vasa sint ampla, esse meliores. Hæ autem utplurimum solent esse mediocres. Hæc solutio non tollit omnino difficultatem. Amplitudo partium fit vel à robore facultatis formatricis, vel à materiæ copiâ, vel ab utraque. Si igitur mammæ sint simul & magnæ & ampla habeant vasa, quæritur an præferendæ sint aliis? Responderem igitur mediocres semper esse & decentiores & commodiores. Post magnas semper esse præferendas, ob majorem caloris copiam, & rationes jam dictas. Parvitas autem mammarum nimia & indecora est, & generando lacti minus apta, cùm nec ejus quantitatem sufficientem continere, neque eam probè concoquere, ob siccitatem plerumque gracilitatis comitem, possit, tum ob vasorum exilitatem & caloris nativi paupertatem. Distinguenda autem est magnitudo mammarum ab earum tumoribus phlegmonosis & schirrosis, tùm ab eâ magnitudine quæ fit ex lacte copiosiore eis

eis contento, quando prægnantes sunt aut nutrices. Hæ enim dispositiones adventitiæ sunt, non autem propriæ, de quibus etiam dicturi sumus.

Fit autem magnitudo mammarum ex probâ ipsarum nutritione, ob nutrimenti scilicet copiam, caloris attrahentis ubertatem & viarum laxitatem, sine his siquidem fieri proba nutritio nequit. Partes illæ laxæ & fungosæ magnam alimenti copiam recipere possunt & fœliciter concoquere. Adjuvant victus euchymus & liberalis, præcipuè ex caseo, mellitis, saccharatis; victus flatulentus secundum *Rondeletium*, ut castanearum, raparum, leguminum, unde montium accolæ mammas habere solent maximas, somnus longior, menstruorum suppressio, à quibus materiæ augetur copia: Sed redeuntibus mensibus non diminuuntur tamen mammæ, quia jam sanguis in illarum substantiam conversus est, ut docet *Aristot. 7. de histor. animal. capite primo.* Addendæ quoquè his sunt omnes causæ quæ sanguinis copiam generant, de quibus alibi diximus. Juvenum pariter consortium & blandæ mammarum contrectationes, quia calefaciunt, sanguinem ad partem attrahunt, qui facilè in illarum substantiam transmutatur.

Contrariæ sunt gracilitatis illarum causæ, quæ alimentum aut imminuunt, aut à mammis repellunt, vel revellunt. Imminuunt inedia, labores, vigiliæ, febres ardentes, calor ambientis, ulcera interna, ut pulmonum, hepatis, totius corporis temperatura siccior, vacuationes omnes insignes & similia. Repellunt verò adstringentia omnia & comprimentia, ut vestes adstrictiores, fasciæ quibus mulieres sæpè ad ornatum utuntur, frigida, narcotica. Quibusdam ex copiosiore & diuturniore lactatione absumuntur mammæ. Revellunt frictiones inferiorum partium, cucurbitulæ, mensium provocatio.

Signa facilè patent, suntque hi affectus sine dolore, tensione insigni, duritie, sine ullâ lactis generatione. Turpes affectus sunt & incommodi, curatu difficiles, gracilitas enim graves sequitur affectus & periculosiores. Magnitudo autem cancris suscipiendis & aliis ejusmodi affectionibus est obnoxia ex *Aëtio*. Dicunt Physiognomi eas quæ habent mammas grandiores, vinosas esse & libidinosas, quia à calore præsertim uterino proficiscitur hæc magnitudo. Magnum enim esse inter mammas & uterum consensum, diximus superiùs; unde ex mammarum colore livido uterum affectum esse, *Hippocrates* cognosci posse scripsit. Hinc quoque blanda mammarum contrectatio ad libidinem excitat. Non est

autem facilè hanc mammarum magnitudinem curare, nisi totum simul corpus labefacere velimus & emaciare.

Quod si sperari potest curatio, primò copiosa sanguinis generatio erit impedienda: secundò, partes densandæ, ne tam facilè recipiant alimentum, ejusque copiosior attractio prohibenda. Prius fiet victu tenui & attenuante, phlebotomiâ, purgatione, diureticis, menses moventibus, sudorem provocantibus, alterantibus & aliis ejusmodi, pro causæ varietate & affectuum complicatorum ratione; tamen si mulier sit gravida, victus tenuis & phlebotomia nocere possunt. Posterius fiet adstringentibus & repellentibus, ut fasciis mollioribus, ligaturis comprimentibus, & affluxum alimenti prohibentibus. Epithematis ex *aquis myrti, plantag. prunellæ, peculi rosar. pinearum recentium destillatarum*, cum pauco *aceto* & *alumine*, & his intincti panni apponantur. *Succum cicutæ* laudant quidam, & *oleum hyoscyami*. His tamen narcoticis uti non est tutum, ne extinguatur, aut enervetur facultas γαλακτοποιητικὴ. Fotus pariter adstringentes & refrigerantes aliquantulum, emplastra & cataplasmata ejusdem facultatis, tum mammis, tum axillis imponi debent, ad vasa constringenda & sanguinis affluxum prohibendum. *Galenus* spongiam ex aceto madentem imponit. ℞ *folior, plantag. menthæ, myrti, equiseti, bursæ pastor. ana M. j, radic. consol.* ℥ j, *flor. rosar. balaust. ana* P. j, fiat decoctio in *aceto* pro fotu partis: Vel residentia teratur; adde *pulveris mastiches* ʒ ij, *boli armenæ* ʒ j, *farinæ hordei* ℥ j, fiat cataplasma. *Aëtii* remedium laudatur ex *terrâ cimoliâ* cum *oleo omphacino*, aut *luto*, quòd in molaribus reperitur, cum *succo plantaginis* misto. Idem præstat *rubrica fabrilis*, cum *oleo myrtino rosar. omphacino, acaciâ* vulgari. *Ferri* quoque *ærugo* vel *crocus Martis* cum aliquo *oleo adstringente*. *Rhazes cimoliam* & *cerussam* cum *decocto hyoscyami albi* & *oleo myrti* imponit. Fiat Epithema cum *aquâ aluminosâ* & *aceto*; his adde *farinam fabarum* & *coriand.* fiat cataplasma, quo utendum per tres dies. Post imponatur *cæpe lilii* coctum per dies totidem, fiat hoc in mense tribus vicibus. *Cyminum* coquatur in *oxycrato*, & applicetur per tres dies ex *Paulo*. *Alumen* cum *oleo rosaceo* quotidie inungatur, & durabit mammarum parvitas, ex *Rhaze*. Quidam probant formas mammarum plumbeas intus illitas *oleo hyosciami*, aut alio adstringenti. *Aquam portulacæ* cum *aceto*, tum *aquam foliorum quercus* alii laudant. Proprietate quâdam convenire dicitur *ovum perdicis* contusum, cum *aceto* & *oleo rosato* mammis illitum. *Folia hederæ* & aliorum adstringentium, ut *olivarum, lentisci*, in locis ubi hæc haberi possunt,

possunt, contundantur cum pauco *aceto* & *aquâ aluminosâ*, & in ingressu lecti instar cataplasmatis imponantur; mane aquâ adstringente, ut *aluminosâ, rosar.* ablui poterunt.

Quòd si jam mammæ accreverint, potiùs conveniunt siccantia & digerentia, qualia ad lactis resolutionem præscribentur, fotus ex sale communi, sulphure, alumine dissolutis in vino rubro; Vel ℞ *farinæ fabarum, orobi, lupin. cicerum rubror. ana* ℥ j ß. Coque in oxymelitis quantitate sufficienti, addendo *florum chamæmeli, meliloti, rosar. siccar. ana* P. ß, *folior. menthæ, absynth.* & *anethi pulverisatorum ana* ʒ j, *olei irini q. s.* fiat cataplasma. Laudatur quoque sequens; ℞ *folior. hederæ terrestris, salviæ minoris, vincapervincæ ana M. j.* Coque in æquis partibus *vini* & *aquæ* ad medias, adde *aceti* ℥ j, fiat fotus. *Magma* mammis applicetur; *myrrha* quoque ad idem valdè laudatur.

Quòd spectat mammarum gracilitatem, si ab affectibus consumentibus, ut hecticâ, febri ardente, phtisi dependeat, curari debet victu analeptico, calido scilicet humido, polytropho, ut *lactis potu, jusculis, gelatinis, balneis humectantibus*, ut de hecticâ diximus. Causæ tamen semper habenda est ratio, nam febri ardenti refrigerantia conveniunt, vacuationibus immodicis adstringentia. Interea foveantur mammæ, lacte tepido, fotibus emollientibus & humectantibus, ut *oleo amygdalarum dulcium, de nuce indicâ, decocto capitum, intestinorum vervecis* cum *malvâ, parietariâ, foliis sambuci*, &c. Si gracilitas illa nativa sit, nec ex ullo affectu consumente dependeat, aut si sanguis crassior ad mammas ascendere non possit, attrahi debet blandis contrectationibus, frictionibus, cucurbitulis mammis appositis, fotu vini albi & aquæ tepentis; Tum etiam in contumaci malo, *dropax* & *levis sinapismus* ipsis imponi possunt; sed diutius illic ne retineantur, nam calore vehementi sanguinem attractum resolvere, atque etiam inflammationem generare possunt. Fieri poterunt ex *pice* in *oleo* dissolutâ, vel ex *ficubus* in *aquâ* decoctis, quarum ℔ j adde *sinapi* ℥ j. Victus interea incidens sit & attenuans, sed non desiccans, alimentosus potiùs quàm medicamentosus. Sed de his plenius dicemus *Capite de lactis defectu.*

CAP.

CAP. II.

DE PRÆDICTORUM AFFECTUUM IN GRAVIDIS CONSIDERATIO.

Soliditatem mammarum fœtus sani & robusti indicium esse scribit Hippocrates *5. aphoris. 52. Mulieri gravidæ, si lac multum è mammis effluat, fœtum debilem significat: Si verò mammæ fuerint solidæ, valentiorem conceptum significant.* Causa ejusmodi fluxus lactis est, quia plurimum colligitur, quòd fit, si venæ multo sanguine repleantur, aut si fœtus propter imbecillitatem paucum absumat. In gravidis autem mammæ tenues defectum sanguinis significant, & propterea fœtus corrumpitur. Tres igitur sunt mammarum conditiones, vel sunt pleniores ex copiâ lactis, vel solidæ, vel flaccidæ. Pleniores fœtum indicant imbecillum, qui parum sanguinis attrahit & consumit. Solidæ vel mediocriter plenæ fœtum sanum indicant, qui tantùm alimenti attrahit, quantùm ipsi opus, ita ut satis supersit mammis ad lactis generationem. Flaccidæ ostendunt defectum sanguinis, qui totus ad fœtum convertitur, cum quo potest fœtus esse sanus & incolumis, nisi sit præsagium abortus, ut dicemus statim. De his igitur affectibus agendum est breviter.

Sanguis igitur postremis mensibus mediocriter in mammis colligi debet, ut solidescant, nec inde ante partum effluere. Tunc ergo si magnâ exeat copiâ, debilem fœtum arguit, qui paucum attrahit & concoquit, unde reliquum ad mammas copiosius refluens, ex illis effluit. Hoc igitur malum est & abortus futuri præsagium, maximè si sanguis ille fuerit aquosus. Sistitur ejusmodi fluxus repellentibus & roborantibus internis & externis, ut victu euchymo, fœtum roborante, ut diximus *Cap. de abortu*, tum etiam topicis prædictis, fotu ex vino rubro adstringente, in quo *sumach*, *cinnam. balaustiæ* & similia coxerint, unguento comitis, cataplasmate ex *farinâ lentium, fabarum, bolo* coctis in oxycrato, ut jam supra diximus.

Contrarius huic affectui est lactis defectus, unde earum sequitur extenuatio, *aphor. 37.* & *38. lib. 5.* atque etiam *aphor. 53. ejusdem. Quæ corruptura sunt fœtus, iis mammæ extenuantur. Quòd si rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit & non corrumpent.* Extenuari mammas sanguinis defectu jam supra diximus, qui vel in toto

toto corpore deficit, unde fœtus maximam illius partem attrahit, mammis autem nihil relinquit, vel saltem relictis mammis totus versus uterum fertur, unde sæpissimè sequitur abortus, qui natura ad expulsionem properans, sanguinem & spiritus ad uterum transmittit, potissimum si repente extenuentur. Magnam enim causam esse necesse est, quæ subitò lac ad uterum revocarit, alioquin si sensim extenuatio fiat, non est necesse semper sequi abortum, ut si fœtus major circa tempus partus multo alimento indiget, unde fieri potest, ut satis sanguinis fœtui alendo suppetat, non item lactis generationi: Quin etiam non semper in extenuatione repentinâ sequitur abortus. Potest morbus qui extenuationem istam commisit curari, sic redintegratis naturæ viribus sanguis iterum redit ad mammas, & quæ ante erant graciles, rursus solidescunt & recorporantur; & si major adsit sanguinis copia etiam durescunt, nullusque sequitur abortus. Hac mammarum durities ob copiam sanguinis dolorem facit in mammis, atque etiam in aliis partibus, si pars illius sanguinis à mammis robustis ad illas transferatur; non tamen semper metum abortus adimit. Potest enim etiam transferri ad uterum, & sic phlegmonem, aliosque morbos fœtui perniciosos in eo excitare. Quærit *Galenus*, an in omni abortu venæ fiant graciles? Asserit autem semper præcedere vel sequi; ita ut sensus sit, abortum semper esse cum mammarum extenuatione, sed non contra. Extenuationis igitur mammarum in prægnantibus causa erit vel sanguinis defectus, vel illius à mammis ad uterum phlegmone, ictu, casu, aliove morbo malè affectum, recursus. Atque etiam si fœtus robustus & grandior totum sanguinem ad se attrahat, & mater ipsa picâ aut ciborum fastidio laborans, vel absurda alimenta desideret, aut saltem tenuiori quàm par est victu utatur. Extenuatio hæc non semper mala est, ut diximus. Quòd si accidat propter ruptionem, divulsionem membranarum fœtus, reparari vix potest & necessariò sequetur abortus. Quòd si fiat propter robur fœtus multum sanguinem absumentis, nullum impendet periculum, nec curationem postulat, solus sufficit victus copiosior. Qui etiam conveniet, si ab affectibus extenuantibus procedat, ut diximus Capite præcedenti, & dicemus Cap. *de lactis defectu*. Quamvis revocare sanguinem ad mammas non sit necessarium, sufficit si commoda ipsius generatio, quæ fœtui alendo sufficiat, procuretur.

Contrà durities fit à copiâ sanguinis, aut ob ipsius cruditatem, mammarumve debilitatem, quæ illum probè concoquere nequeunt. Hinc

 sequi-

ſequitur dolor, tumor, inflammatio, lactis effluxus, de quo ſupra diximus. Quantitas igitur ſanguinis minuenda eſt, ipſe repellendus, mammæ roborandæ, ut melius ſanguinem concoquant. Minuunt tenuis victus, phlebotomia & alia plurima, quæ tamen in gravidis cautè adhibenda, nam minùs tenuis victus eſſe debet quàm in aliis. Phlebotomia, ſi eâ opus, ſit moderatior, certum enim eſt eam gravidis interdum multum profuiſſe, atque abortum præcaviſſe. Repellentia ſint ex *farinâ fabar.* coctâ in *oxycrato*, tum etiam miſcenda ſunt digerentia, ex *menthâ*, *abſynth. farina lupinorum*, *fabarum*, *orobi*, cum *oleo liliorum*. Demum omnia proſunt quæ ad ſanguinis redundantiam & concretionem inferius præſcribentur.

CAP. III.

DE INFLAMMATIONE MAMMARUM.

MAmmis non minùs quàm aliis partibus contingit inflammatio, vel phlegmonodes, vel ereſipelatodes, tumor ſcilicet calidus cum dolore pulſatili & renitentiâ, ut differat ab eo mammarum tumore qui ob lactis abundantiam contingit, in quo adeſt ſolùm extenſio quædam abſque calore & dolore. Fit ex copiâ ſanguinis fervidi ad mammas affluentis, vel in gravidis & lactantibus ex lactis abundantiâ, quòd in illis corrumpitur & putrefit. Prioris cauſæ ſunt, quæcunque ſanguinem copioſum gignunt & ad mammas attrahunt, aut mittunt, ut totius corporis plethora, ſuppreſſiones menſium, hæmorrhoidum, exercitatio vehemens partium ſuperiorum, calor partis, dolor ex compreſſione & ſtricturis mammarum excitatus, ictus, contuſio, &c. Poſterioris cauſa eſt lac copioſius in mammis concretum, unde putreſcit & inflammatur, quæ cauſa non in omnibus, ſed tantùm in puerperis & utero gerentibus, ſeu quibus menſes præter naturam detenti fuerint, hunc affectum excitare ſolet.

Cognoſcitur inflammatio ſignis communibus, tumore, rubore, calore, febre, renitentiâ. Quòd ſi in gravidâ & puerperâ contingat, veriſimile eſt fieri à lacte, ſed præterea diſtingui poſſunt; nam tumor cùm fit ex ſanguine, eſt ſyſtrophicus, contractus ſcilicet & faſtigiatus ad alterum latus mammillæ. Cùm fit ex lacte, extenſus eſt & diffuſus per totam mammam, quòd lac in latioribus mammarum ſpatiis contineatur: Hinc dolor & calor in phlegmonoſo tumore non afficiunt totam

tam mammam, nisi per sympathiam. In lactis verò corruptione dolor diffusus est, & usque ad mammillæ centrum extenditur. Præterea in phlegmone rubor major est, dilutior verò in lactis corruptione, quia fit tantùm ex calidis lactis vaporibus, mammarum superficiem inflammantibus, aut etiam ex dolore sanguinem attrahente.

Non spernendi sunt hi affectus, nam cùm laxior & adenosa sit mammarum substantia, nec multum obtineat calidum innatum, metus est ne in scirrhosum tumorem, aut cancrosum vergat, aut eâ suppuratâ ulcus exedens consequatur. Deinde ex *5. aphor. 40. Quibuscunque mulieribus sanguis ad mammas colligitur,* (συςρέφεται, id est, *tumorem contractum* & *conglobatum* generat) *maniam significat.* Qui tamen casus ex *Galeni* commentario rarus est, nec universalis. Fit autem ex sanguinis vaporibus tetris cerebrum petentibus, maximè si cerebrum sit debile.

Ad curationem præscribatur victus ratio, qualis morbis acutis & febri continuæ convenit, refrigerans, tenuis & exquisita: Aër sit frigidus, aut saltem tepidus, affectus omnes animi vitandi, somnus conciliandus. Alvus lubrica servanda clystere, aut lenientibus medicamentis. A vino abstinendum, cujus loco utendum est *aquâ hordei*, aut *aquâ simplici* coctâ cum *succo granatorum.* Cibi pauci sint, refrigerantes, humectantes, oligotrophi, ut *jusculà pulli*, aliarumque carnium eupeptarum, leviter cocta & alterata *lactucâ*, *endiviâ*, *cichorio*, *borragine*, & similibus. Victu instituto curationis duo sunt scopi; primus ne crescat inflammatio; secundus, ut quicquid ejus factum est, tollatur. *Primus scopus* perficitur venæ sectione, quæ in principio celebranda ex basilicâ brachii, è directo mammæ laborantis siti, nisi fluant, aut fluxuri sint menses, vel hæmorrhoides, tunc saphena potius aperienda; aut si sanguis mitti non possit, cucurbitulæ affigantur scapulis, natibus, aliisque partibus, prout Medico videbitur opportunum. Purgatio si opus sit, ex blandioribus catharticis fiat, ut *caßiâ*, *mannâ*, *syrupo rosar.* & similibus. Refrigerantes quoque syrupi prosunt, qui simul fluxum sanguinis retardare possunt. Causam conjunctam quod spectat, in principio utendum est repellentibus, sed levioribus, ut fervor sanguinis refrænetur; nam gravioribus vel congelatur sanguis in mammis, vel repellitur in thoracem & pulmones, ubi pleuritidem, gravesque affectus concitare potest. Tutius igitur addi possunt quædam digerentia, quæ in progressu sensim augenda & reprimentia minuenda. In principio igitur uti possumus *oxycrato simplici*, aut *oxyrhodino* ex *aquâ rosarum*, *plantag. oleo rosato*

omphacino, *aceto*, aut *unguento populeone*, *rosato*, *albo ovi*, *farina lentium* & similium. Progrediente morbo ad discutientia accedendum, ut *decoctum malvæ*, *altheæ*, *violar. sisymb. florum chamæm. meliloti*, *sem. lini*, *fœnugræc. aneth. oleum chamæmelin.* quibus addi potest *farina fabar. hordei*, *lupinor. orobi*, *fœnugræc. sem. lini*, *panis contritus*, *crocus*, *myrrha*, *vitellum ovi*, *oxymel*, ex quibus fotus & cataplasmata fieri possunt. *Folia malvæ* in *oleo* coquantur & imponantur; Item *lac vaccinum* in *caseum coagulatum*, *fimus ovillus* cum *aquâ agrimoniæ*. Herba ipsa contusa cum *butyro* & *melle* prodest, vel linteolum imbutum *oleo sambucino*. Si discuti non possit, suppuratio adjuvanda est *unguento basilico*, *farinis fœnugræc. tritici*, *lini*, cum *butyro*, *pinguedine*, & aliis, de quibus in materiâ Medicâ diximus.

Quod si levioribus non cedat, sequens convenit: ℞ *capar. albar. rad. alth. lilior. ana ℥ ij*, *foliorum apii*, *malvæ*, *senec. oxylapat. ana M. j*, *sem. lini*, *fœnugræc. ana ʒ iij*, *caricar. pinguium Paria x.* Decoque in aquâ, quibus contusis & cribratis, adde *farinæ tritici* & *fabarum ana ℥ ij*, *axungiæ porci*, aut *anseris*, vel *butyri recentis ℥ iij*, *olei liliorum*, vel *amygdal. dulc. q. s.* Misce, fiat cataplasma. Pure facto abscessus aperiendus est ferro, caustico, aut superposito cinere cochlearum, fermento cum sale, si materia sit posita in superficie partis. Ubi verò profundius latet, utendum est ferro candenti, quòd etsi terroris plenum videatur, minorem tamen dolorem facit, humiditates superfluas exugit, partem ipsam roborat. Monet autem *Amatus Lusitanus*, mammam affectam rarò ad sanitatem perduci, nisi altera sana à lacte exsiccetur.

Si verò inflammatio induretur, emollientibus & attenuantibus est utendum, ut dicemus Capite sequenti. Prodesse creduntur *stercus canis* cum *terebint. semen lini* cum *aceto*. *Valescus* probat emplast. ex *oriza* coctâ in *vino albo* cum *vitellis ovorum*; Item ex *pice liquidâ* & *oleo rosato*. Si nodi sint in mammis. ℞ *foliorum persici*, *rutæ ana M. j.* Coque in *vino*, & fiat epithema, vel tere cum *axungiâ porci*, & fiat cataplasma. *Caules*, *braßicæ*, *malva*, *mentha*, coquantur in *oleo*, & cum *farinâ fabarum* redigantur in emplast. Interdum tota ista durities amputanda; demum cura scirrhi huic indurationi convenit.

Quòd si, è lacte fiat inflammatio, ipsius dissolutioni incumbendum est, addendo superioribus *folia menthæ*, *apii*, *fœnicul. petrosel.* aut horum succos, cum *oxymelite*, *farinâ*, *cicerum rubrorum*, ut Capite de ejus coagulatione dicetur. Quod si dissolvatur & per papillam effluat, commodum erit. Si verò dissolvi nequit, maturandum erit & educendum, ut jam

jam diximus. Sequens laudatur ad dolores à lacte inflammatorios, ℞ *olei rosati, olei lini ana* ℥ j ß, *vitellos ovor.* N. ij, *tuthiæ præparatæ* ʒ ij, *ceræ novæ* parum; fiat linimentum. Coagulum illitum, omnibus mammarum tumoribus prodest ex *Aëtio*.

Si mammarum tumor fuerit œdematosus, ut in illis quæ pallidis coloribus, vel cachexiâ laborant, fit à fluxione humoris serosi vel phlegmatici in prædictas partes, aut etiam ab horum humorum congestione: Fieri etiam potest à flatu vel solo, vel cum prædictis misto. Rarior tamen est affectus propter cordis vicini caliditatem. Signa eadem sunt quæ œdematis, eademque est curatio. Præmissis igitur generalibus, ut idoneâ purgatione, diætâ calefaciente & exsiccante, humor resolvendus erit *fotu thermarum*, aut earundem *luto*, aut fotu ex *decocto sarmentorum*, *caulium*, *rosarum*, *brassicæ*, addito *sale* ex *alumine*, ad partem simul roborandam: *Cataplasmate* ex *farinâ fabarum* & *orobi*, cum *semine cymini* & aliis resolventibus superius dictis. *Emplastro diachyl.* de *meliloto*, de *sulphure*, de *baccis lauri*. Quæ œdemati conveniunt, huc omnia referri possunt interna & externa. Verùm valentius non est resolvendum, ne in scirrhum tenui humoris parte dissipata tumor degeneret, aut diurniori calefactione sanguis attractus ad partem fungosam putrescat & malignos abscessus producat, ut in scrophulis quotidie observari potest.

Cap. IV.

De Scirrho Et Cancro Mammarum.

Affectus isti sæpè fiunt in mulierum mammis, quia fungosæ & inanes cùm sint, vasaque habeant laxa, facilè materiam quamlibet excipiunt, & in eas tum ex capite, tum ex utero facilis est recursus, ob maximam quam habent cum utero sympathiam. Scirrhus tumor est mammarum durus & indolens, ad differentiam cancri, qui tumor est maximè dolorificus; scirrhus autem si sit exquisitus nullum habet dolorem; non exquisitus verò exiguum: fieri autem potest scirrhus duobus modis. Primò ex melancholiâ naturali in mammis collectâ, quæ frigida est & sicca. Si quando *Galenus* fieri dixit ex atra bile, melancholiam hanc intellexit. Hujus causæ sunt quæcunque sanguinem melancholicum in corpore acervare possunt. Præcipuè verò in mulieribus ex obstructo splene, aut suppressis menstruis, fœculentus hic humor

mor in mammas regurgitat, ob magnum uteri & mammarum consensum, ob substantiæ ut diximus laxitatem, vasorum multitudinem, quibus facilè redundantes succos excipiunt. Secundò fit scirrhus ex omnibus tumoribus præter naturam induratis, sive ob diuturniorem repellentium usum, quæ tenui parte vacuatâ crassiorem indurarunt. Præterea his humoribus alii possunt admisceri, à quibus fiet scirrhus non exquisitus, sed phlegmonodes, œdematodes, eresipelatodes, pro variâ humorum cum melancholiâ permistione, estque hic doloris alicujus particeps. Pariter scirrhus primarius vocatur, qui ex humore melancholico fit; secundarius verò qui ex pituitâ, aut aliis tumoribus induratis generatur, qui dicitur scirrhus albus, quo nomine omnes glandulæ, nodi & strumæ mammarum contineri possunt. Solent enim glandulosi tumores in ipsis succrescere, interdum cum dolore, interdum sine eo, quem affectum scrophulas esse ait *Galenus*, cùm dicit eas esse glandulas in scirrhum conversas. Fiunt quoque duobus modis, vel quando ex pituitosi humoris fluxione intumescunt, suntque indolentes, nisi fluxioni acris & biliosus humor admisceatur, aut cum in ipsâ mammâ, ex concreto sanguine & pure, quasi glandulæ oriuntur, ut vult *Celsus*, *lib. 5. Cap. de strumis*, & *Tagaultius in Chirurgiâ*, quæ scrophulæ cancrum minantur. Difficilè est glandulam à scrophulâ distinguere nisi duratione, habent enim communem duritiem, atque etiam glandulæ non semper dolent, sicut nec strumæ, nisi affluente humore acri. Ideò distingunt quidam, quòd glandula sit mobilis, scrophula verò rigida instar scirrhi manet. Scrophula unicum tantùm locum obtinet, at glandula in parvos secatur tumores intra mammam divagantes, quæ tamen omnia sunt falsa. Igitur strumæ propriæ loquendo sunt tantùm glandulæ induratæ.

Scirrhus autem cognoscitur ex tumore indolenti, colore subnigro aut fusco, inæquali corpulentiâ, sicut cùm fit ex pituitâ, ex subalbo colore; non exquisitus verò, si ad tactum aliquantulum doleat, quo distinguitur à cancro, qui citra contactum dolet, & quâlibet ex causâ facilè excandescit.

Cancer autem tumor est durus, tactui renitens, inæqualis, cum circumjectis venis nigricantibus, colore cineritius ad rubrum vergens, aliquando sublividus, dolorem pungentem inducens, quâ definitione ejus signa & natura explicantur, quando scilicet est confirmatus, nam incipiens valdè obscurus est, ciceris aut fabæ magnitudinem vix superans, paulatim tamen augetur, atque miserè torquet ægrotantes. Est autem

autem quidam ulceratus, alius non ulceratus, quem *Hippocrates cancrum occultum* vocat. Fitque duobus modis; aut ex ſcirrho in cancrum degenerante, præſertim ſi aliquid humoris aduſti accedat: aut primariò ex atro aduſtoque humore, qui ob fervorem gravia infert accidentia, qui fervor ſi perſeveret, aut irritetur, tumor in exulcerationem deſinit. Occultus enim à mitiori, ulceratus verò ab humore fit acriori. Eſt etiam cancer alius legitimus & exquiſitus, alius non legitimus & ſpurius, quia ſcilicet alii humores ſucco atra bilari permiſcentur, unde affectus quidem fit mitior, ferè inter ſcirrhum & cancrum medius; ſed quùm humor vel vetuſtate, vel medicamentorum intempeſtivo uſu, vel errore vivendi incaleſcit & efferatur, tandem in verum carcinoma, ſeu cancrum exulceratum degenerat. Adſunt dolor & calor abſque inflammatione, pars liveſcit, aut nigricat, venæ in ambitu turgent ob craſſi & fœculenti ſanguinis copiam. Vidi tamen cancrum in quo ejuſmodi venarum tumor non apparebat. Ulceratus eſt tanquam caro, cum fœtore, horrido aſpectu, labris præduris, ex quo ſanies tenuis nigri aut obſcuri coloris manat, vaporemque exſpirat malignum cordi & cerebro noxium, unde frequens animi defectio, febrisque aſſidua & lenta. In genere ſciendum eſt, hos affectus eſſe admodum curatu difficiles, tum ratione materiæ, tum ratione ſymptomatum, tum ratione partis ad patiendum aptiſſimæ.

Curationem quod ſpectat, cauſarum in utroque affectu maxima habenda eſt ratio. Accurata victus ratio præſcribetur, cacochymia purgatione blandâ educetur. Celebrabitur phlebotomia, ſed potiſſimum ex venis inferioribus vel ani, vel pedum ſanguinis elicietur, ſi hæmorrhoides aut menſes fuerint ſuppreſſi. Reliqua alterantia huic humori & obſtructionibus accommodata præſcribi poterunt, ut *theriaca, confectio alkermes, ſerum lactis, limatura chalybis, julepi accommodati, balneum*, & ſimilia quæ ex *Capite de quartanâ, de melancholiâ, de obſtructionibus ſplenis* repeti poſſunt. Poſt hæc ad topica veniendum, quæ remollientia eſſe debent & attenuantia propter humorem durum & craſſum. Ex attenuantibus ſolis periculum imminet, ne tenuiori parte reſolutâ craſſior remaneat, ſic malum reddatur immedicabile. Ex humectantibus verò, ne materia putreſcat, inflammetur, ſicque in cancrum, aut ulcus vertatur. Itaque ex *Galeni* conſilio vel alternis vicibus, modò mollientibus, modò attenuantibus, vel medicamentis miſtæ facultatis eſt utendum, atque iis etiam tantùm per intervalla, ut pars interea poſſit recreari. In-

Inungatur igitur *oleo lilior. amygdalarum dulcium, chamæmel. rosaceo*, quibus incoquantur *radices lilior. cucumeris agrest. aneth. fœnugræc.* Addi poterit *unguent. resumpt. dialth. agrippæ, pinguedo gallinæ, medulla cruris vituli, crocus.* Convenit quoque *diachylon* cum *gummis, emplast. filii Zachariæ, de ranis*, & similia, cum prædictis oleis remollita, aut cum *oleo hyperici. Gummi ammoniac. galban. styrax, bdellium* cum *vino albo & aquâ vitæ dissoluta* imponi possunt. Idem præstabit cataplasma ex *farinis fabarum, hordei, fœnugræc, lini*, coctis in *hydromel.* cum *oleo rosaceo & croci* ℈ j. *Cannabis sylvestris* contusa & apposita, mammarum durities curat, saniem expurgat, dolorem aufert. *Triticum* quoque coctum & appositum prodest: ℞ *rad. altheæ, lilior. enulæ campan. ana* ℥ j, *folior. malvæ, parietar. brancæ ursinæ, senecion. ana M. j, summit. fœnic. M. ij*, fiat coctio in *aquâ & vino albo* pro fotu. Residentia teratur, transmittatur per setaceum, adde *farinæ sem. lini, fœnugræc. radic. ireos florent. ana* ℥ ß, *pulveris calami aromat.* ʒ *ij, olei rosacei* parum, fiat cataplasma. Laudatur *unguentum de althea*, cum *unguento Agrippæ & oleo rosato.* Laudat *Galenus* suffumigium ex *aceto* supra lapidem pyritem, vel molarem candentem injecto. Quidam tamen putant aceti usum non esse mammis salutarem, propter earum laxitatem, ne vel contabescant, vel scirrhosus tumor magis induretur. Verùm hi omnia tuta timent, nam neutrum ex his, nisi admodum longo & continuo usu succedet. *Aëtius* multa proponit, *stercus caninum* cum *terebint. semen lini* cum *aceto, lumbricos oleo amgydal. dulcium* maceratos; Item *nitrum, mannam thuris, cerussam* cum *oleo. Chamæpytis* quoque in *oleo* cocta laudatur.

Cancri curationem quod spectat, ea videtur impossibilis. Cancros enim sinere melius est, quàm medicamentis aggredi, curati enim citius interimunt, non curati verò longius durant, ut vult *Hippocratis* sententia, *aphor. 38. lib. 6.* Fit autem sæpe ex scirrho malè curato, & in cancrum degenerante. Hæc autem transmutatio cognoscetur, si dolores acuti repetant, qui sæpè ad brachia, humeros & costas extenduntur, si pulsatio, inflammatio acciderint, tumor conspicuus sit, color cineritius & obscurus, durities, venæ in ambitu tumescentes & lividæ instar varicum, si scilicet tumor non fuerit in profundo situs, tunc enim sufficiet ex dolore & illius modo ea exquirere. *Hippocrates lib. de morbis mulierum* hæc signa tradit. *Cùm, inquit, cancri futuri sunt, omnia amarescunt, & quicquid ederint amara videntur, & si quis plura dederit accipere renuunt. Mente verò percelluntur, & oculi duri fiunt, & non acutè vident, & ex mammis dolores*

lores ad jugulum transiliunt, & sub scapulas, sitis tenet, mammæ sunt graciles, & per totũ corpus attenuatæ sunt; quæ signa frequenter in fœminis sic affectis conspicimus. Qui verò papillæ summitatem occupant, partis amputatio facilè curantur, non autem alii, ut docet *Aëtius*. Quia igitur horum curatio *Hippocratis* decreto est impossibilis, satius est uti prophylacticâ & palliativâ, sanguinis missione scilicet Vere & Autumno factâ, provocatione menstruorum, hæmorrhoidum & similium, purgatione humoris melancholici frequenter repetitâ, in quibus non omittantur *cochlearia, fabaria*, & quæ sunt antiscorbutica. Dein oportet symptomata dolorem, inflammationem, exulcerationem si adsit, mitigare, nam illam amputare non est semper tutum, revertitur enim ex *Celsi* decreto, ac etiam periculum est ne ulcus malignum contrahatur, nisi tumor fuerit parvus, superficialis, qui nondum costis adhæreat, ita ut venæ simul cum ipso amputari possint, sanguisque ex vicinis venis exprimi. Ad hæc præstanda maximè laudantur *plumbum, tuthia, succus solani, plantag. sempervivi, lactucæ, oleum rosatum omphacinum, bolus armena, terra lemnia*, quæ in mortario plumbeo tamdiu agitentur, donec linimenti consistentiam acquirant. Prædicti quoque succi cum *oleo omphacino* decoqui possunt ad succorum consumptionem, & cum modicâ cerâ permisceri. Convenit quoque lotio ex *aquis portulacæ, agrimoniæ, arnoglossæ, pimpinellæ*, vel herbas simul contritas imponere. Plumbi lamina etiam ulcerato cancro utiliter applicatur, crebris foraminibus sit pervia, eodem linimento, vel aquâ confricetur. Quidam *argento vivo* confricant, non sine successu, quia hydrargyrum resolvit & refrigerat. Advertunt *Rondeletius* & *Forestus*, ubi incipit exulcerari, tollendam esse sæpius laminam plumbeam, quia virus & materiam putrefactam retinet, cui satius est exitum dare, nam gravissimos infert dolores. Interdum ex usu ejusmodi repellentium thorax repletur sero sanguineo, non sine insigni partium vitalium pernicie. Id autem contingit maximè quando cancer costis & earum musculis adhæret, rarò autem anteà, quando in solis mammarum glandulis à subjectis partibus solutus est. Confert quoque unguentum ex *olei rosati omphacin.* ℥ viij, *pulveris cerussæ, tuthiæ* & *litharg. ana* ℔ ß, quæ ducantur in mortario ad linimenti consistentiam. *Joannes de Vigo* fovet decocto *clymeni*, dein prædicto unguento addit *plumbi usti* ℥ ij, *succi clymeni* ℥ iiij, *terebint.* ℥ ij, fiat emplastrum. Laudantur à plurimis *pinguedo ranarum, unguentum ex bufone, oleum de viperis* & earum axungiâ, *pulvis cancrorum fluviatilium* cum *ovo* integro commistus & illitus:

tus: vel contundantur *cancri* cum *succo cardui*: Idem facit *fimus caprillus* cum *melle*: *Caro* quoque *limacum* cum *testis* contrita & parti imposita prodesse creditur. Alii laudant *carduum*, *herbam Roberti*, *scabiosam*, *caprifolium*, *tapsum barbatum*, *pulverem stercoris humani* cum *anetho*. Dicitur mulier quædam decocto *cardui benedicti* fuisse curata, quo locum affectum lavabat, & *pulverem cardui* inspergebat. *Aqua* ex *stercore humano* distillata, sicut & *decoctum hederæ* terrestris commendantur, etiam ad cancrum ulceratum: ℞ *herbæ Roberti*, *verbasci*, *scabiosæ*, *caprifol. anethi*, *stercoris humani ana partes æquales*, urantur in fictili. Cineris hujus ℞ ʒ *iij*, *aquæ solani* ℥ *vj*. Misce in mortario, & ulceri cancroso impone ex *Nicolao Rochæo*. *Aëtius* autem cancris non ulceratis panem cum *symphyto* imponit, item *rosas*, *melilot. semen papav.* cum *passo* & *vitellis ovorum*. *Althea folia*, *plantago*, *capita papaver.* cum *seminibus* & *psyllium* tere, & cum palmulis impone: adde *adipis anserini* parum. *Theriaca* cum *lacte* & *rosaceo* diluta imposita prodest. Ad ardorem quoque sedandum confert cataplasma ex *pomis*, in *aquâ rosoceâ* decoctis, vel *oleum rosatum aquâ nymphea* lotum, cum *oleo de vitellis ovorum*, & paucâ *caphurâ*. *Amygdalæ* quoque *dulces* cum *aceto* tritæ, sicut & *caseus recens* impositus valet ex *Stokero*.

Ubi verò ulcus jam apparet, si ferro exscindi possit, aut caustico, cum circumpositis radicibus exuri, utile erit, dein idoneis pharmacis humorum acrimonia temperanda. Quòd si nequeat fieri, aut nolit patiens chirurgiam hanc admittere, curâ tantùm palliativâ agendum, dolorem demulcendo, refrigerando & exsiccando sine mordacitate, ut *aquâ aluminosâ*, unguento superius descripto additâ *camphorâ*. Chymici *oleum plumbi* laudant, quòd sic præparat *Crato*; ℞ *cerussam*, superfunde *acetum*, stent simul 24 horis, dein separetur *acetum*, & quòd remanet, distilletur in arenâ. Quidam admovent ad dolorem leniendum, carnes recentes *gallinarum*, *vervecis*, *caponis*. Eas rejiciunt *Varandæus* & *Forestus*, quia facilè corrumpuntur, & ulceris sordes & inquinamenta augent. *Mauritius* tamen *Cordæus* scribit mulierem hoc remedio sanatam fuisse reliquis irritis. Prædicta autem incommoda vitabuntur, si sæpius hæ carnes mutentur, antequam putrescant, & *aquâ solani*, vel *plantaginis* laventur. Prodest quoque fotus ex lacte tepido, aut emulsione ex *seminibus frigidis lactucæ*, *portul. papaveris albi*, extractâ in *aquâ rosar. solani*. Interdum dolore urgente cogimur addere *fol. mandrag. hyoscyami* & parum *opii*. *Cynoglossum* quoque in *aquâ* vel *vino* coctum impositum prodest. ℞ *amyli*, *cerussæ præparatæ ana* ℥ *ij*, *thuris*, *aloës*, *terræ lemniæ ana* ʒ *iij*,

succi

succi solani ℥ *vj*, *olei rosati* ℥ *iij*; fiat unguentum in mortario plumbeo. *Oleum* quoque *Saturni* & *ferri* commendantur, quia obtundunt malignitatem cancri, sicut & *olei arsenici* guttæ aliquot cum *aquâ plantaginis* mistæ, quibus madescat ulcus.

Alterantibus interea assumptis humoris malignitas coerceatur, ut sunt *trochisci de viperis*, *confectio alkermes*, de *hyacyntho*, *theriaca*, *pulvis cancrorum fluviatilium*, *conserva nymphea*, *borrag.* & similia, cum *aquâ scrophulariæ*, vel *scorzoneræ*. Laudat *Aëtius sanguinem anatis*, vel *anseris* potum, aut *trifolii bituminosi*, *rutæ*, *pulegii*, *malvæ* decoctum: Vel ℞ *radicum & folior. plantag. fragariæ. lapat. acuti*, *pimpinellæ*, *majoranæ*, *caulium rubror. torment. tanaceti ana* M. ß, *cardui bened.* M. j. Coque in *vino albo* & cum *melle* despumato fiat potio. Vel ℞ *cancros* N. x. *herbæ Roberti*, *agrimoniæ*, *sanamundæ*, *tormentil.* cum *radicibus ana* M. j, *pyrolæ*, *hederæ terrestris*, *omnium capillar. hyper. scabios. cardui bened. ana* M. ij, *florum buglossi* M. j ß. coque cum *aquâ* & *sacchara* ad formam syrupi. *Amuleta* quod spectat, ut *smaragdum*, *sapphyrum*, & similia, quæ proprietate occultâ huic affectui prodesse creduntur, non sunt quidem negligenda, etsi ea parvi momenti esse judicem. Experiatur qui volet. Ultimum remedium est abscissio, si commodè fieri possit, ut diximus superius. Incipiat à parte sterno proximâ, ascendendo ad superiorem, quia venæ majores ultimo loco sunt abscindendæ, ne sanguis immoderatè profluat, qui tamen aliquantulum fluere debet antequam sistatur, ut pluribus legere licet apud *Fabritium ab Aquapendente* in *Operationibus Chyrurgicis*.

Cap. V.

De Ulceribus Et Fissuris Mammarum.

Ulcera mammis, sicut & reliquis partibus contingere possunt, vel primariò ab humore acri & erodente, vel secundariò cùm succedunt vulneri, vel tumori suppurato, contusioni & similibus. Easdem quoque patiuntur differentias cum reliquis ulceribus, vel enim sunt simplicia & boni moris, vel maligna & complicata cum causâ antecedente & symptomatis, unde fiunt phlegmonosa, virulenta, cancrosa, sordida, fistulosa, dolorifica, &c. Earum causæ & signa ex generali de ulceribus tractatu repeti possunt. Sunt autem curatu admodum difficilia,

ficilia, ob quantitatem humorum ad mammas affluentium, & ob earum ſubſtantiam laxam, ſpongioſam, humores & excrementa facilè ſuſcipientem.

Ad curationem præmiſſis univerſalibus, diætâ ſcilicet & purgationibus accommodatis, decoctum *gaiacinum* competit, quia ulcera omnia valdè deſiccat. Si fœmina lactans ſit, non poterit curari, niſi prius lac exhauriatur, ob continuum lactis & humorum affluxum. Et quia ſæpius dolor conjunctus eſt, ille leniendus erit, ſimulque ulcus detergendum, nunquam tamen exaſperandum, ne fluxionem irritet. Dolorem leniet puls ex *melle*, *vino rubro auſtero*, *micâ panis albi*, *vitellis ovorum* cum *lacte* ſimul coctis, *mel* deterget, *vinum* roborat, reliqua anodyna ſunt. Proſunt quoque *oleum amygd. dulcium, roſ. ovorum, butyrum recens*, quibus tota mamma foveri poteſt. Ad deterſionem prodeſt decoct. catapultarum, quo ſæpius in die ablui poſſunt ulcera, atque etiam poteſt injici ſi ea ſint fiſtuloſa. Idem præſtabunt decoctum *zedoar. rhapont. in œnomelite*, vel *hydromel.* factum, additâ *ſacchari* parte quartâ, *Syrupus de abſynth. de roſis ſiccis*, *mel roſat. decoctum hordei*, *ſuccus apii*, *farina orobi*, *hordei*, *terebinth. myrrha, aloë, mundificativum de apio, unguent. Apoſtolor. ægyptiacum*, & ſimilia detergentia. ℞ *farinæ hordei, orobi, lupinor. ana* ℥ ß, *pulveris myrrhæ, aloës, ireos florent. ana* ʒ j, *tereb.* ℥ j, *ſucci apii* ℥ j ß, *mellis roſati q. ſ.* fiat unguentum. Fortius reddetur additione drachmarum duarum *Ægyptiaci*: blandè tamen ſemper tractanda ſunt hæc ulcera & blandè deliganda, nam facilè irritantur & dolent, & mammæ ſpongia abſumitur. Mundatum ulcus occludi poterit adſtringentibus, ut fotu ex *vino auſtero*, in quo *gallæ, malicorium, ſumach, thus, myrrha, aloë, nuces cupreſſi* coxerint. Poſt fortem expreſſionem coque iterum ad mellis conſiſtentiam, valet ad nomas & omnia ulcera exſiccanda, ex *Paulo* & *Aëtio*. Poteſt eſſe inſtar omnium, ajunt *Valeſcus*, *Gordonius* & *Riolanus*, poteſtque ad alia ulcera transferri per analogiam. Proſunt quoque *aqua aluminoſa*, *decoctum hederæ*, *unguent. diacalcith. deſiccativum rubrum*, de *minio*, de *plumbo*. ℞ *maſtich.* ʒ j *nucis cupreſſi* ʒ ij, *boli armenæ, terræ lemniæ, ſangu. dracon. ireos florent. balauſtior. ana* ʒ ß, *olei myrtillorum* ℥ ij, *ceræ* quantum ſatis. Miſce, fiat unguentum. Vel ℞ *aloës hepaticæ, myrrhæ, ſarcocollæ, thuris, farinæ volatilis, ſang. dracon. terræ ſigillatæ, aluminis, coralli rubri, myrobolan. citrinor. balauſt. ana* ℈ j, fiat pulvis; vel adde *ſucci agrimon.* ℥ j, *mellis roſati*, quantum ſatis, fiat inſtar unguenti. *Balſamum* & *emplaſtrum ſulphuris Rulandi* multùm commendantur. *Aëtius* laudat ſequens; ℞ *li-*

tharg.

tharg. olei ana ℔ *j*, *aquæ* ℥ *vj*, *ammoniaci* ℥ *ij*, *resinæ pini* ℥ *iiij*, *coloph.* ℥ *j*. Valet in omni tuberculorum genere & pus ulcerum desiccat, sed cave ne tangat papillam. Vel ℞ *lapidis calaminaris* in *vino* extincti ℥ *j*, *terræ lemniæ* ʒ *iij*, *thuris, cerussæ, terebinth. ana* ʒ *iij*, *mastich. alum. usti, ana* ʒ *ij*, *sevi hircini* ℥ *j*, *axung. porci* ℥ ß. *vini rubri* ℥ ß, *olei rosar. ceræ ana* ℥ *j*, fiat emplast. Si callus generetur & minetur fistulam, mature dilatetur orificium, callus absumatur *pulvere mercurii*, *oleo vitrioli* & similibus catharcticis, & sic renovato ulcere cura ordinaria instituatur, ex Tractatu *de ulceribus & fistulis* repetenda.

Solent quoque fissuræ & rhagades in papillis mammarum fieri, sicut in labiis, ano & utero, vel à causâ externâ, ut vehementi frigore, forti infantis suctione, vel ex serositatibus acrioribus exudantibus, vel ob lactis acrimoniam. Periculum est ne tandem in ulcus degenerent & papillam exedant. Debent ablui mammæ pauco *vino albo*, *aquâ rosaceâ*, vel *decocto rosar.* & *plantaginis*, *urinâ pueruli*, & ungi unguento de *plumbo*, vel de *tutbiâ*. Ungentur quoque *butyro recenti*, *oleo ovorum*, *larido liquefacto* & *aquâ rosarum* loto, vel *mucilagine semin. citon.* & *psyllii*, extractâ cum *aquâ rosar.* & *solani*, *pomatâ* cum *tutbiâ* & *cerussâ*, vel *Lacte chalybeato*, aut *asinæ*. *Laminam plumbi aquâ aluminosâ* irroratam, quidam adhibent, vel *oleum amygdalar. dulcium*, *myrtin.* cum *cerâ albâ*, sicut & *oleum de cerâ* frequenter illitum convenit, sic & *pulvis tutbiæ* cum *oleo liliorum*, vel *unguento rosaceo*. ℞ *unguenti populeon. de plumbo ana* ℥ *j*, *opii gran. v.* Misce, laudatur ab *Amato Lusitano*. Pariter ex *cancris vivis* contusis, *coagulo vitulino*, cum *cremore lactis* simul coctis & expressis fortiter, fit linimentum præstantissimum. Ex *gummi Arabico, tragacanth.* in *aquâ rosar.* dissolutis, fit mucilago ad idem optima. Solum *saccharum* inspersum quibusdam profuit, absterget enim & mundat levia ulcera, quæ postea natura sponte sanat. Quod si graviora fiant ulcera, lactationem nutrix relinquet, ut illorum curationi incumbat. ℞ *unguenti albi Rhazis & nutriti aquâ plantag. lotorum ana* ℥ *j*, *tutbiæ præparatæ, trochisci albi Rhazis sine opio ana* ʒ *j*, *cerussæ præparatæ, litharg. aquâ rosarum loti ana* ʒ *j*, *terræ lemniæ, boli armenæ ana* ℈ *ij*, *olei myrtill.* ℥ *j* ß, *succi solani q. s.* Misce, agitentur simul in mortario, fiat unguentum. ℞ *pomatæ communis*, vel *unguent. rosacei* ℥ *iij*, adde *mastich. gallar. viridium, gummi tragacant. ana* ʒ ß, *tutbiæ* ℈ *ij*, *aluminis* ʒ ß, *caphuræ* ℈ ß. Laudat *Crato* corticem medium fruticis *berberis*, vel *oxycanthæ*, pulverisatum & inspersum. Specula *pennarum pavonis* hausta; sanare ubera mammarum malè affecta, scribit *Crollius* ejus

Interpres *Hartmannus* in *aquâ menthæ* ea exhibet. Verùm hoc remedium credo nullius esse pretii.

CAP. VI.

DE LACTIS NATURA ET GENERATIONE.

Antequam vitia lacti contingentia explicemus, de ejus naturâ pauca præmittenda sunt. Est autem humor albus, dulcis, in mammis concoctus & dealbatus ex puriore sanguinis portione genitus, ad fœtus nutritionem. Voluit *Empedocles* lac esse pus, quem refellit *Aristot. 4. de generat. animal. cap. 8.* quia lac est concoctum, pus autem corruptum. Verùm illum excusat *Mercurialis*, ob vulgarem illius temporis loquendi modum, quo quæ cocta sunt, putrefacta dicebantur, sicut idem *Empedocles* vinum vocabat aquam in vite putrefactam, id est, coctam, & alimenta ἀκροσαπέντα dicuntur moderatè cocta. Priori autem definitione quatuor lactis causæ continentur. *Materialis* est sanguinis portio redundans & copiosa, ita enim omnium Medicorum est sententia, qui sanguis menstruus est, ideo nutricibus menstrua deficiunt, iis scilicet in mammas refluentibus & in lac commutatis. Est igitur excrementum ut semen & sanguis menstruus, quia animali in quo sunt, inutilia sunt, & ex redundante materiâ fiunt. Nec sanguis menstruus naturâ suâ pravus est, nisi morâ corrumpatur: Verùm lac ut singulis diebus generatur, ita singulis ab infante solet exugi. Ideo *Hippocrates 1. de morb. mulier.* vult fieri ex purissimâ sanguinis parte, unde lac ante septimum mensem malum, quia dulcem sanguinis portionem absumit fœtus, ex cujus relliquiis fit lac, ex *Arist. 4. de generat. animal. 8.* ideoque nutrices menstruantes malum habent lac, quia purioris sanguinis portio etiam cum mensibus vacuatur. Verumtamen certum est in lactis generatione aliquid esse admirandum, nam brutorum fœminæ lac habent singulis diebus copiosum, quæ tamen carent menstruis. Tum si eadem est lactis & sanguinis menstrui materia, cur non sicut ex sanguinis, ita ex lactis vacuatione immodicâ, sequitur virium languor & imbecillitas? Estque hæc quæstio meo judicio admodum difficilis. Dicunt quidam id summâ naturæ providentiâ fieri, quæ actiones singulas corporis nostri moderatur, ideò ad fœtus nutritionem summam dedit mammis coquendi facultatem, quam sequitur excretio facilis & innoxia.

noxia. Verùm non redditur adhuc ratio quare ejusmodi excretionem non sequatur virium exolutio. Addunt alii singulis vicibus excerni solùm ex uberibus id quòd concoctum est & secretum, nullique alteri usui inservire potest, propterea naturæ quasi superfluum & inutile existit, quùm in sanguinis immodicâ vacuatione naturæ amicus & necessarius humor vacuetur. Verùm neque adhuc id sufficit, nam etiam pravi & noxii humores à reliquis separati, si profusius excernantur, periculum corpori creant, ut si hydropicorum aquæ, empyricorum pus, ἀθρόως effluxerint, mortis impendet periculum, *aphor. 27. lib. 6.* Attamen si unâ vice tantum quis educat sanguinis, quantum fœmina dat lactis, si non moriatur, saltem debilis fiet admodum. Fateor sanè rationem hujusce rei esse admodum obscuram. Dicerem igitur virtutes corporis nostri, non ab humorum, sed spirituum copiâ sustineri, nullamque vacuationem illis nocere, nisi quatenus spiritus exhaurit. Jam autem in lacte non adesse spiritus, aut saltem paucissimos, ostendit chymica destillatio, quæ nullo artificio ullos educere potest; ideo cùm spiritus retineantur, lactis profusa vacuatio innoxiè fit. Idem de menstruo sanguine crederem, in illos nullos adesse spiritus, ideo in ejus menstruâ evacuatione non fieri virium exolutionem, nisi sit copiosior, id est, nisi simul sanguis qui menstruus esse non debebat, excernatur, qui quùm plenus sit spirituum, non potest absque detrimento exire. Et hæc est in dubio tam insigni mea conjectura.

Formalem causam exprimimus quùm dicimus esse humorem album, dulcem & benignum, quia instar aliorum humorum fluit, nec proprio termino continetur. Egregia est sententia *Platonis*, *Naturam animalibus fucum fecisse, quando lac album dedit loco rubri sanguinis.* Sic scribit *Gellius lib. 12. cap. 1.* Cùm à spiritu multo & calore exalbuit, idem sanguis est in uberibus, qui in utero fuit. Verumtamen dicemus inferius lac coctione fieri, ideoque falsam esse sententiam eorum qui credunt naturam sanguinem in mammis dealbasse, ne puero & matri sanguis horrorem incuteret.

Finalis causa fœtus est nutritio, ideo humorem dulcem esse & benignum oportuit, calidum humidumque ut eo vita animantium sustentaretur. Nec tantùm infantium sed & adultiorum corpora illo nutriuntur, hinc Scythis, Tartaris, hecticis, phtisicis, macilentis, præcipuum est alimentum, ut omnes norunt.

Efficiens causa coctio est in mammis facta, quæ sanguinem dealbat. Qui-

Quidam tamen volunt solum qualitates illius in mammis transmutari, nullo autem modo concoqui; quia 1. sequeretur mammas esse calidiores venis, cùm tamen sint corpora glandosa & frigida: 2. coctum non potest recrudescere, sed lac mutatur in sanguinem; ergo si est sanguis coctus, dum in ipsum denuo transmutatur, recrudesceret: 3. quæ fiunt coctione, sunt calidiora. Sed lac est sanguine frigidius, ut docet *Galenus 5. simpl.* ubi ait lac esse pituitâ calidius, sanguine frigidius: & *5. aphorism. 40.* scribit, quantò jecur est calidius glandosis corporibus mammarum, tanto sanguinem esse lacte calidiorem. Sic quoque dum infans nutritur lacte, convertitur in chylum; est autem chylus sanguine frigidior. Præterea lacte hectici refrigerantur, præcordiorum æstus temperantur, quòd sanguini non competit, qui calefacit, malè nutrit, extra sua vasa grumescit & putrescit, & si in ventriculum quâpiam de causâ effundatur, non vertetur in chylum, sed corrumpetur, & prava afferet symptomata.

Contraria est sententia *Hippocratis*, lac fieri per concoctionem, nam ob rationes jam dictas sanguis non est idoneum fœtus alimentum, quia concrescit & putrescit. *Galenus 7. de usu part.* ait mammas sitas esse in pectore, quia illic viget calor ad lactis generationem. Verùm concoctio illa levior est, quia non assimilatur parti in quâ concoquitur. Ad rationes igitur dicimus nos concedere lac esse frigidius sanguine, non tamen negandum esse fieri per coctionem. Coctionem autem omnia reddere calidiora, ait *Mercurialis*, non esse semper verum, ubi res mediocriter coquuntur, aut reducuntur ad mediocritatem per adæquationem, concoctis crudioribus partibus & calidioribus dissipatis, ut de melle cocto exempla affert quòd non stimulat, & de vino quòd non inebriat. Melius meo judicio respondent *Varandæus* & *Argenterius*, ea quæ coquuntur calidiora evadere, intelligendum esse in eâdem coctione, non in diversis. Fieri enim posse ut dum diversas subeunt coctiones, propter partis vel basis mutationem, quæ diverso temperamento prædita esse potest, vel propter alicujus rei secretionem, aut permistionem, refrigeratio potiùs quàm calefactio sequatur, quòd sanguini contingit dum in mammarum glandosa corpora effunditur, & multo sero frigidiori perfunditur. Verùm ut diximus, in Physiologiâ sanguis ipse non est calidus, nisi spirituum permistione, quantumvis igitur sanguis concoquatur; si spiritus defuerint, non fiet calidior, potiùs frigidior. Lacti autem deesse spiritus, jam supra diximus. Ideo negandum est recrudescere,

descere, coquitur enim reverâ, quamvis inde non magis incalescat. Sic quoque dicimus mammas non esse calidiores venis, coquere tamen per insitam vim γαλακτοποιητικὴν, tum etiam à cordis viciniâ calefieri. Instabis idem dici posse de semine in testibus elaborato, cùm tamen certum sit ipsum esse sanguine calidius. Respondeo diversam esse seminis & lactis rationem, quia semen ob copiam spirituum maximè incalescit, quibus evanescentibus crassamentum satis aquosum & frigidum esse videtur. Rectè ait *Mercurialis*, lac si consideremus substantiam & qualitates primas, multum differre à sanguine, sed ratione qualitatum secundarum, dulcedinis & pinguedinis, minima facta est mutatio, ideo pueris convenit, quia est similis sanguini, quo alebantur, vel quia inter causas sanguinis & lactis minima est differentia.

In mammis igitur fœminarum coquitur lac, non tamen omnium, nec omni tempore. Non omnium, quia neque virgines, nec quæ viri consortio non utuntur, lac habent, & ex iis quæ viro utuntur, illæ tantùm habent quæ gravidæ sunt, ac etiam tertio mense ubi fœtus moveri incipit: Unde quæ patiuntur molas & falsas imprægnationes, vero lacte carent; & hoc admodum videtur esse mirum. Mammæ quolibet tempore sanguinem trahunt ad sui nutritionem, illud tamen in lac non commutant, sed in suam substantiam convertunt. Si copiosius quàm par sit, attrahant, fient inflammationes, non lac. Gravidis autem & puerperis qui ad mammas accedit sanguis, statim lac fit. Dicet quispiam eas non habere antea vim lactificam, quæ ipsis communicatur per viri semen: sed tamen etiam iis quæ venere utuntur deest lac, nisi sint gravidæ & puerperæ. An quia priores semen non retinent, posteriores autem eo diutius fruuntur. Experientia ostendit vim hanc mammarum in actum deduci præsentiâ seminis, sed quomodo in hac naturæ obscuritate impossibile est integrè cognoscere? Vidi pueros habentes lactis aliquid in mammis, quòd postea crescente corpore perit. Crederem rationem esse, quoniam vis seminis in ipsis non est abolita. Crescente autem corpore tota seminis efficacia in testes succedit: Ideo mulieres quibus semen in testibus languidum est, nisi accedat virile semen, illudque contineant, non solent lac generare. Scribit *Hippocrates 5. aphor. 39. Si mulier quæ neque gravida est, neque concepit, lac habet, huic menstrua defecerunt:* quòd etiam quidam de virginibus explicarunt, quòd tamen admodum dubium mihi videtur. Nec crederem puellam nubilem cui lac est in mammis, esse inviolatam & integram, neque id unquam videre

10

mihi contigit, nec qui viderit ſcio ullum, neque puellæ quantumvis ſerio juranti unquam crederem. Propterea falſum eſſe hunc *aphoriſmum*, ſi de virginibus intelligatur, arbitror. Si talem vidit unquam *Hippocrates*, aut alius poſtea quiſpiam, virginem illam fuiſſe credant, per me licet, modò dubitare mihi pariter liceat. Nec *Galenus* in *commentario* virgines unquam nominare voluit. *Aphoriſmum* igitur intelligendum puto de iis, quibus lac ex ſuppreſſione menſtruorum, poſtquam diu ante evanuerat, redit in mammas, quales vidi interdum, quæ cùm accedentibus menſtruis per plures menſes lac perdidiſſent, iiſdem poſtea ſuppreſſis, lacte repletæ ſunt, quòd etiam rarum eſt. Alii dicunt non eſſe verum lac, ſed ſubſtantiam quandam albicantem pituitoſam & ſeroſam, potius quàm verum lac, cùm ex eâ tres ſubſtantiæ nequeant educi, ſcilicet *ſerum*, *caſeus* & *butyrum*. Verùm hoc etiam gratis dictum mihi videtur. Nam qui id protulerant Medici, cùm ejuſmodi lac virginale viderint nunquam, quomodo norunt an ex eo tres ſubſtantiæ poſſint educi, necne. Objicies adeſſe materiam lactis, ſcilicet ſanguinem menſtruum, vim quoque γαλακτοποιητικὴν, quæ quoniam naturalis eſt, inſita eſt & ſemper præſens. Reſpondeo virtutem hanc ineſſe quidem mammis, ſed excitari à verili ſemine, ſi retineatur in corpore & fiat verus conceptus. Sic non ſolent teſtes ante pubertatem ſemen generare, etiamſi hæc facultas illis inſita ſit, nec deſint ſanguis & ſpiritus, ſeminis materia. Ideo admirandus eſt author naturæ, qui vires corporis ità ordinavit, ut non niſi propoſito fine utili agere poſſint. Ideò quia ante fœtus generationem inutilis erat iſta lactis generatio, conſtituit natura, ut non niſi præſente fœtu operari poſſit. Et propterea tales idioſyncraſias, nobis tantùm ex effectu notas, partibus inſeruit, talesque ſympathias, quæ ceſſant & vigent pro vario earum inter ſe concurſu. Cur autem præſente fœtu non ſtatim lac generetur, ſed tantùm tertio aut quarto menſe, rationem reddit *Hippocrates*, quia tunc fœtus grandior comprimit omentum & uterina vaſa ſanguine referta, unde repellit ſanguinem in mammas, tum ob uteri & mammarum ſocietatem, ex mirâ ſcilicet naturæ providentiâ, ut paulatim aſſueſcat natura ſanguinem eò transmittere ad fœtus alimoniam; ideò vias ad id rectas & commodas fecit, ne quid hunc motum interturbaret. Addit *Hippocrates* edito fœtu non ampliùs fieri hanc expreſſionem, ſed affluere ſponte ſanguinem ad mammas ob conſuetudinem motus: quin etiam ab iis trahitur, ob vacui fugam ex infantis ſuctu, unde ſuctionis defectu recedere ſolet & ceſſare

cessare hic affluxus. Refert *Aristoteles*, si mammæ urticâ fricentur & manibus contrectentur, lac generari, quòd expertum se dicit *Albertus* etiam in virginibus, quòd potest esse verum de iis quæ lac perdiderunt, & sic potest revocari per hanc frictionem, sed de virginibus id falsum est; nam quamvis iis possit sanguis copiosè ad mammas ferri, in lac tamen non mutabitur, ut supra diximus.

Sed præterea viris lac adfuisse, referunt historiæ. Id dixere *Aristoteles*, *Avicenna*, *Cardanus 12. de subtilit.* qui narrat *Benzum* quendam 34 annum agentem, tantum lactis in mammis habuisse, ut fermè infantem lactare posset. Id non mirum esse volunr, cùm viri etiam mammas habeant glandosas, sed mulieres rariores habent, magis fungosas & foraminulentas, mas spissas & densas, unde copiosiorem materiam fœmina continere & suscipere potest. Addit *Mercurialis* ex *Alberto*, rarò fieri lac in viris & in paucis, deinde non esse verum lac, sed sanguinem dealbatum, nec esse aptum ad nutritionem, & propterea fabulas esse putat, aut ostentum, quòd *Aristoteles* & *Avicennas* scripserunt, quosdam magnam lactis copiam dedisse. Quòd autem mas lac non generet, causam esse dicit, quia melius concoquit, tùm quia illius mammæ non sunt adeò vastæ & spongiosæ, ut sanguinem possint excipere & attrahere. Sed hoc non sufficit: nam virgines etsi benè concoquant, mammasque habeant satis amplas, lac tamen non habent. Dicerem ergo viris deesse lac, quia virtus seminis tota in testes secedit; si quidam lac habuerunt, ut ille *Benzus* de quo *Cardanus*, in illo vis illa seminis in mammis nondum erat obliterata, aut forsitan erat in testibus ignavior. Forsan etiam tam potens, ut testibus & mammis potuerit sufficere, sed prius est probabilius. Et hæc de lacte satis.

Cap. VII.

De Lactis Defectu.

Nunc de vitiis lactis agemus, secundum substantiam, quantitatem, qualitatem, crassitiem, tenuitatem, colores, odores, sapores, ut in progressu dicemus. Posteriora hæc vitia sunt ipsius lactis, priora verò potiùs nutrici aut infanti nocent, quam ut ullum vitium lac habeat, nisi simul complicentur.

Lactis igitur defectus est cum tempore debito & à natura constituto mulier vel nullum lac habet, ἀγαλακτίαν vocat *Pollux*, vel admodum exi-

exiguum, ut infantis nutritioni satisfacere non possit. Est symptoma in excretis, secundum *Altimarum* & alios, quia excrementum illud utile non adest. Verùm id negat *Petrus Salius*, nam symptomata in retentione excernendorum supponunt excrementorum præsentiam, quæ non possunt excerni. Hic autem lac quod deficit, retineri non potest: veriùs igitur refertur ad actionem læsam, cùm pars lac non generet, sive ob debilitatem facultatis, sive ob errorem externum, ut defectum materiæ.

Causæ igitur vel sanguinem lactis materiam respiciunt, vel mammas ipsas. Sanguis vel parcior est, vel ad mammas non fertur. Paucus est ob habitum corporis sicciorem, vel morbos totius corporis, ut febres syntecticas, ardentes, chronicas, vel partis alicujus nobilis dyscrasiam, aut propter causas adventitias, jejunia, curas, mœrores, vigilias, labores immensos, libidinem, insignes omnes vacuationes quorumlibet excrementorum, quia omnis vacuatio resolvit corpus, & humores revellit ad aliena loca, unde ab alvi fluxu & sudore nimio visæ sunt mulieres lac amisisse. Sed præcipuè nocet menstruorum fluxus, non potest enim iis præsentibus lac abundare. Ad mammas autem non pervenit sanguis, aut propter crassitiem, aut venarum angustiam, aut obstructionem. Si crassior sit, aut viscidior, non potest commodè in mammas penetrare. Propterea quæ immodicè refrigerant, lac minuunt, quia ipsum crassius reddunt. Si aliâ quapiam malâ qualitate affectus sit, non tam avidè à mammis attrahitur, aut attractus non facilè in lac convertitur.

In mammis verò vitium est, si languida sit virtus ipsis insita, vel ob defectum caloris in corde, vel ob accidentariam imbecillitatem, ut vasorum quæ ad mammas feruntur obstructiones ex multis vitiis contractas, vel ob causas externas in iis quæ venustati student, aut fœtus suos alere recusant, atque appositione refrigerantium & narcoticorum vires mammarum extingunt; Earum quoque gracilitas sufficientem sanguinis receptionem impedit. Causæ etiam quædam externæ lac minuunt, ut admodum calefacientia, quia resolvunt, refrigerantia, quia sanguinem incrassant, *5. simplicium*. Attamen quædam calida lac generant, ut *fœnic. apium*, *semen agni casti*. Quædam etiam frigida, ut *lactuca*. Respondeo, quæ lac generant, vel per se id faciunt, ut quæ materiam suppeditant, ut alimenta copiosa, calida humida, euchyma polytropha, unde quæ nimium resolvunt, ut calefacientia, vel quæ incrassant, ut refri-

gerantia lac minuere dicuntur. Vel per accidens id præstant, quatenus vel provocant sanguinem ad mammas, vel vitia emendant à quibus defectus causatur. Sic refrigerantia, ut *Lactuca* in calidiori temperaturâ, & sicciora & aperientia in frigidiori, quando crassior est, conveniunt. Eadem in corpore calido, sicut priora in frigido, hanc paucitatem facere possunt. Etiam pueri imbecilliores si minùs validè lac sugant, aut nutrix ob ulcera & fissuras mammarum, non audet lac præbere, sensim deficit. Proprietate quædam lac minuere dicuntur, ut semen *Circeæ* ex *Plinio*.

Cognoscitur facilè lactis defectus tum ex mammis flaccidis quæ nihil, aut parum emittunt, tùm ex infante, qui plorat, flet, neque exhibitâ mammâ sedatur, parum dejicit, mingit, macilentior evadit, ita ut nulla alia causa possit accusari. Inquirendum sedulò num nutrix sit menstrualis, libidinosa, coïtu utatur, mœrore, irâ, vel alio quopiam morbo laboret. Defectum sanguinis præcedentes causæ declarant, corporis habitus siccus macilentus, præcedentes omnes vacuationes, quas supra recensuimus. Et quidem si solæ mammæ flaccidæ sint, absque præcedentibus causis, ex earum imbecillitate & intemperie siccâ defectum lactis provenire censendum est. Sanguinis verò vitium num sit biliosus, pituitosus, &c. ex colore, substantiâ & sapore lactis cognoscetur, præsertim si non omnino defecerit, expensâ prius victus ratione, temperamento, ætate, & reliquis humorum causis, ut dicemus *Capite ultimo* hujus Tractatus. Mammarum quoque parvitas & magnitudo visu cognoscuntur. Affectus autem hic potius infanti quàm nutrici incommodus est, nisi pendeat ab inanitione morbosâ & defectu caloris nativi, tunc debet à lactatione desistere.

Quod si spes sit posse augeri & restitui lac, ut in succulentis, in quibus ob leve aliquod vitium iste affectus contigit, aggredienda curatio est, quam rectè scribit *Galenus 5. simplic. cap. 21.* cujus ideò verba addemus: *Cùm minus quàm expediat ad ubera lactis venit, velis autem copiosè provenire, ipsum contemplare sanguinem; aut enim parcior est quàm conveniat, aut deterior. Itaque qui parcior est, victus rationem exposcit humectantem & calefacientem. Qui autem deterior est, si biliosus fuerit, purgationem primò desiderat mox victum quem diximus. Sin pituitosus medicamenta requirit excalefacientia aut primo, aut secundo ordine, non tamen desiccantia. Verùm inter ea potiora sunt, quæ non tantùm sunt medicamenta, sed & alimenta, ut eruca, fœniculum, anethum. Dico autem herbas ipsas virentes & humidas, nam siccæ plus* quàm

quàm oportet calefaciunt & desiccant. Hujus generis est apium, smyrnium, sium, polium, eaque sint virentia priusquam siccentur, quippe cùm ea quæ desiccant, humorem sanguinis depascentia ipsum crassiorem, pauciorem que efficiunt. Quocirca quæ sunt ejusmodi, extingunt magis lac, quàm provocant: At quæ calefaciunt, nullamque insignem adjunctam habent siccitatem, lactis procreatricem habere facultatem meritò dicta sunt. Ut autem ordine procedamus, videndum primò quid sint γαλακτοποιήτικα, & quot modis lac producere & augere valeant. De iis vide *Hippocratem primo de morbis mulier. Pag. 173. in codice Fœsiano.* Lac igitur generantia aut ipsius materiam producunt, ut victus euchymus, eupeptus, polytrophus. Alia sanguinem modicè attenuant & ad mammas impellunt, obstructiones si quæ adsint, tollunt, qualia sunt modicè calefacientia & attenuantia, non exsiccantia, unde differunt à diureticis & menses moventibus, quæ validiora sunt. Hinc *Galenus* diuretica, menses moventia & lac generantia esse ejusdem facultatis voluit, si genus medicamenti spectes, non tamen si varias qualitates, nam *fœniculum, apium,* &c. virentia sumi debent, sicca enim majore vi calefaciendi & attenuandi, pollent, unde huic rei potius nocent, quàm conveniunt, sed mensibus & urinæ provocandis idoneæ sunt. Quæ autem provocant menstrua, lac desiccant, ex *Galeno 5. simplic. 22.* & *Aristotele 4. de gener. animal.* Pariter diuretica menstrua quoque provocare apta sunt, ex *Averrhoe 7. colliget. cap. 4.* humores enim & sanguinem à mammis divertunt. Ista igitur attenuantia moderata sint oportet, sufficit enim si sanguinem paululum fluxilem reddant, mammæ enim facultate attractivâ commodè illum attrahent, quòd renibus & utero non conceditur, cùm nullam habeant sanguinem menstruum & serum attrahendi facultatem, ideo validioribus egent quæ humores illuc deducant. Atque etiam monet *Paulus*, ut ista medicamenta parcè adhibeantur, copiosus enim ac diuturnus illorum usus, propter exsiccationem lac pariter absumeret. Præter has facultates vulgares, possunt etiam habere occultas ad lac generandum, sicut etsi menses moventia omnia sint aperientia, commodius tamen id præstant *matricaria, artemisia,* propter familiaritatem quam habent cum utero. Verùm ut diximus *Capite de suppressione menstruorum,* tota hæc doctrina est incerta, cùm eadem mensibus & urinis ciendis conveniant. Dicuntur etiam per accidens γαλακτοποιήτικα quæ corporis intemperies ad mediocritatem reducunt, ut *lactuca* & *semen papaveris albi* in calidis. Adde etiam alia quæ extrinsecus mammis apposita sanguinem alliciunt, ut frictiones, cur-

curbitulæ, fomenta, cataplasmata, de quibus inferius dicemus.

His præmissis victus ratio instituenda, quæ maximè facit ad lactis generationem. Aër debet esse temperatus, præsertim si delicato sit corpore nutrix, nam robustiores ut septentrionales etiam in frigido aëre magnum habent lactis proventum, forsan quia lautius epulantur. Vacuationes omnes & vigiliæ sint parcissimæ, quia corpus absumunt; sint ideò moderatæ exercitationes & partium superiorum, ut sanguis attrahatur, mammæ calefiant & dilatentur, non autem inferiorum, ne humores ad uterum derivent, quòd frictionibus & cucurbitulis earum partium in hystericis contingere potest, vitandæque sunt omnes causæ externæ quas superius recensuimus. Venus nocet ne mulier gravida fiat, aut menses provocentur. Coïtum tamen concedit *Varandæus* admodum libidinosis, ne ex gravi hoc animi pathemate lac corrumpatur: Somnus longior sit. Cibus sit euchymus, polytrophos, eupeptos, cavendo semper ne ex ejusmodi victu sanguis crassior generetur, in illis quæ sunt nimium obesæ, & venas habent angustiores. Quod si sufficientem sanguinis quantitatem generent, non est opus victus rationem permutarè, sed tantùm in iis quibus lac deficit. Potus sit moderatus *vini tenuis albi* benè diluti, ne humores effervescant, vina autem crassa, austera, recentia nocent, quia obstruunt. Tamen si nutrix sit abstemia, nullum inde periculum, nam aquæ potus etiam convenit, si nutrix sit calidioris temperiei, aut ipsius lac fuerit fervidius. Prosunt quoque cerevisia dilutior, *decoctum liquiritiæ, coriand. hordei, passularum, cinnamomi,* maximè si adsint obstructiones, sanguisque sit crassior. Panis sit optimè fermentatus, carnes sint eupeptæ, humidæ, elixæ potius quàm assæ, ut *caponum, hædor. porcellorum, vitulorum* potius quàm *avium montan.* quæ ficciores sunt, sed præcipuè lac convenit, quia plurimum humectat & alit, cui addi possunt *vitella ovorum, saccharum, farina tritici* vel *hordei*, ex quibus fieri possunt pulticulæ; *butyrum* quoque addunt alii. Sic prosunt omnia quæ ad febrem hecticam suo loco præscribsimus, *jusculæ, panatelæ, amygdalata, hordeata,* &c. *Castaneæ* laudantur *elixæ* cum *fœniculo* & *aniso*. Laudant *Aëtius* & *Arabes capita piscium salitorum.* Videntur tamen salsa omnia exsiccare, nisi admodum moderatus sit eorum usus, tantummodo ut gratiores cibos reddat, & eorum penetrationem juvet. Sic dicitur *Apollonius Herophili* discipulus homines macilentos *salis* usu saginasse. Pisces etiam prosunt delicati, ut *solea, trocta,* & similes. Ex herbis, *pastinaca, eruca, borrago, braßica, anisum, fœniculum, petroselin.*

selin. anethum, erysimum, origan. quæ juſculis incoqui poſſunt, maximè in iis quæ ſanguinem habent craſſiorem & obſtructiones in corpore plurimas. Ex fructibus, *paſſulæ, piſtaciæ, ſtrobyli, amygdalæ dulces*, modò non ſint hyſtericæ, nam iis dulcia nocent, ut *paſſulæ, mel, ficus* & cætera, quæ aliis concedi poſſunt: Et quidem ſi ex ſolâ ſanguinis penuriâ lac deſit, prædicta victus ratio ſufficit. Verùm ſi præterea adſit ſanguinis prava qualitas, alteranda erit, humores pravi blandè purgandi, non tamen fortioribus & exſiccantibus. Bilis igitur purgabitur *caßiâ, mannâ, ſyrupo roſar. ſolut.* Corpus alterabitur, juſculis, julepis, emulſionibus refrigerantibus, ut in febribus; mammæ interea blandè foveantur; Imò & toti corpori balneum aquæ dulcis tepidum prodeſſe poterit. Si verò ſanguis ſit craſſior, quòd magis familiare eſt, purgetur corpus phlegmagogis; dein iis utendum eſt quæ lac ad mammas provocare poſſunt internis & externis. Hæc autem moderatè calefaciunt & extenuant, ſi ſint virentia ut diximus. Sic *eruca recens* ſemen auget quòd ſicca minuit. Sic proſunt *eruca, fœnic. polium, ſmyrnium, apium, porrum*, cum juſculis decocta, ſicut & prædicta omnia. *Pulvis lumbricorum* terreſtrium ad ʒ j in *ovo ſorbili*, aut *juſculo*, aut *vino* datus, plurimùm prodeſt. Prius *vino albo* laventur, dein in olla vel furno, cum *fœniculo* & *anetho* exſiccentur. *Raphanus* & *furfur* coquantur in *vino*, colatura bibatur. Scribit *Tabernamontanus, pimpinellæ* tantam ineſſe vim lac augendi, ut ſi herba tantùm mammis apponatur, tantâ copiâ lac intra ſex horas provenit, ut ſtatim amoveri debeat. *Paracelſus olei anethini* cochleare unum exhibet per octiduum; vult autem fieri *oleum* per expreſſionem, ut ex *papaveris ſemine. Aëtius* commendat *lini ſemen* cum *melle* & *paſſo*, ſic & *ſeſamum crudum* cum *paſſo*, vel *zytho*. Vel fiat pulvis ex *ſemine lini, fœniculi, naſturtii* cum *ſaccharo*. Quidam *corallum* addunt & *cryſtalum*: Verùm hæc cùm nec concoqui, nec in ſanguinem verti poſſint, inutilia prorſus judicarem, ſicut etiam cenſent *Rondeletius* & *Foreſtus*. ℞ *foliorum berulæ, cityſi, erucæ, fœnic. malvæ, petroſel. naſturt. ana M. j, hordei P. ij, cicer. rubror. P. j, ſem. aniſi, fœnic. erucæ, ſeſel. ana* ʒ ß, *ſem. frigidor. majorum ana* ʒ j, fiat decoctio ſumenda ad libitum. Pulveres quoque ex prædictis fieri poſſunt cum *ſaccharo*. Rotulas ſequentes laudat *Mercatus*: ℞ *nucleorum pini, amygdal. dulc. ana* ℥ j, *ſem. petroſ. fœnic. rapar. ana* ʒ j, *pulveris lumbricorum* ʒ ij, *ſacchari q. ſ.* fiant rotulæ. *Zinziber* quoque & *cinnamomum*, ſed exiguâ quantitate addi poſſunt decoctis & juſculis. *Amatus, centuria 4.* laudat pulverem *Hippocampi* piſcis, datum ad ʒ j cum *vino albo* per aliquot

quot dies. *Aquapendens* in iis quæ lac perdiderunt, commendat *vincam-pervincam*, vel *decoctam*, vel in *acetariis*, vel in *ferculis* comestam. Lapis qui vulgo dicitur *galactites*, ex *Dioscoride* & *Galeno*, instar *amuleti* gestatus, aut potus cum *jusculo* ad ʒ j, lac auget. *Plinius* laudat lapidem *melititem*, qui priori affinis est; uterque pictoribus usitatus est.

Inter externa sunt frictiones mammarum, & fotus ex *decocto chamæmeli* & herbarum prædictarum. Cucurbitulæ etiam circa venas axillares admoveri possunt. ℞ *foliorum pimpinellæ*, *fœniculi*, *menthæ ana* M. j. Coquantur, contundantur. Adde *farinæ hordei* P. j, *styracis calamitæ* ʒ ij, *seminis nigellæ* ʒ j, *olei liliorum* vel *irini* ℥ ij. Misce, fiat cataplasma. Quod si etiam fortioribus opus sit, addi poterunt *fermentum*, *ficus*, *sinapi*, ut fiant dropaces & sinapismi. Sed his diutius non est utendum, ne inflammationem excitent, aut sanguinem resolvant. Quod si nutrix acuto morbo laboret, etiam illi vena secanda est, quæ quamvis lac minuere apta sit, tamen visæ sunt mulieres, quibus nihilominùs morbo curato lac rediit.

Cap. VIII.

De Lactis Redundantia.

Prædicto vitio contraria est lactis redundantia, quæ dicitur σπαργάωσις, quo verbo generaliter omnis ferox humorum impetus intelligitur, ut in animalibus quæ semine turgentia in venerem feruntur, aliter ὀργασμὸς dicitur. Idem nomen mammis lacte turgentibus accommodatur, quando præ nimiâ copiâ adeò tenduntur, ut lac stillent. Σπαργᾶν exponit *Hesychius* ὅτι οἱ μασθοὶ πλήρεις ὦσι γάλακτος. Vitium hoc non modò infantes, sed etiam ipsas nutrices lædit, quia ex lactis copiâ mammæ distentæ dolent & interdum inflammantur, lac copiosius etiam crassescit, corrumpitur, dein exulcerat, variosque morbos parit. *Aristoteles 7. de histor. animal.* ait, pueros convulsiones sæpè pati ob lactis copiam, etiamsi illud sit bonum & jucundum. *Lucretius libro primo* ait lac merum capellas dementare. Causam *Mercurialis* vult esse repletionem nimiam nervorum: Verùm dubito num lac probum nocere possit. Potius dicerem ex lacte avidius sumpto fieri cruditates multorum malorum causas, tunc lac acescit, corrumpitur, concrescit, & in alia vitia transmutatur. Vitium est mulieribus familiare ubi pepererunt. Quod si lac è mammis effluat, symptoma est in genere excretorum; si non effluat,

fluat, sed retineatur, volunt esse morbum in magnitudine auctâ. Oritur autem semper ex nimiâ sanguinis ad mammas affluentis copiâ, quæ exuberat vel ob copiam alimenti euchymi, calidi, humidi, vel ob alias causas sanguinem augentes, ut sunt otium, balnea, suppressio excrementorum, præcipuè menstruorum, quæ semper supponenda est; omnes denique causæ sunt priori affectui contrariæ. Si contingat utero gerentibus fœtus imbecillitatem arguit, qui parum attrahit sanguinis, ideo copiosior in mammis colligitur. Affectus hic visu & ægri relatione facilè cognoscitur. Non est tamen spernendus, ob suffocationis periculum, quia lac corrumpitur, inflammat, febres, ulcera, papularum eruptiones, similesque morbos creat, maximè si vitiosum sit, in casei speciem cogatur, vel retineatur, ut docet exemplum mulieris *1. Epidem. 2.* quæ ubi lactabat, semper ulceribus plena erat. Quod si sponte lac effluat, aut commodè à puero sugi possit, nihil mali portendit.

Ad curationem sciendum ea quæ lac minuunt, vel materiam ejus imminuere, vel à mammis repellere, vel aliò revocare, vel desiccare, vel etiam hæc omnia simul facere. Imminuit potissimum tenuis victus ratio, ex oligotrophis, sed maximè inedia. Panis sit crassus, furfuraceus, olera & fructus horæi, pisces, carnes avium siccæ & assæ, vigiliæ, exercitia partium inferiorum, curæ, sollicitudines, animi pathemata, vacuationes omnes liberales conveniunt. Aër frigidus siccus, aut calidus siccus, unde apud Æthiopes lac minùs abundare dicitur. Potus sit exiguus, aqua scilicet, cui etiam incoqui possunt *rutæ*, aut *viticis semen*, *cyminum*, *ocymum*, *caryophyll.* quæ etiam admota prosunt. *Posca* quoque commendatur, non *vinum*, quamvis crassum, austerum in quibusdam possit convenire. Cæterum monent *Soranus* & *Paulus*, mammas non esse exugendas, nisi inflammatio metuatur, aliàs suctio magis trahit. Idem suadet *Altimarus*, modò inflammatio gravis non adsit, nec mammæ immodicè doleant, nam suctione vacuatur lac, nec si sit moderata plus materiæ ad mammas trahitur, & sic inflammatio prohibetur.

Victu instituto maximè prodest venæ sectio, quæ sanguinem affatim vacuat, maximè ex saphenâ ad menses revocandos, quamvis etiam venarum in brachio sectio modo sit copiosa, sanguinis copiam etiam demat. Cucurbitulæ quoque & siccæ & scarificatæ cruribus & fœmoribus admotæ proderunt. Nec etiam erit inutile humores noxios idoneis catharticis vacuare. *Mercurialis* quidem non admodum curat cathartica, quia sanguinis copiam non minuunt; Verumtamen quia sanguinis cursum

ſum ad uterum juvant, non ſunt rejicienda. Interea poſſunt repellentia mammis, atque etiam axillis admoveri, ut *oxycrat. oxyrhod. oleum myrtillor. unguentum roſaceum.* Vulgare cataplaſma eſt ex *furfure* cocto in *oxycrato*, cui addi poſſunt *bolus armena, cimolia*, cum *oleo myrtillorum*: Sic quoque *limus* in *aquâ fabrorum* ſubſidens cum *oleo roſaceo* ſubactus utiliter admovetur, ſic & *mucilago pſyllii* & *citonior.* extracta cum *aceto roſaceo.* ℞ *farinæ lentium* & *fabarum ana* ℥ ij, *pulveris granorum myrti* ʒ j ß, *alumin.* ʒ j, *ſuccor. plantag.* & *portul. q. ſ.* fiat cataplaſma. Conveniunt eadem quæ ad mammarum magnitudinem præſcripſimus. Verùm ex longo horum adſtringentium uſu periculum eſt ne lac in mammis concreſcat, aut ex obſtructione pororum cutis putredo ſequatur: Ideo admiſcenda ſunt reſolventia, ut ex *farinâ fabar. orobi, lupinor. ſemine cymini* coctis in *oxymelite*, fiat cataplaſma, quod ſecretum remedium eſſe ait *à Caſtro*; addi poſſunt *pulvis rutæ* & *agni caſti.* Laudatur *aqua marina* in quâ *myrti baccæ* coxerint, fæx aceti impoſita, ſuffumigium quoque ex ipſo aceto acerrimo in lateres ignitos injecto. Verùm his præmiſſis digerentibus & reſolventibus reliquiæ lactis ſunt exhauriendæ. Id præſtare poſſunt decocta ſudorifica *guaiaci, ſarſæparillæ, ſaſſafras*, tum validiora diuretica & menſes moventia, quæ ſicca debent uſurpari, nam viridia plurima lac augere diximus, ut *fœnic. apium, coriand. ocymum*, & ſimilia. Pulvis ex *ſemine cymini, croci, agni caſti* ſumptus cum *juſculo* admodum probatur. *Mercurialis* commendat medicamentum Arabum ex *lactis vaccini* ℥ iij, *muriæ* ℥ j, *croci* ℈ j, quòd admodum miror, nam lac copiam lactis generat. *Muriæ* ℥ j, parum habet *ſalis.* At docet *cap. 1. lib. 3.* ex *Moſchione, ſal* abundantiam lactis facere. Utebatur *Moſchio aquâ ſalsâ* ad provocandum lac; docetque *Albertus Magnus*, in quâdam regione ob paſcua ſalſa pecora habere copiam lactis. Quare potiùs lac generabit prædictum remedium quàm minuet, ℞ *menthæ, calaminth. origan. puleg. rutæ, ſalviæ ana M. j, ſem. rutæ, agni caſti ana* ʒ ij, *ſem. cymini* ʒ j. Coque in ſufficiente quantitate aquæ ad ℔ j. Colaturæ adde *ſacchari* ℔ ß, ſumat ter in die.

Extrinſecus conveniunt ſuffumigia, fomentationes, emplaſtra. Laudat *Mercurialis* fotum ex decocto *cymini* cum *aceto*, quo ſpongiæ imbutæ ſupra mammas detineantur, unâ nocte lac diſſipat, ſervatâ tenui victus ratione: ℞ *farinæ lentium, orobi, lupinor. ana* ℥ ij, *ſeminis cymini, rutæ, agni caſti ana* ʒ ij, *alumin. ſciſſi* ℈ ij, *aceti acerrimi q. ſ.* fiat cataplaſma. Poteſt ex prædictorum decocto fieri fotus. *Folia ſalviæ minutæ* cum *ſale* appli-

applicentur, ſicut & *unguentum populeon* cum *cymino*. *Rapiſtrum* quoque appoſitum & ſumptum lac minuit, ſicut & *oleum raporum* cum *melle, terebinthinâ*, & pauco *ſale*. Conveniunt quoque ſequentia ab *Altimaro* probata. ℞ *fœnic. apii, petroſel. malvæ, altheæ cum toto ana M. j, ſem. fœnugr. cymini ana ʒ iij, florum chamæm. meliloti, foliorum menthæ, ſummitatum lauri ana P. j*. Coque in aquâ chalybeatâ, addendo ſub finem parum *vini albi*, & cum filtris foveantur mammæ, ac dein roſaceo omphacino liniantur. *Mercatus* vocat *admirabile*. Ex reſidentiâ cum *farinâ fabarum, hordei* & *oxymelite*, fiat cataplaſma, quo tempore leviter exugi poſſunt mammæ ad lactis portionem leniter educendam. ℞ *menthæ ſiccæ M. ij, abſynth. M. j*. Coctis & per ſetaceum trajectis, adde *farinæ fabarum*, vel *lupinorum*, vel *orobi* ℥ *iij*, cum *oleo liliorum* fiat cataplaſma. Supra papillam radix *chelidonii majoris* cocta & impoſita utilis eſt. Sequens laudat *Amatus Luſitanus*; ℞ *farinæ lentium, fabarum, radicis caulium ana* ℥ *j* ß, *cineris cancror. fluviat.* ʒ ß, *laccæ, lithargyrii ana* ʒ *ij*, cum *decocto fœnugræci* terantur in mortario; adde *mucilag. ſem. pſyllii* ℥ *j* ß, *aceti acerrimi* ℥ *j*, fiat emplaſtrum. Vel ℞ *terebinth. vino lotæ* ℥ *iij, ſemin. lini, cymini pulveris ana* ʒ *ij, pulveris ireos florent.* ʒ *j, alumin.* ʒ ß, *ceræ & olei chamæm. ana q. ſ.* fiat ceratum, quòd etiam à *Varandæo* commendatur. Prædicti pulveres poſſunt excipi *ſuccis apii, ſmyrnii, petroſel. menthæ*, & applicari. Fiat emplaſtrum ex *gummi ammoniaci* in *aceto* diſſoluti ʒ *ij*, *olei* in quo *raphanus* & *radices ireos* incoctæ fuerint ℥ *j*, *ceræ q. ſ.* Quidam etiam laudant *folia ricini* trita & mammis impoſita. *Avicenna cancros fluviatiles* coquit in *aceto*, vel eorum pulverem cum *ſucco menthæ* imponit. Proprietate convenire ſcribit, quamvis hæc exſiccare certum ſit. Si hæc non proficiant, ex *ceruſſâ, lithargyro, cadmiâ*, & aliis quæ citra calefactionem digerunt, emplaſtra fiant. Si periculum ſit inflammationis, cura proprio Capite dicta fuit. Notandum autem quòd ait *Rondeletius*, in illis quæ nutricatus tædia ferre nolunt, optimum eſſe ut ante partum remedia adhibeant, ne mammæ ſanguinem recipiant, nam ſemel receptus ſanguis per mammas evacuari debet, non poteſt enim repelli, ſed ſugi debet, aut aliâ ratione vacuari. Tamen cùm dolent mammæ & inflammantur, multi negant lac eſſe exugendum, quia magis attrahitur, ſicque dolor & inflammatio augentur. Contrarium alii obſervarunt, qui volunt lac exugi, nam aliàs increſcit, & dolor majorem illius copiam allicit. Utiliſſimum credo eſſe exugere, ſed per longa intervalla, nam frequens exuctio magis attrahit, & niſi exugatur concreſcet.

Quod

Quod si jam concreverit, tunc suctio nihil aut parum educit è mammis, potiùs attrahit. At si lac non sit concretum, potest exugi, ut diximus, ne concrescat. *Mercurialis* dicit in illis quæ non sunt assuetæ lactationi, non esse exugendum lac, nec etiam in assuetis, nisi sit immoderatus illius excessus. Verùmtamen in non assuetis etiam interdum illud exugere non est inutile, si adsit periculum concretionis & inflammationis; & quamvis mulier nolit assuescere lactationi, natura tamen sæpe copiosius ad mammas transmittit sanguinem, quàm necesse sit.

Cap. IX.

De Lactis Concretione.

Quando lac in mammis coagulatur, multa tum mulieri, tum infanti incommoda affert, dolorem, tensionem, inflammationem, putredinem. Concrescit autem duobus modis, vel in grumos, vel in casei speciem. Multi idem vitium esse censent, alii verò differre volunt naturâ & causis generationis. Quando grumescit sanguis, fit θρόμβωσις. θρομβὸς enim propriè est unius rei in massam concretæ frustum. Derivatur secundum *Eustathium* à θρέψαι, quòd significat πῆξαι, diciturque de sanguine quùm è venis effusus coït & condensatur. Ideò Medici θρόμβωσιν vocant, quoties lac in mammis in exigua frusta concrescit, & generaliter θρομβὸς ad omnem concretionem refertur. Sic θρόμβους ἁλῶν dicit *Suidas* πῆξεις ἅλως. Sic θρόμβους ἀσφάλτου, βόλους sive *glebas* interpretantur *Græci*. Dicuntur etiam isti grumi σφαγδαλίδες. Est autem σφαγδαλία, vel σφάγδαλις *tortuosus laqueus*, aliter πωρὸς sive *tophus* aut durities ex humore concreto, maximè in articulis. Ubi concrescit in casei speciem τύρωσις vocatur sive *caseatio*. *Dioscorides* vocat mammas istas χονδριώντες. χονδρὸς enim non tantùm *alicam* significat, sed etiam alicujus rei particulam quæ seorsim concrevit, tanquam granum, frustum, aut grumus, ut *thuris mica*, quæ χονδρὸς λιβανου appellatur; sic χόνδρους ἁλῶν idem quòd θρόμβους vocat *Hesychius*. Sunt igitur mammæ χονδριῶντες, in quibus sunt lactis χονδροὶ, id est, *grumi concreti*.

Dicuntur isti affectus sic differre, quòd in thrombosi omnes lactis partes sentiantur coagulatæ, etiam serosa; in tyrosi verò non totùm lac, sed tantùm pars butyrosa & caseosa. Alii dicunt in thrombosi lac in minores & distinctas partes concrescere; in tyrosi verò esse unum continuum corpus instar casei coactum. Rectius tamen *Petrus Salius* vult

vult eundem prorsus esse affectum duobus expressum nominibus, nam *libro de cibis boni & mali succi*, caseationem lactis comparat grumefactioni sanguinis; idemque *Aëtius* & *Paulus* censuerunt, & dicemus inferius cùm de causis agemus.

Possunt autem reduci isti affectus ad symptomata in genere excretorum mutatorum, quia sive grumescat, sive in caseum lac concrescat, semper mutatum est istud excrementum. Quod si mammæ turgeant, volunt quidam esse morbum in magnitudine. *Altimarus* voluit esse morbum in magnitudine & numero: Sed malè, ut advertit *Salius*; nam propria substantia mammarum non augetur, sed tantùm materia concreta in iis retinetur. Præterea sæpè in mammis minoribus fiunt hi affectus, in quibus non multum lactis abundat, nec semper magnitudinem auget: Et quia nihil adest præter naturam, quòd adesse non debeat, morbus non erit in numero. Verum quidem est semper esse excrementa mutata, atque posse esse causas morborum, quia lac replet & intemperiem facit in mammis. Quamvis igitur lac in mammis sit tanquam in proprio loco, alterari tamen potest à causis præternaturalibus, & corrumpi.

Causæ vel ad lac contentum referri possunt, vel ad mammas. Ad lac quidem cùm nimis redundat & crassius est: Ad mammas verò quùm frigidiores sunt & calidiores. A calore quidem partes tenuiores dissipantur: A frigore verò substantia crassescit & densatur, sicut à frigore externo lutum & alii liquores congelantur: Verùm hæc apud Medicos recentiores vocantur in dubium. Nam nec tantùm est in corpore frigus ut possit congelare, nec tantus calor ut possit partes tenuiores tam citò absumere. Quin etiam lac extra corpus non concrescit, aut per resolutionem partium tenuiorum, aut per congelationem, sed per separationem partium lactis à sese invicem. Quidam volunt fieri à causâ calidâ, quidam à frigidâ. Alii sic distingunt, ut thrombosis quidem fiat semper à causâ frigidâ, caseatio verò à calidâ. Grumescit lac eodem modo quo sanguis extra sua vasa, is autem concrescit ob defectum caloris naturalis, unde postea morbi contingunt frigidi, pulsus minuitur, frequens apparet, æger frigore penè exanimatur, quamvis postea sanguis putredine alium præternaturalem calorem nanciscatur: Sic pariter volunt lac concrescere à frigore, præsertim quando è vasis in substantiam mammarum delabitur. Non intelligunt autem frigus actuale, sed tantùm calorem remissum, qui ad naturales functiones obeundas minùs

minùs aptus est, à quo fit pinguedo in animalibus. Eodem modo fieri dicunt coagulum in ventriculo juniorum animalium, quæ adhuc lacte nutriuntur, ex lactis portione concrescente, quæ coctionem subire nequit, quòd propriè est lac fermentatum, quamvis postea acidam, acrem & urentem qualitatem ab extraneo calore nanciscatur. Idem probant ex usu remediorum, quæ in hoc affectu calida esse debent & tenuium partium. *Galenus* quoque *3. de alimentor. facult. Cap. de oxygalacte*, ait lac interdum concrescere usu vasis aquâ frigidâ pleni. Τύρωσιν verò quod spectat, fatentur non nisi à valido calore fieri posse, necesse enim est per coagulum serosam partem separari, crassam verò coïre, quòd absque valido calore fieri nequit, ut docet *Galenus 5. simpl. 13*. Idem ostendit coaguli natura calida & ignea, sic lacte ficulneo, cynarâ & aliis, lac coagulatur, quæ calida sunt. Sic scribit *Aristoteles 4. de histor. animal. 3.* non frigus, sed calorem propriè lac coagulare. Verùm rationem non video quare hæc lactis thrombosi, seu grumis non possint applicari, sunt enim meo judicio affectus ejusdem generis, in quibus magis & minus non variant speciem, concretiones interdum sunt majores & magis continuæ, interdum minores, reverâ tamen sunt unus idemque affectus. Priorem igitur opinionem non probat *Petrus Salius*, & rectè: Sanguis enim non concrescit à frigore, nam in venis quantumvis refrigeratus liquidus manet, sed concrescit propter fibras, quando effluxit è vasis, quamvis parte calidissimâ contineatur. Ad formandos igitur grumos non extranea, sed propria qualitas sufficit. Deinde si sanguinis instar coagularetur, cur omne lac extra vasa id non patitur, aut cur concrescens non eadem quæ sanguis concretus producit symptomata. Demum ejusmodi frigida accidentia non fiunt à sanguine propter ipsius refrigerationem, sed op pravam venenatamque qualitatem quàm nanciscitur. Cùm igitur ex supradictis constet caseationem potius fieri à calido, idem de grumefactione censendum est. Si id in lacte ex quo fiunt casei verum est, multò verius est de lacte in mammis contento, ubi nullum frigus est. Sic ut fiat lac scissile ex *Dioscoride*, sanguis in vase effervescit, dein injecto vel vino, vel cerevisiâ, vel aceto, statim coagulatur, imò lac frigidum solâ vini vel cerevisiæ admistione coagulari scio. Crederem igitur posse fieri tam à frigidâ, quàm à calidâ causâ, modò ea quandam in lacte fermentationem vel aciditatem faciat; sic concrescit in ventriculo quando acescit, neque unquam ignis solus faceret ejusmodi massam, nisi lac prius corrumpat. *Causæ externæ* sunt omnes quæ sanguinem copiosum

piosum & crassum gignunt, ut omnia polytropha & crassæ substantiæ, tum quæ vitium quoddam lacti conciliant, unde facilè in mammis corrumpitur. Addunt quidam ea quæ naturali facultate id præstant, ut *coagulum*, *cnicus*, *cynara*, *guttur gallinæ*, verùm non certum est an hæc sumpta, possint usque ad mammas vires suas diffundere. Facilè hic affectus cognoscitur, dolore, mammarum tensione, tumore cum duritie inæquali: In tyrosi, durities est lata & continua: In thrombosi, varia sunt dura tubercula hinc inde dispersa. Causam verò calidam vel frigidam propria harum intemperierum signa indicabunt, tum ipsius lactis conditio & supervenientia symptomata, inflammatio, febris, &c. quibus natura humoris in mammis contenti cognoscitur. Nam in frigidâ causâ tumor erit absque aut saltem cum exiguâ febre, dolor remissior, quibus adde præcedentem victus rationem, tempus anni, nativum temperamentum, & similia. In causâ calidâ aderunt febris, inflammatio, dolor major, tumor latior, fervor quidam papillarum & partium vicinarum.

Prognostica quod spectat, periculum & magnitudinem morbi demonstrabunt, putredo, febris, prout gravior exit, aut mitior. Succedunt his vitiis, tumores, inflammationes, ulcera curatu difficilia, nisi maturè prospectum fuerit.

Cura fermè eadem est quæ superiori Capite descripta fuit. Sanguinis copia minuatur, victus ratione tenui & attenuante, phlebotomiâ, cucurbitulis, vigiliis, frictionibus, exercitiis & aliis vacuationibus, ut loco citato diximus. Si crassities causa sit, victus erit attenuans, temperatus quidem si adsit calor; calefaciens verò si annexa sit frigiditas. Alia enim remedia intemperiei frigidæ, alia calidæ conveniunt; alii dicunt grumo calefacientia & attenuantia, caseationi refrigerantia deberi, sed malè ut diximus; curatio tamen eodem semper redit. In frigidâ igitur causâ ex lege contrariorum calefaciendum est & attenuandum, quòd præstant *radix apii, eryng. raphan. cymin. myrrha, mel, sal, crocus, lentes*; sed præcipuè *mentha* commendatur à *Dioscoride*, quia mammas lacte turgentes compescit, concretionem prohibet, & lac concretum solvit. ℞ *radic. eryng. fœniculi ana* ℥ ß, *foliorum malvæ, menthæ, fœnic. ana* M. ß, *cicerum rubror.* P. j, *sem. apii* ʒ j, decoque in *aquâ hordei.* In colaturæ ℥ *iij* diss. *oxymel simplic. syrupi de duabus vel quinque radicibus ana* ℥ *j*. Misce, fiat potio. Laudant quidam *ceram* si ad quantitatem decem pisorum deglutiatur.

Ex-

Extrinsecus conveniunt fotus, cataplasmata, linimenta, qualia plurima superiori Capite descripsimus. *Lentium, apii, cymini, croci, menthæ* decoctum pro fotu, laudatur ab *Aëtio*, maximè si in *muriâ*, vel *aceto* decoquantur. Imò *Paulus* & *Aëtius* utuntur solâ *muriâ* calente, aut *furfuribus* cum *aceto*, imponunt *juglandes* contritas cum *melle*, quibus adde *mentham, crocum* & *cyminum*. ℞ *rad. altheæ, apii, ebuli, rubiæ tinctor. ana* ℥ j, *foliorum erucæ, menthæ, rutæ, calamint. meliloti, sinapi ana* M. j, *seminis cymini, napi, rutæ ana* ʒ j, *florum chamæm. meliloti ana* P. j. Fiat decoctio in oxycrato pro fotu partis, & ex residentiâ fiat cataplasma, cum *farinâ seminis lini, fœnugræc. ireos florent.* & *oleo anethino*, vel *chamæmelino*. Quidam *stercus caprillum* coquunt & applicant cum *oxymelite*. ℞ *muriæ* ℔ j, *aceti* ℥ ij, *cymini, croci ana* ʒ j ß, fiat epithema. Quidam valdè commendant coagulum dissolutum cum *aceto* & *butyro* ad mammas illinendas, vel cum *oleo* quopiam resolvente: Imò coagulum potum cum *aceto, aquâ nucum viridium* ipsum sanguinem in corpore concretum dissolvit, eo utitur *Mercurialis* cum *cymino* & *vino* felicissimè. Est autem coagulum calidum attenuantis & dissolventis facultatis. *Averrhoes 5. Colliget* dicit vim habere adstringendi, unde alvi fluxus coagulo sistitur. *Mercurialis* ait dissolvere ob qualitates manifestas, quia est calidum, sicut fermentum coquit, attenuat & dissolvit, adstringere autem occultâ proprietate. Dicere possumus hanc esse coaguli vim, ut concreta dissolvat, & dissoluta cogat; propterea dum cogit humores, sistit fluxum. ℞ *farinæ seminis lini, fœnugræc. cicerum rubrorum ana* ℥ j ß, *panis furfuracei* ℥ ij, *succorum apii, fœnic. ana* ℥ j, *oxymel.* ℥ j, *olei chamæmelini, anethi*, vel *amygdal. dulcium ana* ℥ ß, fiat cataplasma. Quidam utuntur etiam sapone: ℞ *semin. nigellæ* ʒ ij, *betæ, menthæ, braßicæ, aneth. fœnugr. ana* M. j, *farinarum prædictarum, furfuris ana* ℥ ß, *pulveris ireos* ʒ j ß, *croci* ℈ j. Coque in *aceto*, vel *hydromel.* & imponatur. *Aquæ chelidoniæ, menthæ, liliorum* etiam prosunt, cavendum semper à nimium calefacientibus, ne major fiat attractio. Plura ex Capite præcedenti repetantur. Si accedat inflammatio, cura proprio Capite descripta fuit.

In calidâ intemperie frigida conveniunt, potius tamen sint tepida, ne graviora mala contingant, ac etiam attenuantia, sanguis enim semper dissolvendus est. ℞ *rad. cichor. quinque aperient. ana* ʒ vj, *foliorum cichor. endiviæ, borrag. summitatum fœnic. menthæ ana* M. ß, *semin. melon. altheæ, petrosel. ana* ʒ j, fiat decoctio ad ℔ ß. In colaturâ dissolve *syrupi limon. de cichor. de quinque radicibus, oxymel. simplicis ana* ℥ j, *spiritus vitrioli*

guttas vj, fiat julep. Extrinsecus commendat *Aëtius oxycratum tepidum*, *furfures* cum *aceto*, & *succo apii*, *psyllium* cum *aceto*, *coriandri succo*, *palmulas* cum *pane* & *poscâ*. Si adsit magna inflammatio, coque *folia brassicæ* & *halicacabi* in *aceto*, adde parum *myrrhæ* & *croci*; nec utendum solis refrigerantibus, sed etiam parum resolventibus, ut fotu ex *decocto fœnugr. altheæ, lini, malvæ, melil. plantag. apii, anagallidis, violariæ, menthæ*, & similium. Ex his cataplasma fieri poterit cum *farinâ hordei* & *oleo rosaceo*. Tandem si istis non cedat, dolores verò & febres intendantur, ad suppurantia veniendum, ut *Capite de inflammat.* diximus.

Prædictum affectum *Pedemontanus* & alii vocant *pilum*, & solum curari volunt ubi *pilus* aut manu educitur, aut ab infante exugitur. Scribit *Aristoteles* in sanguine esse pilum, quo ablato, sanguis non concrescit. Verùm quia loco pili fibræ sanguinis intelligi possunt & debent, clarius *7. de histor. animal. 11.* istius morbi pilaris meminit, quem fieri vult hausto & epoto pilo, qui ubi ad mammas pertingit, dolores facit & inflammationes, eo educto malum curatur. *Rhazes* illius meminit *6. continent.* Scribit *Forestus* fuisse hanc opinionem *Gregorii Horstii Romæ*, & curari unguento ex *litharg. aceto* & *oleo*. *Vesalius Aristotelem* irridet quasi ex mulierum relatione id dixerit. Scimus quidem ex mulierum observatione, aciculas aliaque plurima devorata, fuisse per varias corporis partes reddita, verùm ea sunt rara. Quamvis igitur fieri possit ut pilus epotus ad mammas per has viarum ambages forsan aliquando pervenerit, tamen id admodum rarum est, cùm tamen concretio lactis & inflammatio mammarum sint affectus ordinarii. Rarò pilus devoratur, & id accidere potest viro, virgini, sicut & lactanti, sed etiamsi à lactante devoretur, non necessario subibit venas, quidni excernatur cum stercoribus? Quin etiam si subeat venas, non erit quoque necessarium illum ad mammas potiùs quàm ad urinas ferri aliasve partes. Natura enim varia in variis operatur, non est igitur verisimilis hæc opinio. Probabilius est si quid è mammis pilo simile educitur, fibras esse sanguinis pilum repræsentantes. Vide *Rodericum à Castro*, qui malè mihi videtur huic opinioni favere.

Cap. X.

De Lactis Fluiditate.

PRiori vitio contraria est lactis tenuitas & fluiditas. Fit autem ex copiâ humoris aquei sanguini commisti à quo lac fit dilutius, idque vel ob jecoris intemperiem frigidam humidam, quæ sanguinem gignit ichorosum, vel ob similem mammarum intemperiem, quæ coctioni adversatur, unde quæcunque humores crudos acervant, lac fluidum gignunt, ut sunt alimenta frigida humida, error in victu, suppressa seri vacuatio per sudores & urinas, ut alibi diximus. Tribus signis cognoscetur, 1. si super unguem vel speculum ponatur, & statim defluat, aquosum est; si verò consistit, minimè: 2. si pilus lacti immergatur, si lac non adhæret, fluidum est: 3. per coagulum id innotescet, si pars serosa copiosior esse videatur quàm caseosa & butyrosa. His adde, si pueri multum mingunt, & lintea madefaciunt, vel diarrhœâ laborant & emaciantur. Ad curationem victus sit siccior & calidior, ut sunt panis bis-coctus, *aniso*, *coriandro* conditus, *carnes avium montanarum*, aut crassiores & solidiores, ut *bubulæ*, assæ potius quàm elixæ, *artocreata*. Vitet denique omnia nimium humectantia, ut *pisces*, *fructus horaos*, *lac*, omnia juscula. Potus pariter sit exiguus, vinum crassum, austerum, ejus loco decoctum *guaiaci*, *chinæ*, *coriandri*, *cinnamomi*, & aliorum aromaticorum. Præterea humores serosi purgandi sunt *mechoacanna*, *jalapâ* & aliis hydragogis. Tum etiam sudorificis, laconicis & omnibus calefacientibus internis & externis, ut diximus *Cap. de uteri hydrope* & ejus *frigidâ intemperie*.

Cap. XI. & ultimum.

De Aliis Pravis Lactis Qualitatibus.

LAc ut sit conveniens alimentum, nec debet esse nimis tenue, nec nimis crassum. Crassum difficulter concoquitur & distribuitur, unde in ventre corruptum, diutiusque retentum epilepsias parit, convulsiones, alvi constipationes, flatus, furunculos, pueros reddit inappetentes, torpidos, difficulter respirantes, somnolentos, multorumque alio-

aliorum morborum causa fit. Tenuitas pariter ut diximus cachexiam parit, alvi fluxus, vomitus, totius corporis contabescentiam, de quibus vitiis præcedentibus Capitibus dictum fuit. Præterea lac probum colore, odore & sapore æstimatur. Color debet esse albus & splendidus, qui peculiariter lacteus vocatur, quia similis in cæteris humoribus albis, ut sero & pituitâ non reperitur, unde miror quare *Aristoteles* lac lividius ad cœli colorem tendens, reliquis prætulerit. Sic malè *Avicennas* lac album improbat, quòd sit nimis pituitosum, cùm tamen lac quodlibet pituitam candore superare teneatur. Quùm ab hoc colore recedit, pravum censetur, ob cruditatem, exustionem, humorum pravorum mistionem, bilis, pituitæ, melancholiæ, à quibus colorem præter sui naturam nanciscitur. Odor debet esse suavis, quamvis vehemens non sit, si acidum oleat, testatur ipsius refrigerationem, nidorulentus acrimoniam, exustionem, corruptionem. Facilè enim lac à qualibet causâ alteratur, non solùm in ventriculo, sed etiam in mammis. Sapor debet esse dulcis & gratus, non quidem ut *mel* & *saccharum*, quæ sunt lacte calidiora, sed sapor ille est ipsi lacti proprius, quem etiam lacteum dicere possemus, quoniam similis reliquis dulcibus non inest. Est autem optimæ temperiei index. Quod si gustanti acrius, salsum, amarum appareat, erit calidius. Contrà si fuerit insipidum, acerbum, acidum, frigidius judicabitur. Hæc illi contingere possunt ex pravâ mulieris victus ratione, ut si *alliis*, *cæpis*, *salsis*, *piperatis*, *frixis* & similibus usa fuerit. Habenda quoque erit ratio loci & temporis, nam differt lac earum fœminarum quæ mõntosa loca incolunt ab aliis. Ratione temporis, certum est lac earum quæ gravidæ sunt, esse pejus, sic quoque statim post partum, quia fit ex eo sanguine qui toto gestationis tempore collectus, pravam acquisivit qualitatem. Alii volunt ante tertium mensem lac minus probum esse, quia est serosum nimis, sic quoque post secundum & tertium annum, quia nimis est crassum, sed optimum esse inter medio tempore circa tertium à partu mensem & deinceps. Verùm cùm lac sequatur temperiem mulieris & alimentorum ex quibus fit naturam, non est probabile ex lactationis actu, sed prædictis ex causis tantùm alterari, etiamsi decimus à partu annus foret, ut fusius explicavi *lib. 3. errorum popular.* Ubi igitur lac priores qualitates amittit, & vitiosas acquirit, multa nutrici & infanti mala ingruunt; nam nutricum mammas erodit & exulcerat; pueris alvi tormina, exulcerationes, inflammationes, pruritus excitat. Sic scribit *Galenus* infantem quendam

 cum

cum nutricem malo victu utentem suxisset, totum ulceribus repletum fuisse. Nulla substantia in corpore tam facilè à quibuslibet rebus alterari potest, quàm lac; sic videmus butyrum pro ratione victus varium odorem & saporem acquirere, ut si verno tempore alliariâ vaccæ vescantur.

Vitiatur igitur lac vel nutricum pravâ victus ratione; ut si pravis eduliis, salsis, acribus, aromaticis, alliis, porris, cæpis, vino liberalius utantur, si aliquo gravi pathemate torqueantur, sed præcipuè libidine, aliaque in victu errata commiserint. Altera causa est earum intemperies; si calidior aut frigidior fuerit, biliosa, pituitosa, vel melancholica, ipsarum quoque mammarum intemperies & apostemata lac vitiant. Cognoscitur autem ejus vitium, *primò*, ex lacte ipso, ut breviter explicat *Aëtius*. *Probandum est lac, visu, gustu & olfactu; Nam gustantibus & olfacientibus jucundum, videntibus album & æquale, mediocriter spissum; At vitiosum lac, aut crassum & caseosum, ac serosum & liquidum, vel lividum, aut spumosum, aut fœtidum, aut citò acescens, aut amarum, aut salsum, aut aliâ quâdam qualitate præditum. Ex his conjecturam facies mulierem morbosam esse, & ad aliam transibis.* Præterea ex eodem *Aëtio*, si lintea munda & candida lacti immergantur, post siccentur in umbrâ, referent colorem lactis; nam si fuerit biliosum, flavescent; si melancholicum, livescent; si pituitosum tantùm maculata absque ullo colore apparebunt, quæ tamen non sunt admodum certa, nisi insignis in lacte fuerit humorum excessus. *Secundò* cognoscetur lactis vitium ex ipso infante, ut si lubenter non sugat, vel sugat quidem, sed nequaquam proficiat, multùm ploret, parum dormiat, carnes laxas, flaccidas habeat, emacietur, aphtis, aliisque symptomatis afficiatur. *Tertiò*, ex ipsâ muliere, si iracunda sit, libidinosa, ebriosa, melancholica, biliosa, pituitosa, idque ex harum intemperierum signis alibi recensitis cognoscetur. Itaque biliosum lac erit serosum, tenue, subflavum, amarum, habitus erit gracilis, temperies biliosa, ætas florens, & aliæ adsunt bilis causæ. Pituitosum erit crassius, album, acidum, temperies, habitus, ætas, anni tempus, regio, victus ratio præcedens pituitam indicabunt. Melancholicum erit crassius, paucum, fusci coloris; cætera quæ diximus, melancholiam attestantur.

Curationem quod spectat, si à pravo victu vitium istud lactis dependeat, illius mutatione emendabitur. Ideo vitandæ sunt omnes vehementes animi passiones & motus, corporis nimiæ exercitationes, sed venus præcipuè, lac enim reddit tenue & fœtidum, multoque pejus si mulier

mulier concipiat, ex *Tralliano*. Moderata tamen exercitia præcipuè partium ſuperiorum commendat *Aëtius* Alvus lubrica ſervanda eſt, ne retentorum excrementorum vapores lac contaminent. Vitentur pariter omnes cibi acres, mali ſucci, ut cæpe, allia, omnia calida admodum, ſalſa, dyſpepta edulia. Strobylos improbat *Aëtius*; ſunt inquit bilioſi & oleoſi, ventriculo innatant, venerem ſtimulant. Utatur contra omnibus eupeptis & euchymis, nam vitiata coctio & cruditas lac alterant. Vinum propterea nec generoſum nimis, nec debile, modicè limphatum, nec copioſius potum, à *Paulo* maximè commendatur, ab eo dicit lactis fœtorem corrigi.

Sed præterea ad vacuandos nutricis noxios humores purgatio erit utilis, juxta illorum naturam. Purgantia tamen improbat *Aëtius*, quia ſanguinem à mammis avocant, fermè ſunt omnia diuretica, & menſes movere apta. Verùm quâ aliâ ratione cacochymia lac inficiens poſſit emendari, non video, cùm ea purgationem indicet, quæ ſi non quidem ex valentioribus, ſed ex benignis pharmacis inſtituatur, ſanguinem reddent puriorem, & lac infanti gratius & commodius, nec tamen humorum fluxum à mammis avertent, ſicut etiam quotidiana docet experientia. Benignis igitur contentus Medicus, à valentioribus abſtinebit. Quo autem die purgatur nutrix lac infanti non exhibeat, niſi ſimul illum purgare velimus: Nam purgantibus nutrici exhibitis lac evadit ſolutivum. Sic capra apud *Hippocr.* elaterium aut tithymalum comedens, lac habet amarum & catharticum. Poteritque etiam nutrix non ſemel tantùm, ſed bis terve, aut ſæpiùs in menſe expurgari, pro dominantis cacochymiæ quantitate, donec lac ad priſtinam bonitatem revertatur. Propterea tum pilulæ, tum ſyrupi in plures doſes præſcribi poterint, pro variâ cacochymiæ naturâ, quorum formulas alibi ſat multas deſcripſimus. Præterea nutricis temperies in contrarium alteranda, ut calida, balneis, cibis humectantibus, refrigerantibus, tum alimentis, tum medicamentis, & ſic in quâlibet intemperie iis utendum quæ ipſam oppugnare poſſunt, ut alibi ſæpius indicavimus. Verùm ſi intemperies ſit inſignis, longo tempore contracta, vel à pravis affectibus, ut lue venereâ dependens, aut nativa, nutricem omnino mutare convenit & infantem alteri tradere, ne in contumaci morbo corrigendo dum forſitan etiam irrito conatu Medicus occupatur, conveniens fœtui alimentum deficiat. Et hæc de morbis mulierum.

FINIS.

IN-

INDEX RERUM.

A

Abortus causa non est uteri magnitudo. 293
Abortus non est remedium morborum. 268
Abortus quid sit. 288
Abscessus ruptio in abdomen. 116
Abscessus uteri. 120
Absurda quæ virgines & gravidæ appetunt, an sint concedenda. 167. & 258
Acetum an mammis conveniat. 360
Acetum cur utero non ventriculo noceat. 97
Acetum mulieribus an conveniat. 71. & 97
Acrimoniæ mensium signa. 40. & 65
Acrimoniæ mensium correctio. 39. & 41
Actionis anticipantis causæ. 40
Actionis postponentis causæ. 41
Acuti morbi in gravidis possunt esse duplices. 267
Adstrictio pudendi muliebris, ut procuranda. 345
Aer frigidus utero noxius. 150
Affectuum hystericorum à suffocatione distinctio. 179
Altimari error. 257
Amazones quare mammam præcidebant. 347
An in omni abortu venæ fiant graciles. 353
Anastomosis causæ. 65. Signa. 67
Aqua mulsa pota an graviditatem indicet. 250
Aromata muliebria ducunt. 29

C

Calor an causa suppressorum menstruorum. 8
Cæsarea sectio. 315
Calidæ intemperiei curatio. 32. & 46
Camphora calida est. 195
Cancro an carnes gallinarum conveniant. 362
Cauteria in cruribus an provocent menstrua. 21
Chalybis virtus & usus. 170
Cicatrix uteri an causa suppressionis menstruorum. 10
Cicatrix uteri. 79
Clitoris quid. 82
Coaguli vis in dissolvendo sanguine. 385
Coitus an virgines emendet. 248
Color excreti sanguinis quomodo dignoscatur. 46, & 52
Conceptionis signa incerta. 249
Condyloma quid. 86
Consensus mammarum & uteri quomodo fiat. 345
Convulsio fluxui muliebri succedens quare mala. 59
Critici dies unde numerandi in puerperis. 337

D

Diæresis causæ. 65. Signa, 67
Diæta in uteri inflammatione qualis. 117
Diapedesis an sit. 65
Diuretica an conveniant fluxui muliebri. 60
Dolores capitis ab utero in quâ parte. 181
Dolores inferiorum partium ab utero. 182

Em-

E

Emphysema uteri an in substantiâ, vel cavitate. 108
Emphysema quomodo à graviditate distinguatur, 109. & à flatibus intestinorum. idem.
Epilepsia hysterica unde. 182
Eresypelas uteri. 121
Error Alexandri Aphrodisæi, 210, & 212
Error Galeni de nimio menstruorum fluxu. 68
Error Mercati & Roder. à Castro. 36

F

Facultatis imbecillitas an sit causa menstruorum suppressorum. 10
Facultatis debilis signa. 67
Falsæ conceptionis à molâ distinctio. 269
Febres in puerperis unde.
Fernelii error. 10
Ferrum an calidum sit an frigidum. 170
Ferrum an præparari debeat. 174
Ferrum sumendi cautiones. idem.
Figuræ in partu difficili variæ. 303
Figuræ pravæ quomodo emendandæ. 313
Fistularum uteri signa, curatio. 135
Flatus in cavitate vel substantiâ uteri. 156
Fluxus alvi omnis generis puerperis noxius. 342
Fluxus menstruorum critici signa. 69
Fluxus muliebris distinctio à menstruorum fluxu. 47
Fluxus muliebris distinctio à mensibus pravis. 48
Fluxus muliebris sine vitio uteri fieri potest. 49
Fœcunda mulier an debeat esse menstrualis. 132
Fœtida in epilepsiâ ab utero prosunt. 184
Fœtida puerperis nocent. 335
Fœtida secundinas movent. 329
Fœtu mortuo quid agendum. 315
Fœtus mortui signa. 306
Furor uterinus distinguitur à pruritu. 189
Furor uterinus non est symptoma turpitudinis. 189
Furoris uterini sedes. 191

G

Galeni opinio de causis nimi fluxus menstruorum. 66
Gangrana uteri. 94
Gemelli diversi sexus raro sunt ambo vitales. 273
Glandulæ, & scrophulæ quomodo distinguantur. 358
Gonorrhœa & fluxus muliebris distinctio. 53
Gravidæ fluxu muliebri tentari possunt. 39
Gravidas an purgare liceat. 255
Gravidis an coitus noceat. 253
Gravidis fluxus menstruorum an sit noxius. 249
Graviditas interdum salutaris, interdum noxia. 252
Graviditatem certò dignoscere difficile est. 249
Grumi sanguinis signa, curatio. 333
Grumosus sanguis unde profluat. 38

H

Hæmorrhoides an in suppressis mensibus sint aperiendæ. 21

Hæ-

Hæmorrhoidum uteri à menstruorum fluxu distinctio. 64. & 88
Historia prodigiosi partus. 316
Horum à sanguine crasso distinctio, 9
Humorum crassities causa suppressionis. ib.
Hydrops an causa sterilitatis. 104
Hydrops duplex. 100
Hydrops uteri an sit in cavitate. 100
Hydropicus cur non procidat uterus. 149
Hydropis distinctio à molà. 104
Hydropis uterini distinctio ab alio hydrope, aut graviditate. 102
Hymen an detur.
Hypochondriaci affectus causa, ex Diocle. 187

I

Imaginatio fortis gravidis noxia. 253
Imaginatio quomodo operetur in gravidis. 271
Injectiones non penetrant in uterum. 27
Intemperies causa imbecillitatis. 159

L

Lac an sequatur suppressionem menstruorum. 13
Lac in mammis an concoquatur. 368
Lac non est pus. 366
Lac non fit sine virtute seminis. 371
Lac per uterum & vesicam interdum excernitur. 346
Lac quæ generent. 372, & 374
Lactis boni conditiones. 388
Lactis concretio an à calore vel frigore. 382
Lactis concretio duplex. 381
Lactis crassioris aut fluidioris incommoda. 389
Lactis qualitatum indicia ex linteis. 390
Lactis vacuatio cur nō faciat deliquiū. 367
Lapides & lumbrici an fieri possint in utero. 137
Lienis affectus sunt ut plurimum hysterici. 179
Lochia quamdiu fluant. 331
Lochiis fluentibus an vena sit secanda. 339
Lochiorum in morbis consideratio. 337
Lochiorum suppressio & nimius fluxus malus. 332

M

Maleficia an causæ sterilitatis. 247
Mammæ abortum indicant. 295
Mammæ in mulieribus quare in pectore. 346
Mammæ pleniores, solidæ, flaccidæ, quid indicent. 352
Mammarum gracilitas unde. 351
Mammarum inflammatio à lacte. 354
Mammarum in gravidis consideratio. 265
Mammarum magnitudo an lacti incommoda. 347
Mares non semper in dextris. 251
Maris à fœmina distinctio. 2
Medicamenta lac, urinam, menses provocantia differunt. 21, & 60
Menses moventia. 22
Menstruales mulieres quæ sint. 4
Menstrua post 6 mēses revocari possunt. 14
Menstruorum instantium & deficientium signa. 4
Menstruorum utilitas. 3
Mentha an in bello serenda. 247
Milium fluxui muliebri prodest. 62
Mola an fiat absque semine aut virili complexu. 281

Mola an fiat à calore, vel frigore. 279
Molæ differentiæ, causæ. 277
Mulier an sine menstruis concipere possit. 6

N

NArium hæmorrhagia bona in suppressis menstruis. 15
Nimius menstruorum fluxus quid sit. 63
Nimius sanguinis ab utero fluxus non est semper menstrualis. 64
Notanda plurima ad conceptionem. 245
Nympharum usus. 82

O

OBstetricis conditiones. 308
Oculorum tumor an in fluxu muliebri. 51
Odores quomodo uterum afficiant. 142, & 210
Oedema mammarum. 357
Omentum an causa sterilitatis. 78
Ossa pubis an in partu divellantur. 300

P

PAllidi colores quid sint. 163
Partus difficilis quis censeatur. 301
Partus difficilis ratione figuræ. 302
Partus mense undecimo fieri potest. 288
Parvitas uteri an causa abortus. 294
Periapta an conveniant in fluxu sanguinis. 75
Pessaria ex subere. 153
Phlebotomia abortum praeavet. 298
Phlebotomia an conveniat hydropi uterino. 106
Phlebotomia an conveniat puerperis. 338
Phlebotomia gravidis convenit. 256
Phlebotomia suppressis mensibus an prosit. 18
Phlegmone duplex, 113. *an ex semine fiat.* 114
Philtra an causa furoris uterini. 193
Pilaris morbus quid sit. 386
Pingues minùs concipiunt. 6, & 9
Pruritus uteri differentia à furore uterino. 161
Puerperæ à vulneratis parum differunt, & simili modo regendæ. 325
Puerperarum morbi unde fiant. 336
Pulsatio arteriarum in dorso. 197
Purgatio an puerperis conveniat. 340
Purgatio an suppressis lochiis competat. 333
Purgatio in suppressis mensibus. 17

R

REpellentia externa an conveniant in uteri phlegmone. 119
Resolutionis phlegmones signa. 116
Respiratio quot modis lædatur. 199
Rhagades uteri & mammarum quomodo curandæ. 93. &c.
Rhyas quid sit. 84
Rondeletii error de suffocatione. 208

S.

SAl an lac generet. 375
Salsorum usu an fœtus nascatur sine unguibus. 254
Sanguinis copia an causa suppressionis menstruorum. 7
Sanguinis crassities causa suppressionis. 8
Sanguis menstruus qualis esse debeat. 45
Sanguis menstruus ut plurimùm ex venis cervicis fluit. 67
Scirrhus mammarum unde fiat. 358
Scythæ quare steriles. 229

Secun-

Secundinarum putrefactio an sit utilis. 330
Secundinarum retentarum noxa, curatio. 327. &c.
Secundinas sternutatio promovet. 329
Seminis fœcundi signa. 236
Sexus distinctio. 1
Somnus in fluxu muliebri qualis. 56
Sterilitatis in viris causæ. 228
Stillicidium sanguinis sine dolore. 37
Suctio mammarum in lactis copia. 378
Suffitus in nimio fluxu an prosint. 75
Suffitus in suppreßis mensibus. 30
Suffocatæ similes dæmoniacis. 213
Suffocatæ videntur mortuæ. 215
Suffocatas an liceat titillando provocare ad seminis excretionem. 218
Suffocatio an sit venenatus affectus. 205
Suffocatio distinguitur à motu uteri. 145
Suffocationis differentiæ. 201
Suffocatio non solùm à menstruo & semine retento, sed etiam ab aliis humoribus. 207, & 209
Superfœtatio an poßit fieri. 274
Suppreßio menstruorum an sit à bile. 16
Suppreßio menstruorum quomodo à graviditate distinguatur. 14
Sympathici affectus quomodo fiant. 179
Symptomata puerperarum unde. 342

T

Tempus partus est incertum. 287
Tenues craßis fœcundiores. 339
Testium intemperatorum signa. 338
Tormina puerperarum unde. 335
Tribades quid sint. 83
Tußis secundinas promovet. 329

V

Vena quæ in suppreßis mensibus sit secanda. 18. & *quando.* 20
Venæ sectio an conveniat hystericis. 219
Venæ sectio in fluxu muliebri. 57
Venæ sectio in lochiis suppreßis. 332
Venenum in corpore generari potest. 205
Verrucæ in tibiis equorum nascentes, suffocationi prosunt. 217
Verrucarum uteri differentiæ. 87
Vestes arctiores gravidis nocent. 254
Vinum an conveniat hystericis. 222
Vinum fluxui muliebri prodest. 57
Viragines quales? 5
Virgines non habent lac. 369
Viri an lac habere poßint. 371
Viri quare suffocatione non tententur. 208
Vlceris uterini differentiæ. 128
Vomitus gravidis non est noxius. 255
Vomitus in puerperis unde. 342
Vomitus prodest pallidis coloribus. 169
Vomitus prodest suffocatis. 220
Vrina non est signum graviditatis. 250
Vteri tumores an causa suppreßionis menstruorum. 9
Vterum roborantia. 98
Vterus an moveatur. 203
Vterus an sursum moveatur. 142
Vterus excindi potest. 154

FINIS.

Reliqua quæ ad naturã affectuum, differentias, causas, signa, curationem spectant, ex singulis Capitibus repeti poßunt.


ER-

ERRATA.

FAmiliare eſt typothetis non ſolùm abſente Autore, ſed etiam ipſo præſente, errata plurima committere. Hæc autem in hoc Libro ſunt præcipua.

Pag: 2. lineâ 36. lege fermè. *pag: 3. lin: 28. lege* conceptui. *pag: 4. lin: 19. lege* hemicraniæ. *pag: 5. lin: 7. lege* colore. *pag: 8. lin: 8. lege* pravâ, *pag: 9. lin: 3. lege* Vitia. *pag: 12. lin: 22. lege* γυναικωθῆναι. *pag: 17. lin: 32. lege* artemiſià. *pag: 18. l: 12. lege* ℥ j ß. *pag: 21. lin: 19. lege* humores. *pag: 28. lin: 28. lege* valentiora. *pag: 32. lin: 16. lege* exercitia. *pag: 35. lin: 4. lege* agitato. *pag: 39. lin: 15. lege* lecti. *pag: 50. lin: 31. lege* fœculenta. *pag: 61. lin: 25. lege* aquæ. *pag: 63. lin: 5. lege* moſch. *pag: 64. lin: 17. lege* ſanguinem. *pag: 65. lin: 32. lege* deſinentium. *pag: 68. lin: 17. lege* quali. *pag: 77. lin. 4. lege* eſt. *pag: 84. lin: 23. lege* ac. *pag: 88. lin: 3. lege* viridis. & *lin: 29. lege* etiam. *pag: 99. lin: 20. lege* fiant. *pag: 106. lin: 30. lege* quantum. *pag: 109. lin: 27. lege* hoc. *pag: 119. lin: 16. lege* decocta. *pag: 125. lin: 23. dele* ſympto. *lin: 25. lege* ſymptomata. *eadem lineâ in margine dele* Curatio, *lege* Prognoſtica. *pag: 131. lin: ultimâ, lege* buglæ. *pag: 139. lin: 33. lege* alia. *pag: 140. lin: ultimâ, lege* advertunt. *pag: 150. lin: 28. lege* Ægineta. *pag: 159. lin: 8. lege* poſſunt. *pag: 163. lin: 27. lege* χλω. *pag: 199. lin: 20. lege* ſuffocantur: *lin: 30. dele*, ac etiam interdum graviter. *pag: 208. lin: 25. lege* Veſalius. *pag: 221. lin: 14 lege* plurima. *pag: 227. lin: 20. lege* κτόχιον. *pag: 229. lin: 5. lege* natura. *pag: 236. lin: 9. lege* ire. & *lin: 19. lege* humiditas. *pag: 238. lin: 28. lege* jejunia. *pag: 241. lin: 24. lege* horæis. *pag: 248. lin: 10. lege* retento. *pag: 253. lin: 18. lege* gravidas. *pag: 256. lin: 1. lege* pariter. *pag: 259. lin: 11. lege* ſuperſtitioſum. *pag: 263. lin: 5. lege* conſenſum. *pag: 272. lin: 34. lege* uno. *pag: 277. lin: 11. lege* eam. *pag: 288. lin: 11. lege* raros. *pag: 297. lin: 21. lege* quo. *pag: 306. lin: 35. lege* quà. *pag: 307. lin: 27. dele*, ter, & *lege* bis. & *lin: 28. loco* trium, *lege* duorum. *pag: 326. lin: 28. lege* ſtatim. *pag: 330. lin: 11. lege* putrefactam. *pag: 331. lin: 23. lege* horrores. *lin: 34. lege* alvi. *pag: 337. lin: 8. lege* uxoris Philini. *pag: 340. lin: 8. lege* eam. *pag: 345. lin: 6. lege* axung. *pag: 348. lin: 14. lege* facientes. *pag: 352. lin: 2. lege* conſideratione. *pag: 353. lin: 3. lege* quia, & *lin: 14. lege* hæc. *pag: 361. lin: 3. lege* amputatione. *pag: 367. lin: 18. lege* illo. *pag: 370. lin: 19. lege* virili. *pag: 384. lin: 18. lege* erit.

Cætera benignus Lector excuſabit.



5644543